BENEDICTI PERERII VALENTINI,

E Societate IESV.

CENTVM OCTOGINTA TRES
Disputationes Selectissimæ super libro

APOCALYPSIS
Beati Ioannis Apostoli.

Quibus adiecta sunt ab eodem Auctore viginti tres Disputationes, aduersus eos qui putarunt, MAOMETEM *Saracenorum legislatorem fuisse verum illum* ANTICHRISTVM, *de quo non pauca Daniel, & Ioannes in Apocalypsi prædixerunt; pluraq; à Patribus memoriæ tradita sunt.*

Cum Superiorum Permissu, & Priuilegio.



VENETIIS, MDCVII.

APVD ANTONIVM LEONARDVM.

CÆSARI BARONIO
S·R·E· REVERENDISSIMO
ET ILLVSTRISSIMO
Cardinali, & Bibliothecario
Apoſtolico.

BENEDICTVS PERERIVS S. D.

TERTIVM Tomum Selectarum Diſputationum mearum in ſacram Scripturam mitto ad te Illuſtr. Baroni, Literarium ſcilicet munuſculum, meiſque conueniens ſtudijs, nec futurum tibi non iucundum, qui, pro tuo diuinarum literarum ſummo amore, ac reuerentia, & Commentarijs, & aliis quibuſcunque ſacræ Scripturæ tractationibus non ineptis, neque ineruditis maiorem in modum delectaris. Mihi ſanè viſum eſt, cuius nomini ſuperioribus annis inſcripſiſſem Commentarios meos in Geneſim, primum nempe librum diuinæ Scripturæ; eidem quoque nunc dicare Selectas Diſputationes in librum Apocalypſis, qui extremum in ſacrorum voluminum

diſpoſitione locum tenet. Ac nos quidem ex paupere ſtudiorum noſtrorum penu tenuia hæc promimus; & quaſi leuidentia munera, craſſo filo, vt dixit ille, in publicum damus: Tu verò inæſtimabili Eccleſiaſticorum Annalium theſauro pergis in dies magis Eccleſiam Chriſti locupletari, ingenti & tuo apud Deum meritò, doctorùmque hominum qui ſunt, quique omni poſt æuo futuri ſunt, gaudio, atque emolumento. Cogis itaque omnes, qui Catholicæ Eccleſiæ, ab eius vſque primordijs, doctrinam & inſtituta, atque conſuetudines explorate cognitas, & perceptas habere cupiunt, obnixè Deum rogare, vt ſaluum te multos annos, atque incolumem Eccleſiæ ſuæ præſtet quoad iſtud tanti laboris, tantæque vtilitatis opus ad vſque noſtra hæc tempora, qua feciſti adhuc eruditionis copia, & diſputandi ſubſtilitate, ac diligentia, refertum atque elaboratum limatùmque deducas. Vale.

AVCTOR OPERIS
Lectori S. D.

SI quis fortè mirabitur, me non in vniuersum librum Apocalypsis, sed in octo duntaxat prima libri eius Capita Selectas Disputationes edidisse; sciat is, me, cum eas Disputationes scribere sum aggreßus, eo fuisse consilio atque animo, vt de Septem principalibus in hoc libro descriptis Visionibus, secundam tantum Visionem explanarem. In qua Visione Beatus Ioannes vidit in dextera Dei sedentis in throno, librum scriptum intus & foris, septemque signatum sigillis: quam ipse Visionem per quinque Capita, ab initio quarti vsque ad principium octaui Capitis enarrauit. Omnium enim Visionum quas Ioannes habuit, & quæ continentur in hoc libro, hæc secunda Visio multis est nominibus præstantißima, & celebratißima. Est enim amplißima longè, latèque patens, & vsque ad finem mundi pertinens. Est altisimis futurarum rerum mysterijs refertißima. Est ingentium obscuritatum, maximarùmque difficultatum plenißima. Est cognitu Ecclesiæ CHRISTI *vtilißima; quòd futuros in Ecclesia, vsque ad finem eius in terris, præsignet insigniores casus tam prosperos, quàm aduersos. Denique huius Visionis explorata cognitio magnam præfert lucem ad illustrandas aliarum Visionum obscuritates,*

difficulta-

difficultatûmque tenebras discutiendas. Super hac ego Visione duas & centum Disputationes feceram, quas eram, modico volumine comprehensas, daturus in publicum. Sed posteà, cùm animaduertissem, explicationem primorum trium libri huius Capitum, in quibus primam Visionem Ioannis exposui, magno fore adiumento ad secundam visionem expeditius, emulatiùsque declarandam; Visum est mihi, ad copiosam eorum Capitum explanationem Septuaginta conferre Disputationes. His autem præponenda esse censui PROLEGOMENA in librum Apocalypsis vndecim tractata Disputationibus; vt ea, quasi rectam munirent viam, facilèmque introitum aperirent Lectori, quò faciliùs ad cognoscendum & huius secundæ Visionis, aliarúmque omnium Visionum abditißima mysteria penetrare posset. Hac itaque ratione factum est, vt hic tertius Tomus in tres & octoginta, centùmque Disputationes excresceret. Quo igitur consilio & animo in octo tantum Capita libri Apocalypsis Disputationes in lucem emiserim, te Lector optime, in ipso quasi operis vestibulo prænosse, non abs re futurum esse duxi. Vale.

Facultas R. Admodum in Christo P. P. Claudij Aquauiuæ Societatis Iesu Præpositi Generalis huius libri imprimendi.

CVm opus hoc, *Centum octoginta tres Disputationes in Apocalypsim complectens*, à P. *Benedicto Pererio, nostræ Societatis Theologo compositum*, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos id pertinebit, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 27. Decemb. 1605.

CL. AQVAVIVA Societatis IESV Præpositus Generalis.

Facultas R. D. D. Antonij Emmanuelis Chalomi huius libri imprimendi.

ANTONIVS Emmanuel Chalomus in præfectura Lugdunensi consiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiscopatu Lugdunensi Vicarius Generalis: opus hoc à Benedicto Pererio magno ingenio, excellentiq; doctrina viro compositum, & à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus, Lugduni 29. Iulij 1606.

CHALOM.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lugdunensi.

LVdouicus Richeomus Prouincialis Collegiorum Societatis Iesu, in prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Rege Christianissimo Henrico III. die 10. mensis Maij, anni 1583. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant; permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopolæ, vt *Disputationes Selectas in Apocalypsim, auctore Benedicto Pererio eiusdem Societatis*, ad sex proximos annos imprimere, ac libere diuendere possit. Datum Lugduni die vndecima Ianuarij, Anno 1606.

RICHEOMVS.

GLi Eccell. Signori Capi dell'Illustr. Conf.di X. infrascritti hauuta fede dalli Sig.Riformatori del Studio di Padoua per relation delli doi à ciò deputati,cioè del R.Padre Inquisitor, & del Circ.Secretario del Senato Zuane Marauegia con giuramento, che nel Libro stampato in Lione Intitolato Benedicti Pererij Valentini Tomus Tertius Selectarum Disputationum in Sacram Scripturam super libro Apocalypsis B.Ioannis, & in vn' altrò aggionto al sopradetto Libro aduersus Ioannem Viterbiensem,& alios quosdam viros doctos: non si troua cosa contra le leggi,& sono degni di Stampa, concedeno licenza che possino esser stampati in questa Città.

Datum die 13. Martij 1607.

D. Nicolò Querini.
D. Hieronimo Diedo } Capi dell'Illustr. Conf.di X.
D. Piero Bondomier.

Illustriss. Cons.X. Secretarius
Leonardus Otthobonus.

1607.adì 13.Marzo. Reg. nel Off.contra la Biast.a car.168.

Gio. Battista Breatto Coad.

TABVLA INTERPRETATIONIS VERBORVM,

Quæ sigillatim in septem Apocalypsis Capitibus continentur, & ab Auctore datæ, & etiam ab insignioribus Doctoribus, de quibus meminit in opere.

Unius item Tractatus Disputationum 23. contra asserentes Mahometem Sarracenorum legislatorem fuisse verum Antichristum.

Vox

Defensio

Auctoris

S.Bernardi

FINIS.

Contra asserentes verum Antichristum iam venisse, & fuisse Mahometem pseudo prophetam, & sectæ Sarracenorum Principem.

Refellitur

FINIS.

TABVLA SECVNDA

Indicans scitu digniora, quæ in toto opere continentur.

A

Christus

N

O

P

Q

R

FINIS.

BENEDICTI PERERII PROLEGOMENA In Apocalypsim BEATI IOANNIS APOSTOLI,

Vndecim explicata Disputationibus.

DISPVTATIO PRIMA.

De multitudine, & Claritate Scriptorum, qui omni seculo post editam Apocalypsim, in eius explanatione scriptis Commentarijs versati sunt: quorum exemplo adductus est Auctor ad scribendum has disputationes ad eiusdem libri explicationem pertinentes.

SI alios diuinę Scripturæ libros, qui explanaturi sũt, cõsentaneũ esse, atq; vtile ducit, pfari eos nonnulla, quæ possunt ad illustrandam eorum librorum obscuritatẽ, quasi lucem quandam præferre: quanto magis id me nunc facere conuenit, atque etiam necesse est, qui Apocalypsim Beati Ioannis explanandam in hoc meo tertio Tomo Selectarum Disputationum suscepi: librum videlicet Sacræ totius Scripturæ, abstrusissimæ intelligentiæ, & (vt multorum fert opinio) absque singulari quapiam Dei reuelatione, prorsus incomprehẽsibilem? Sed vereor equidem, ne quis fortè meum hoc consilium, & conatum non modo nõ approbet, verùm etiam, quasi nimis audax & temerarium incœptum, vituperatione, & reprehensione dignum iudicet. At enim nulla ẽst ratio, cur hoc mihi multorum, & pręstãtium virorum exemplum secuto, vel temeritatis, vel arrogantiæ crimini verti debeat. Si quis etenim ab eo tẽpore, quo scripta est Apo-

calypsis, ad hodiernam vsque diē, præteriti temporis memoriā omnem replicet, quindecim ferme sęcula iam exacta reperiet. Apocalypsis namque tradita est Beato Ioanni sub finem primi sæculi ab ortu Domini nostri. & extremo ferè Domitiani principatu. Inde verò ad hunc annū millesimum sexcentesimum tertium, quo hæc litteris mandamus, quingenti & mille anni (id autem est) quindecim sæcula præterierunt. Post eius porrò libri editionem, in quolibet subsequentium sæculorum, & complures, excellentesque ingenio, & doctrina viri, plurimum studij atque operæ ad interpretādum eum librum contulerunt. Non omnes in presentia nominatim enumerabo, sed nobiliores tantùm, & celebriores.

Interpretes lib Apocal. *Iustinus.* *Iræneus.* *Hippolyt.* *Nepos.* *Methodius* *Melito.* *Victorinus.* *Dionys. Alexandr.* *Basilius.* *Nazianz.*

1 Primo igitur sæculo post editam Apocalypsim, interpretati sunt cā Iustinus, & Irenęus, vt beatus Hieronymus ait in libro de scriptorib. Ecclesiasticis, in Ioanne Apostolo. In secundo sæculo in eundē Librum Commentaria scripserunt, Hippolytus, Nepos, Methodius, Melito, Victorinus, & Dionysius Alexandrinus, vt in eodem libro, vbi agit de istis, scribit Hieronymus. In tertio sæculo explanatores eiusdem libri fuerunt Basilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus, vt ex Commentarijs Andreæ Archiepiscopi Cæsariensis, & ex Collectaneis Arethæ in librum Apocalypsis, intelligere licet. Quin etiam B. Hieronymus in ea Præfatione, quam anteposuit Commentarijs Victorini martyris in Apocalypsim à se purgatis, atque emendatis, promisit, suum quoque in explanatione eius libri desudaturum ingenium. Quod vtinam perficere potuisset; nam vt erat præstantissimum ingenium eius, & multiiugis doctrina, & accurata obseruatio, & cognitio antiquitatis, magnam profectò nobis ad eum librum intelligendū m, atque interpretandū lucem, opèmque attulisset.

2 Hoc ipso prætereà sæculo Ticonius sectæ quidem Donatistarum, sed in studio sacrarum Litterarum satis eruditus, & celebris, Cōmentaria scripsit in Apocalypsim; è quibus permulta Primasius, & Beda in libros suos, quibus interpretati sunt Apocalypsim, transtulerunt. De Ticonij autem Commentarijs Gennadius ita scribit: Exposuit Apocalypsim beati Ioannis ex integro, nihil in ea carnale, sed totum intelligens spirituale. In qua expositione mille annorum regni in terra Iustorum post resurrectionem futuri suspicionem abstulit: neque duas in carne mortuorum resurrectiones futuras, vnam Iustorum, & aliam iniustorum; sed vnam, & semel omnium, in qua resurgent etiam abortiui, ne quid humani generis deformatum animatæ substantiæ intereat, ostendit. Distinctioné autem duarum resurrectionum ita facit. Primam, quam Iustorum resurrectionem Apocalypsis appellat, fieri ait modò in Ecclesia; qua iustificati per fidem, à morte peccatorum suorum, per baptismum ad vitæ æternæ stipendium suscitantur. Secundam verò resurrectionem, (vt vocat B. Ioannes) esse generalem omnium hominum secundum carnem in fine mundi resurrectionem. Hæc Gennadius. De eiusdem Ticonij Commentarijs sic ait Primasius: Librū Apocalypsis, multis opertum mysterijs, cum DEI adiutorio, exiguis licet præditus viribus, exponendum suscepi: nō meis tantùm contentus inuentis, sed si qua reperi, à S. Augustino eius libri testimonia alibi explicata, indubitanter adiunxi. Quin etiam a Ticonio Donatista ea, quæ sano congruebant sensui, defloraui, & ex eis quæ eligenda fuerant, exundātia reprimens, importuna resecans, & impolita componens, Catholico moderā-

Ticonij Cō mentaria in Apocal.

Gennadius

Apocalyp.

Primasius,

deramine temperaui. Sicut autem pretiosa in stercore gemma, à prudente viro reperta, & colligi, & ingenuæ dignitati suæ restitui dēt: ita vndecumque veritas elucescit, catholicæ deferenda est vnitati: huic enim soli competit, quicquid veritas, etiam foris, personarit. Iuste namque fides à perfidis colligit, quod sui iuris esse cognouit: nec potest alienis prodesse vsurpatum, sed filijs, cum veræ matri fuerit restitutum. Ob hoc autem Donatistæ non debent extolli, sicut nec de prophetia Caiphæ, qua dixit: *Expedit vt vnus moriatur pro populo* Iudæi debent gloriari. Neque hinc Catholicis debet esse offensio: si qua enim fuerint Ecclesiasticis vtilitatibus profutura, nostris sunt instructionibus applicanda; nec attendenda persona dicētis, sed qualitas dictorum est consideranda. Hactenus ex Primasio. His adijciam, quæ de ijsdem Commentarijs venerabilis Beda in Prologo librorum suorum in Apocalypsim scripta reliquit his verbis: Regulas Ticonij, viri inter suos eruditissimi, quibus ad intelligēdas scripturas studiosi plurimum adiuuātur, breuiter commemorandas putaui. Et his Regulis expositis, subdit Beda: Apocalypsim beati Ioannis idem Ticonius & viuaciter intellexit, & veridicè, ac satis Catholicè edisseruit, præter ea duntaxat loca, in quibus suorum Donatistarū schisma defendere conatus, persecutiones quas passi sunt à religioso Principe Valentiniano, Ecclesijs eorum, & domibus, & possessionibus sub Catholicorum manu traditis, & sacerdotibus eorum exilio reclusis deflet; & martyria vocās, gloriatur eas in Apocalypsi fuisse prædictas. Huius porrò Auctoris nos in explanatione Apocalypsis sensum secuti, nonnulla quæ extrinsecus posuit, breuiandi causa omisimus. Plura verò, quæ illi, vt viro ingenioso, & qui, sicut de eo dictum est, tanquam rosa in spinis effloruit, & aperta, nec digna quæ situ videbantur, quantum vel magistrorum traditione, vel memoria lectionis, vel nostri etiam captu ingenij, & sensus attingere potuimus, superadijcere curauimus. Hæc Beda. Cur autem nos tā multa hoc loco commemorare voluerimus de Ticonij Commentarijs in Apocalypsim, ex ijs, quæ proximè sequenti Disputatione dicturi sumus, lectori dilucescet.

Ioan. 11. *Beda.*

3 Quarto sæculo librum Apocalypsis interpretati sunt Primasius, Gennadius, & Cyrillus Alexandrinus. Quinto sæculo Cassiodorus, et Andreas Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, & qui vulgo appellatur Ambrosius. Sexto sæculo Beda, eiusque discipulus Alcuinus, siue Albinus, magister Caroli Magni. Septimo sæculo Rabanus, Aretha, Haymo. Octauo sæculo Ambrosius Ansbertus. Decimo sæculo Anselmus Cantuariensis. Vndecimo sæculo Rupertus, & Richardus. Duodecimo sæculo, Albertus Magnus, & Ioachimus Abbas, de quo ita scribit Trithemius: Ioachim Abbas Floriensis Ordinis S. Benedicti, ex Calabria oriundus, vir in diuinis Scripturis studiosus, & exercitatus, qui futura prædicere conatus est, & ideo habitus est suo tempore tanquam propheta. Sed mihi videtur (vt salua opinione eius, suorūmque loquar) ex cōiecturis Scripturarum illum esse locutum magis, quam prophetasse. Nam vt de cæteris interim taceam, Fredericum Imperatorem, hostem Ecclesiæ futurum somniauit, quem omnes nouimus vsque ad mortem pacificum, & Romano Pontifici subiectum, & fidelem perseuerasse. Scripsit libros octo in Apocalypsim, & alia quædam opuscula aperto sermone: in quibus penè omnibus, quasi futurorum præscius, consueuit miscere prognostica. Hæc de Ioachimo Trithemius.

Primasius. Gennadius. Cyril. Alexandrinus. Cassiodor. Andreas, et vulgo dict. Ambros. Beda. Alcuinus. Rabanus. Aretha. Haymo. Ambros. Ansbertus. Rupertus, & Richar. Alb. Mag. Ioachim Abbas.

Tyranus. *Aureolus.* *Hubertin.* *Seraphin.* *Firmanus.* *Sixt. Senēs.*

inius. Decimotertio sæculo Nicolaus de Lyra, & Petrus Aureolus, & Hubertinus Casalēsis: de cuius in Apocalypsim scriptis in quarto suæ Bibliothecæ libro ita scribit Sixtus Senensis: Ad vniuersos, inquit, fideles Hubertinus scripsit Cōmētarium in Apocalypsim, quem intitulauit De septem Ecclesiæ statibus, iuxta septem Visiones factas B. Ioanni, & ab eo traditas in libro Apocalypsis. In eo autem Commentario Hubertinus prophetico spiritu scripsisse putatur à sui ordinis professoribus. Similia Hubertino scripsit in Apocalypsim Italico sermone Seraphinus Firmanus Decimoquarto sæculo Thomas Anglicus, Dionosyus Carthusianus, & Ioannes Annius Viterbiēsis. Decimoquinto, id est, nostro sæculo, Claudius a Monte Maryrum, & Cœlius Pannonis, Petrus Bulengerus, Seraphinus Firmanus, & nouissimè de nostra Societate duo homines Hispani, Frācisсus Ribera, & Blasius Viegas ex his apparet, nullū ferme librū esse Sacræ Scripturæ, qui tot in omni sæculo, tātorùmque scriptorū Commētarijs interpretatus, atque illustratus sit.

Thom. Anglicus. *Diony Carthusianus.* *Io Annius.* *Claudius à Mōte Martyrum.* *Cœlius Pānonius.* *Bulēgerus.* *Seraphinus Firmanus.* *Ribera.* *Viegas.*

4 Quod itaque à tam multis, & præclaris viris cum laude factitatū est, idem si nunc à nobis fiat, extra omnē profectò culpā, & reprehensionē poni æquum est. Nos igitur, nò timidè, nec ignauè, sed fidēter, atque alacriter munus hoc interpretandi Apocalypsim capessere, atque exequi cōuenit: primū quidē tot, & tā illustrium Ecclesiæ Doctorū exemplo incitatos, & auctoritate cōfirmatos: tum D E I freтos benignitate, cuius instinctu (sic iuuat credere,) libri huius interpretandi cogitationem, & consiliū suscepimus. Deinde gratia, & patrocinio eius Angeli, qui omnia in hoc libro descripta Dei mysteria B. Ioanni patefacit: atque ipsis quoque sancti Ioānis Apostoli, cui ea mysteria patefacta sunt. His quotidie nos, atque hoc nostrū studium, & conatū & laborem religiosè commendamus, & ab his studiosè, obnixèque petimus, vt recta nobis ipsi a Deo mysteriorū, quæ in hoc libro traduntur, intelligentiam impetrent: non quidem quantam ipsi habuerunt, id enim vel optare, hominis esset nimium arrogantis, atque etiam impudentis: sed talem, vt mens nostra Diuino munere collustrata, & recta, nusquam in tantis difficultatum tenebris offendat: id autem est, vt à Catholica veritate, ac pietate ne minimum quidem aberret. Illud etiam nobis quodammodo animū facit, & nonnihil addit fiduciæ, quòd nō prius enarrationē Apocalypsis inire sumus ausi, quàm assidua multorū annorum in tractandis diuinis Scripturis exercitatione, nostrum hoc qualecumque, & quantumcunque est, quod in eo studio adepti sumus, iam esset quādam velut canitiem, & maturitatem consecutum.

Si quis porrò fuerit, cui post tot, tantorùmque virorum, qui librū Apocalypsis in omni ætate diligēter, ac luculenter interpretati sūt, noster hic labor superuacaneus, et infructuosus, quin etiam nonnulli temeritatis, & arrogantiæ reprehensioni obnoxius fore videatur: volumus vt istis pro nobis respondeat, atque satisfaciat Rupertus, cuius in Prologo suorum Cōmentariorum in Apocalypsim verba, quæ ad rem hanc pertinent, huiuscemodi sunt: Sed dicet aliquis, Iā satis est quòd alij & meliores, & doctiores, & copiosiores inuenerunt, atque scripserunt. Illicitum est, temerarium est adijcere quippiam ad ea, quę à nominatis, ac Catholicis Patribus dicta sunt, atque ita fastidium legentibus facere augendo multitudinem Commentariorū. Verū ad hoc ita respondeo: spatiosus est Sāctarum Scripturarum 5

Non esse vituperandū Auctoris studium & conatum interpretandi Apocalypsim post tot eius interpretes. *Rupertus.*

rum ager, & omnibus Christi Confessoribus communis est, & tractādi illas nulli potestas negari potest, dummodo salua fide, quod sentit, & dicat, & scribat. Quis namque recte indignetur, eo quòd in eadem possessione post vnum, aut duos puteos, quos foderunt patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filij succedentes? Isaac certè alios puteos fodit præter illos, quos foderant serui patris eius Abrahæ, quos, illo mortuo, obstruxerāt Philisthæi. Nam postquam & illos rursum fodit, & ita eos, vt pater ipsius appellauit, subdit Scriptura: *Foderunt in torrente, & repererunt aquam vinam. Et profectus inde, fodit alium puteum.* Itaque iuxta hanc regulā, nobis quoque concedant, vt post illos puteos quos foderūt, id est, post illos tractatus, quos fecerūt patres, & maiores nostri, & nos, proprij vomere ingenij, alios fodiamus puteos: dummodo & nos aquam viuā reperire possimus, quæ nulli noceàt bibenti, nullique scandalum, vel errorem faciat legenti. Hæc Rupertus.

Genes. 26.

DISPVTATIO Secunda.

De Auctoris iudicio super nonnullis veterum in Apocalypsim Commentarijs.

Commentaria in Apocalypsim sub nomine B. Ambros. publicata, nō esse eius

6 FEruntur vulgo inscripta nomini B. Ambrosij Commētaria quædā in Apocalypsim, de quibus visum mihi est indicare lectori, quid ego sentiam. Equidem arbitror, Auctorem istorum Commentariorum non fuisse Beatum Ambrosium Episcopum Mediolanensem: huius rei & multiplex, nec vana est coniectura. Principio, tanta in istis Commentarijs dissimilitudo est Ambrosiani styli, vt nulli, Ambrosij scriptorum perito, ex officina Ambrosij opus istud profectum esse, persuaderi queat. In omnibus enim alijs (quæ Ambrosij esse constat) scriptis, similis sui, quod attinet ad orationis filum, est Ambrosius: in istis vero Commētarijs tanta est dissimilitudo styli, vt Ambrosianum habeat prorsus nihil. Deinde, istorum Commētariorum volumen manu scriptum, in cuiusdam monasterij bibliotheca primus omnium reperit Cuthepertus Tonstallus Dulensis Episcopus anno Domini M.D.XLVI. & octo post annos, typis Lutetiæ excusum edidit in lucem, vt intelligere licet ex eius Præfatione ad Lectorem, quæ præposita est istis Commentarijs. Ante id verò temporis, in omni præterita ætate, nullus priorum istiusmodi Commentariorum, tanquam Beati Ambrosij, vel mentionem, vel significationem aliquam fecit. Non Augustinus, scriptorum Ambrosij perquam studiosus, & curiosus lector, atque celebrator; non Beatus Hieronymus, non Gennadius, non Cassiodorus, nec Isidorus, qui scriptorum Beati Ambrosij indicem ediderunt. Adijce, quod Primasius, Beda, Asbertus, Haymo, & Rupertus, qui composuerunt in Apocalypsim Commentarios, in quibus priorum in eundem librum scripta, etiam hæreticorum hominum commemorare solent, nusquam Commentariorum Beati Ambrosij in Apocalypsim significationem vllam dederunt. Ad hæc, in istis Commentarijs nonnullæ reperiuntur beati Gregorij integræ sententiæ, ijsdem planè verbis, quibus in eius scriptis leguntur: quod minime obscurum facit indicium, Auctorem istorum Commentariorum posteriorem fuisse Gregorio, & ab eo fuisse sententias illas mutuatum: Sanctus porro Gre-

gorius ducentis circiter annis, posterior fuit B. Ambrosio Episcopo Mediolanensi. Nec illud non valet ad huius rei confirmationem, quòd Auctor istorum Commentariorum in enarrando caput decimumseptimum Apocalypsis, citat Commentarios Hieronymi in Danielem, appellans B. Hieronymum: ratio auté temporum ostendit, illos Hieronymi Commentarios in Danielé fuisse ab eo post Ambrosij mortem in publicum editos.

7 Sed istud est indubitatum huius rei argumentum, quod iste Auctor, in explanatione supradicti capitis memorat regnum Langobardorũ, qui vastarunt Italiam: at Langobardicum regnum post annũ quingentesimum quinquagesimum ab ortu Domini inceptum est; Beatus autem Ambrosius ante quadringentesimum ab ortu Domini annum excessit. Subscribam hic verba istius Auctoris, tam de Commẽtarijs in Danielem Beati Hieronymi, quàm de Langobardorum regno; explanás enim illa verba, quę dixit Angelus Ioanni: *Decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post Bestiam*; ita scribit: Quatuor bestiæ Danieli in visione demonstratę sunt, per quas quatuor regna figurabantur. Quarta autem Bestia, quæ erat fortis atque terribilis, Romanum designans imperium, decẽ cornua habuisse dicitur, per quæ ea regna, quæ Romanum Imperium destruxerunt, designata sunt, sicut B. Hieronymus, quorundam assertionem sequens, exponit. Eandem verò significationem habent decẽ cornua in hoc loco, quam & illa habuisse dicuntur. Significant quippe ea regna, per quæ Romanum Imperium destructum est. Parté namque Asiæ Romanis Persæ primitus abstulerunt; postea verò Saraceni totam subegerunt. Vandali Africã sibi vendicarunt: Gothi Hispaniã: Langobardi Italiam: Burgundiones Galliam: Franci Germaniam: Hunni Pannoniam: Halani autem, & Sueui multa loca depopulati sũt, quæ Romanorum ditioni subiacebant. Sic ille. Persuasum itaque sit lectori, Commentaria ista in Apocalypsim non fuisse B. Ambrosij Mediolanensis Episcopi. Sed quanquam auctor eorum non fuerit B. Ambrosius, quicumque tamen is fuit, in doctrina diuinarum Scripturarum egregiè versatus, & doctus fuit, scriptorque copiosus, atque luculentus: huius videlicet expositiones libri Apocalypsis tam litterales, quam mysticæ, sunt graues, atque frugiferæ, multùmque probabiles, atque laudabiles. Quocirca inter explanatores libri Apocalypsis, secundum litteralem quidem sensum, & hunc Auctorem, & Andream Cæsareæ Cappadocię Archiepiscopum, a quo plurima sumpsit Aretha; secũdum verò sensum mysticum, Rupertum, præ cæteris legendos esse arbitror.

8 Extant præterea nomine B. Augustini in operum eius Tomo nono decem & octo Homiliæ in Apocalypsim: de quibus quodnam fuerit Sixti Senẽsis in libro quarto Bibliothecæ iudicium, volò vt ex proprijs eius verbis lector cognoscat. sic autem ait: Scripsit B. Augustinus iam Episcopus Annotationum in Apocalypsim iuxta anagogem librum vnum. Quem librum nescio quis in Homilias decem, & octo di secuit, additis ante, & post aliquibus verbis, quibus incipere ac finiri solent Homiliæ: eo fortasse, vt ita diuisæ commodius in Ecclesia certis anni temporibus publicè recitari posset. Sed non est verisimile, B. Augustinum de rebus tam obscuris, tam breuiter ad populum dixisse. Hæc Sixtus. Patet itaque Sixtum putasse illas decem & octo Homilias, quantum ad id, quod in eis continetur, esse B. Augustini; sed ab alio, relicta forma Annotationum, sub

An. 18. Homiliæ i Apocalypsim quæ sunt i nono Tomo operum S. Augustini, sint eius. Six. Senẽs.

qua

qua fuerant ab eo factæ, transfiguratus esse in formam Homiliarum.

9 At ego assentior potius Doctoribus Louaniensibus, qui censuram fecerunt librorum S. Augustini, qui germani essent illius, qui autem alieni & spurij, breuiter ostendentes. In propria censura istarum Homiliarum asseueranter negant eas B. Augustini esse, & verò id meritò negant. Cui enim verisimile fiat istud opus esse Augustini, cum Possidius, qui per quadraginta annos familiariter vixit cum B. Augustino, & cui omnia eius scripta explorata, comperta, & perspecta erant, quorum etiam edidit Indicem, nullum de istis B. Augustini in Apocalypsim vel Annotationibus, vel Homilijs verbum fecerit? Primasius certè B. Augustini discipulus, in Prologo suo in Apocalypsim ait, se non fuisse contentum suis inuentis, sed quæcunque reperit testimonia libri Apocalypsis ab Augustino varijs in locis tractata, & explicata, ea suis Annotationibus adiunxisse. Si autem Augustinus opus aliquod scripsisset in Apocalypsim, id profectò non latuisset Primasium, & ex eo opere, se, quæ adiumento esse poterant, sumpsisse dixisset. Beda etiam studiosissimus, & obseruantissimus scriptorum B. Augustini, nec in Commentarijs suis in Apocalypsim nec alibi vspiam significauit, Augustinum composuisse opus vllum explanationis libri Apocalypsis: qui tamen, ne ab Hæreticorum quidem Commentarijs in Apocalypsim commemorandis abstinet.

10 Placet mihi Nicolai Zegherij, quem noster etiam Ribera secutus est, sententia. Arbitratur Zegherius, istas Homilias in Apocalypsim ascriptas B. Augustino, esse Commentarios Ticonij in Apocalypsim, sed, resectis cùm alijs, tum præcipuè ijs, quæ aliena erant Catholicæ doctrinæ; & in vsum Ecclesiasticum, transformatos esse in Homilias. Huius rei manifestũ & certum illud est indicium, atque argumentum, quòd Primasius, & Beda fatentur se non pauca ex Ticonij Commentarijs in suam Explanationem libri Apocalypsis trãstulisse: reperiuntur autem multa in eorum Commentarijs in Apocalypsim, quæ ijsdem verbis leguntur in istis Homilijs ascriptis Augustino. Et Primasius super illis verbis Capitis noni Apocalypsis: *Et numerus equestris exercitus*, refert quædam Ticonij verba, quæ prorsus eadem reperiuntur in istis Homilis, id est, Homilia septima. Beda quoque in Cõmentarijs suis in Apocalypsim plurifariam refert sentẽtias, & interpretationes Ticonij, quas omnes inuenire licet in istis Homilijs super eisdem locis libri Apocalypsis. Videat Lector Bedam super Caput Apocalypsis octauum, duodecimum, decimumquartum, decimumsextum, decimumseptimum, decimumnonum, & vigesimum. Ex his apparet Ticonij Commentarios, plurimis amputatis fuisse breuiatos, & à Catholicis correctos, & transfiguratos in Homilias.

Leguntur denique vulgo sub nomine beati Thomæ Aquinatis Cõmẽtaria quædam in Apocalypsim: sed a doctis Thomistis, & scriptorum B. Thomæ peritis reijciuntur, & ex albo librorum eius expungũtur. Putantur autem ista Commentaria esse Thomæ Anglici, qui fuit Ordinis etiam Prædicatorum, & ante ducentos annos vixit, vir doctus & pius, huius quoq; putantur esse Commentaria in Genesim, in Esaiam, & Ieremiam, & septem Epistolas canonicas, & in Boetium de Philosophica consolatione: quæ omnia beato Thomæ adscripta sũt. Quod per quandam æquiuocationem factum videtur; nam cum B. Thomæ tributum esset (honoris causa) Angelici cognomen, & inter Angelicum, atque Anglicum magna esset similitudo vocum, pau- 11

Commentaria in Apocalypsim nomine B. Thomæ inscripta, non esse eius, sed Thomæ Anglici.

 larim

latum effectum est, vt per incuriam, atque errorem, quæ erant Thomæ Anglici scripta, ea Thomæ Anglici titulo ornarentur; præsertim verò cum ea ratione operis fides, & auctoritas augeretur.

DISPVTATIO Tertia.

An conueniens fuerit, hanc B. Ioannis Apocalypsim litteris consignatam tradi Ecclesiæ Catholicæ.

12 FVIT profectò id maximè conueniens, atque vtile; quod Lectori nonnullis rationibus manifestum fieri potest. Omnem namque Scripturam diuinitus inspiratam, quę sacra & Canonica rite nominatur, rectum fuit tradi Ecclesiæ; siquidem ea conducit plurimũ ad Ecclesię confirmationem, eruditionem, consolationem, exhortationem, &, vbi opus est, correctionẽ, atq; reprehensionem. Nimirũ quod B. Paulus dixit, verissimum est; *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo* Dei, *ad omne opus bonum instructus.* Et quod alio in loco dixit; *Quæcumq; scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt, vt per patientiã, & consolationem Scripturarũ spem habeamus.* Scriptura porrò hæc Apocalypsis diuinitus est inspirata, & tradita B. Ioanni, & est sacra & Canonica; idq; (vt recentiora taceam) ante mille annos declaratum, & cõstitutum est pluribus in Concilijs, plurimisque summorum Pontificũ decretis firmatum, & plurimorum Patrum consensu, & auctoritate comprobatum. Qua de re luculentum extat quarti Concilij Toletani in capite 16. in hæc vorba decretũ; Apocalypsis librum, multorum Cõciliorum auctoritas, & Synodica Sanctorum Præsulum Romanorũ decreta, Ioannis Euangelistæ esse præscribunt, & inter diuinos libros recipiendum constituerũt. Et quia sunt, qui eius auctoritatem non recipiunt, eùmque in Ecclesia Dei prædicare contemnunt; si quis eum deinceps non receperit, vel à Pascha vsque ad Pentecosten, Missarũ tempore in Ecclesia non prędicauerit, excommunicationis sententiam habebit.

2 ad Cor. 3 — *Rom. 15.* — *Auctoritas libri Apocalypsis.* — *Toletanũ Cõc. IIII.*

13 Ac mihi quidem ad huius libri comprobationem, & commendationem, instar maximi est argumẽti, quod Dionysius ille Areopagita, discipulus B. Pauli, & sinchronos B. Ioanni ad quem in Patmo insula exulantem scripsit epistolam, non tum consolatoriam, quam laudatoriam, & de celeri eius ab exilio reuocatione quasi propheticam; hic, inquam, Dionysius, paucissimis quidem, sed grauissimis verbis Apocalypsim, & Euangelium Ioannis mirificè laudauit, illam appellans arcanam, & omnino mysticam visionem; hoc verò nominans altissimam Verbi Theologiam. Ergo si omnẽ sacram & Canonicam Scripturam conueniens fuit, Ecclesiæ commendari, & tradi; Apocalypsis autem scriptura est Canonica, & Sacra; hinc certè concluditur, fuisse consentaneum, eam litterarum monumentis consignari, & in sacrorum voluminum canonem adscribi, atque eius lectionem, vt admodum frugiferam, Catholicæ Ecclesiæ commendari.

S. Dionys.

14 Cæterùm nonnihil afferunt dubitationis illa B. Hieronymi verba, quæ sunt in centesima vigesimanona epistola eius ad Dardanum; Si, inquit, epistolã Pauli ad Hebręos, Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas; nec Gręcorum Ecclesiæ Apocalypsim Ioãnis, eadẽ libertate suscipiunt; nos ta-

Excutitur sententia quędam B. Hieronymi super libro Apocalypsis.

nos tamen vtramq; suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed vetustiorem scriptorũ auctoritatem sequentes, qui plerũque vtriusque Scripturę vtuntur testimonijs, non vt interdum de Apocryphis facere solẽt, quippe qui & gentilium litterarum non raro vtãtur exemplis; sed quasi de Canonicis, & Ecclesiasticis. Hæc Hieronymus: quibus verbis duas res affirmat Hieronymus: Primùm enim ait, Apocalypsim Ioannis fuisse ab antiquioribus scriptorib. Ecclesiasticis pro Canonica scriptura approbatam: quod profectò verissimũ est: hoc enim arbitrati sunt, & scriptis prodiderunt Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ hierarchiæ capite tertio, Iustinus martyr in Dialogo, quem habuit cum Tryphone Iudæo, Irenæus in libro quinto aduersus Hæreses, Hippolytus martyr de cõsummatione mundi, Theophilus Antiochenus apud Eusebiũ lib. 4. cap. 23. & 15. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi, Origenes Homilia 7. in Iosue, Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 4. c. 24. & 26. & lib. 7 cap. 23. Athanasius in Synopsi, Tertullianus de præscriptionibus Hæreticorum, c. 33. & in Scorpiaco, Cyprianus in libro aduersus Iudæos, Hilarius in Præfatione in Psalmos. Deinde ait B Hieronymus in suo tempore Ecclesias Græcas, & Græcos scriptores nõ recepisse Apocalypsim vt canonicam scripturam: quod sanè nõ paruam habet difficultatem. Epiphanius namque, qui eodem quo Hieronymus sæculo vixit, Apocalypsim non solum veneratur vt sacram Scripturam, sed ait, non ab alijs eam reijci, nisi ab Hæreticis, pręsertim verò ab Alogis, & Theodosianis. Chrysostomus verò, scriptor Græcus, sicut Epiphanius, & Hieronymi æqualis, Apocalypsim citat, vt sacram, & Canonicam scripturam.

Dionysius Areopag. Iustinus. Irenæus. Hipolytus. Theophil. Clemens Alexand. Origenes. Dionysius Alexand. Athanas. Tertullian. Cyprianus. Hilarius.

Epiphan.

Chrysost.

15 Ad hoc respondet Illustrissimus Cardinalis Baronius, Hieronymũ in illis verbis significare voluisse, tres Ecclesiæ Gręcæ perillustres Doctores, Basilium, Nazianzenum, & Nyssenum, qui videntur interdum abstinuisse à citando librum Apocalypsis, quasi sacra eius libri auctoritas non esset eis planè explorata & comperta. Nazianzenus certè pertexens Catalogum librorũ Canonicorũ, nullam Apocalypsis mẽtionem fecit, sicut nec Concilium Laodicenum, ob eam fortasse causam; quòd inter Canones, qui nomine Clementis habentur, Canon Apostolorum LXXXIV. in commemoratione librorum Canonicorũ non recenset, neque nominat librũ Apocalypsis.

Card. Baron Tom. 1. anno Domini 97.

16 Quanquam huic sententiæ, vel coniecturæ Domini Baronij, quam de Gregorio Nazianzeno, minime cõsentanea videri possent, quę scribit initio Commentariorum suorũ in Apocalypsim Andreas Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, vir Basilij, & Nazianzeni scriptorum obseruantissimus, & qui inter Explanatores, vt vocant, litterales libri Apocalypsis, primas facilè teneat. Sunt autem hæc eius verba: De libri Apocalypsis fide, & auctoritate, prolixe hoc loco differere superuacaneum arbitramur: constat enim, beatos illos viros, patresque nostros, Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinum, atque his multo vetustiores, Papiam, Irenæum, Methodium, & Hippolytum, Apocalypsis librum esse dignum fide, ac planè diuinum, non vno in loco tradere: quorum monumentis, occasione accepta, nos ad hoc consiliũ interpretandi Apocalypsim venimus, multasque sententias ab eorum scriptis, hisce nostris Commentarijs inseruimus. Sic ille.

Andreas Cæsarien.

DISPV-

DISPVTATIO Quarta.

De multiplici atque ingenti vtilitate, quæ ad sanctam Christi Ecclesiam ex libro Apocalypsis permanat.

17 VTilitatem libri Apocalypsis minimè vulgarem, sed ingentem, atque eximiam, satis indicauit Ioannes ipse, cum in exordio huius libri dixit: *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quę in ea scripta sunt*. Idemq; quã esset hæc scriptura pretiosa, & Deo cara, quantaque in veneratione haberi deberet, non potuit expressius ostendere, quam ostendit sub finẽ libri huius, inducens Dominũ nostrum verba hæc loquentem: *Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs*. Et paulò post hęc verba Ioannes minatur grauissima supplicia ijs, qui scripturam hanc, vel detrahendo aliquid ex ea; vel aliquid ei addendo, peruertere auderent: *Contestor*, inquit, *omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc; apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.*

Consilium Dei in tradendo Ecclesiæ Apocalypsim.

18 Verum vtilitas libri huius manifesta fit reputanti, & consideranti, quodnam fuerit Dei consilium in tradẽda Apocolypsi, voluit nimirum Deus per septem visiones, & Reuelationes descriptas in hoc libro velut adumbrare, ac significare omnem Ecclesiæ progressum, ac decursum ab eius ortu ad eiusdem in terris vsque occasum, in septem Ecclesiæ diuisum ætates, quæ per diuersa temporum interualla inter se distinguendæ erant, simulque voluit Deus significare omnes fermè perquam insignes, & memorabiles casus, euentúsque tam prosperos, quam aduersos, qui in singulis Ecclesiæ ętatibus futuri erant. Maximæ verò vtilitatis, atque voluptatis fuerit, omnia hæc quasi è specula quadam per hanc Apocalypsim tãquam vno aspectu prospicere: & aduersus mala, quæ in hoc libro prędicuntur ventura, cum suo quodque tempore ingruerit ex tali præuisione, ac prænotione, ad id mali præferendum, atque etiam superandum, benè pręparatum animum, et præmunitum habere.

Et verò non decuit, Scripturam 19
veteris Testamenti pleniorem, ac locupletiorem esse, quàm noui Testamenti: sicut enim in nouo Testamento copiosior, & abundantior fuit gratia, quam in veteri Testamento; ita non decuit ieiuniorem, atque angustiorem esse doctrinam. Scriptura porrò veteris Testamenti quadripertita est: vna est legalis in quinque libris Mosis: altera est historica in libris Regum, & alijs in quibus narrantur historiæ: Tertia est moralis in libro Iob, & in libris, qui vulgo appellantur Sapiẽtiales: Quarta est prophetica apud quattuor Prophetas maiores, & duodecim minores. In nouo autem Testamento habemus doctrinam legãlem, id est, legis nouæ, & Euangelicæ in quatuor Euangelijs; habemus historicam in Actis Apostolorum: habemus moralem in epistolis Apostolorum; nec sanè debuit deesse quartum doctrinæ genus, id est, propheticum. Non est autem alia in nouo Testamento prophetica Scriptura præter Apocalypsim: ergo Apocalypsis necessario tradenda fuit ad complementum doctrinæ noui Testamenti.

Iam verò, cum de priori Christi 20
aduentu, & de rebus ad Synagogam pertinentibus complures fuerint

rint pernobiles in vetere Testamento scripturæ propheticæ; consentaneum profectò, & condignum fuit, de nouissimo Christi aduentu, & de ijs, quæ ad diuersos Ecclesiæ status, pro varietate temporum, spectabant, aliquam in nouo Testamento scripturam extare propheticam. Quod si illud verè dictum est à quodam Propheta: *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas*, cum tam multa, & tam multa, & tam insignia facturus esset Deus in Ecclesia sua, vel fieri permissurus, iam inde ab ortu eius, ad exitum vsque ipsius ex hoc mundo; fuit sanè conueniens ea reuelari Prophetis suis, eàmque reuelationem tradi scriptis, & perpetua fidelium omnium memoria, & religione custodiri: huiusmodi autem reuelationes continet liber Apocalypsis. Si Deus misit Agabum Prophetam, qui futuram toto in orbe terrarum famem prędiceret, in subsidium Christianorum, & labores, ac persecutiones, quæ Apostolum Paulum manebant Ierosolymis prænunciaretq; quanto conuenientius fuit præmitti Prophetam aliquem, & præscribi prophetiam, qua persecutiones, & calamitates consequentibus sęculis vsq; ad mundi finem Ecclesiæ Christi, & fideli populo euenturæ præsignarentur, ac præmonstrarentur?

Actor. 11. & 21.

DISPVTATIO Quinta.

De septem Ecclesiæ Christi futuris aduersitatibus maximè insignibus, totidemque prosperitatibus, quæ in libro Apocalypsis fuisse videntur prædictæ.

21 NON minorem Deus curam gerit Ecclesiæ Christi, & populi Christiani, quā olim gessit Synagogę, & populi Hebræi. Pertinet autem ad singularem beneuolentiam, qua Deus populum suū complectitur, & ad exactam prouidentiam, qua eum regit, & tuetur, vt insigniora quæ euentura sunt ei, tā prospera, quàm aduersa ante prænunciet, & prædoceat eum: quo videlicet & in secundis rebus modestè, ac piè se gerat, metu futurorū malorum; nec in aduersis rebus desperatione frangatur, firmatus, erectúsque spe futurorum bonorū; sed tutus inter spem, atque metum semper incedat. Atque hoc quidē factum esse cernimus in veteri Testamento circa populum Hebræū, cui Deus prædixit, eásque prędictiones publicis Scripturis testatas constare voluit, futuras eius notabiles admodum & calamitates, & prosperitates.

22 Septem porrò fuerunt perquam insignes Iudaici populi aduersitates, atq; hæ omnes & prædictæ sūt ei, & præscriptæ. Prima fuit calamitas, q̄ passi sunt ab Ægyptijs, q̄ prædicta à Deo est Abrahæ Genes. 15. Secunda fuit tempore Iudicum, quam passi sunt à finitimis Gentibus, per Mosen, & Iosue prænunciata. Tertia fuit in discisione regni Iudai-

De septem magnis prosperitatib. atque aduersitatib. populi Hebræi.

Iudaici, separatis decem tribubus a regno Iudæ, & prædicta est in tertio libro Regum, capite 12. Quarta, in captiuitate decem Tribuum, prędicta per aliquot de Prophetis minoribus. Quinta, in captiuitate Babylonica reliquarum duarum tribuum, quam prædixit Ieremias. Sexta in persecutione regis Antiochi Epiphanis, aliorùmque regum Syriæ, per Danielem capite octauo, & vndecimo prædicta. Septima, in perpetua Iudaici regni desolatione, quæ à Romanis accidit Iudæis, sicut prædictum est à Daniele capite nono.

23 Fuerũt etiam in populo Hebręo septem valde memorabiles prosperitates, etiam à Deo per Prophetas ei populo prædictæ. Harum prima fuit in liberatione Iudæorum à seruitute Ægyptiaca, tot, tantisque factis prodigijs, & miraculis: eamque Deus fore prædixit Abrahæ Genes. 15. Secunda fuit in admirabili donatione, & promulgatione legis diuinæ in monte Sina, per quam Respublica Iudæorum formata, & constituta est. Tertia fuit in expugnatione, ac possessione terræ Chanaan, Iudæis promissæ, exterminatis inde antiquis eius terræ habitatoribus, atque possessoribus. Quarta fuit in dilatatione, & exaltatione regni Iudaici per Dauidem, & Salomonem, & in amplissimi templi ædificatione, cultùsque diuini ordinatione, & exornatione. Quinta, in liberatione Iudæorum a captiuitate Babylonica, & in recuperatione Ierosolymitanæ vrbis, & tẽpli. Sexta, in vindicatione Iudęorum à seruitute in libertatem, per duces Machabæorum facta. Septima, omniumque maxima (si eam Iudæi cognouissent, & amplexi fuissent) in aduentu Messiæ, qui apud ipsos natus, & cum ipsis conuersatus, plurimis & amplissimis eos beneficijs affecit. Atque hęc quidem Synagogæ, ac populo Hebræo contigerunt.

Exod. 14.

Infra 19. & 20.

Cùm autem horum similia in Ecclesia Christi, & populo Christiano futura essent, rectum profectò, & condignum fuit, ea diuinitus prædici, & sanctis Scripturis consignari, fideliterque, & religiosè custodiri. Enimuerò septem quoq; fuerunt memorabiles admodum in Ecclesia Christi, & populo Christiano per diuersa temporum interualla futuræ aduersitates, & prosperitates ab eius exordio ad eius finem, atque occasum in terris. Primam aduersitatem exoriens Christi Ecclesia passa est à Iudæis: Secundam à Romanis Imperatoribus per decem eorum persecutiones: Tertiám ab Hæreticis, & Apostatis, eorùmque fautoribus Principibus, vt olim ab Arrianis, & ab Imperatore Constantio & Iuliano Apostata, & Valente Arriano, & ab Imperatoribus Gręcis Sacrarum Imaginum hostibus, & hoc nostro sæculo a Lutheranis, & Caluinistis, & à Regibus Angliæ. Quartam à Barbaris gentibus, vt Persis, Gothis, Vvandalis, Langobardis, à Saracenis, & Turcis, quæ adhuc etiã ceruicibus nostris incumbit. Quintam, in diuisione Imperij Romani in Orientale, & Occidentale, & in discessione Ecclesiæ Græcæ à Romana, & Latina. Sextam aduersitatem patietur ab Antichristo: Septimam à demortui Antichristi reliquijs, id est, a crudelissimis Gentibus, ex varijs, & longinquis terrarum regionibus ad perdendum fidelem, & pium populum congregandis, & atrocissima cum eo prælia facturis: quas Gentes B. Ioannes in capite vigesimo libri Apocalypsis vocabulis, Gog, & Magog præsignauit. 24

Septem per insignes Ecclesię Christi aduersitates, totidemq; prosperitates.

Ex aduerso autem septem erant 25
futuræ perquam memorabiles in Ecclesia Christi prosperitates. Ac prima quidem, & maxima fuit Ecclesiæ prosperitas spiritualis in septuplici hominum genere, siue statu, qui omni genere virtutũ, amplissimis-

Septem Ecclesię prosperitates.

plissimisque donis Spiritus sancti abundantes ac præcellentes, per diuersa temporum spatia, maiorē in modum Christi Ecclesiam propagarunt, confirmarunt, illuminarunt, reformarunt, condecorarunt, atque defenderunt. Et horum quidem septem, quos dixi, statuum primus fuit Apostolorum; secundus Martyrum, tertius Doctorum, quartus Anachoretarum, & Monachorum; quintus optimorū Ecclesiæ Pastorum, & Pontificū; sextus Sacrarum Virginum; septimus Religiosorum virorum, præcipuè insistentium conuersioni hominum ad Deum; qui exemplo vitæ, ardoreque Spiritus, & assidua, ac feruenti prædicatione diuini verbi, plurimum Ecclesiæ Christi profuerunt: tales fuere Religiosi, & sancti Ordines Fratrum mendicantium; & in hoc sæculo nostra Societas, vt nouissima, sic etiam minima.

Quæ bona Eccl. Christiana acciderint ex cōuersione ad Christū Constantini Magni.

26 Altera Ecclesiæ prosperitas fuit in admirabili conuersione ad Christum Imperatoris Constātini Magni: Vnde generalis extitit pax totius Ecclesiæ, atque eius per vniuersum terrarum orbē dilatatio. Tunc libera, vbilibet gentium, & locorum facta est prædicandæ fidei Christi, & publica ad cultum eius fabricandi templa potestas. Tunc primùm illata est in Ecclesiā Christi, & in populum Christianum Maiestas Imperialis; & duplici gladio aduers⁹ hostes suos armata est Ecclesia; altero corporali, penes sæculares, & Christianos Principes; altero spirituali penes Ecclesiasticos præsules, maximè verò penes summum Pontificem, & Romanum Episcopum. Nam et si ab initio eum gladium habuit Ecclesia, tunc primum tamen eū liberè, ac publicè, atq; in quoslibet exercendi, facilitas, & commoditas data est. Tunc nomen Christi, & Christianorum hominum, antea inglorium & inhonoratum apud Gentes, quin ēt inuisū, & exosum, execratūq; cœpit esse gloriosū, & venerabile, & amabile.

Tertia prosperitas fuit tēpalis: ea 27 verò fuit incredibilis opulentia, & magnificentia Ecclesiæ, ædificatis vbiq; terrarum amplissimis, & ornatissimis, atq; opulentissimis templis, cultuq; diuino, & Ecclesiastico mirandū in modū amplificato, & exornato. Nimirū tunc impletum est vaticinium Esaiæ, qui de Ecclesiæ opulentia, & magnificētia sub figura, & noīe Ierusalem loquens: *Erunt*, inquit, *reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis: pro ære afferent tibi aurū, pro ferro argētum pro lignis æs, & pro lapidib. ferrū.*

Locus Isa. 49. & 60.

Ad quartā Ecclesiæ prosperitatem pertinet, quòd in ea fuere nō 28 pauci optimi Imperatores, & Reges, insigni iustitia, & pietate præstātes, & acerrimi defensores Ecclesiæ Catholicæ, & Catholicæ fidei, & religiōis, ac disciplinę Christianæ eximij cultores, & propugnatores, atq; propagatores. Talis fuit magnus ille Theodosius Imperator, & Carolus Magnus, & Carolus V. afflictæ in his temporibus Ecclesiæ ingens & præsidium, & decus. Huius & fili⁹, Philippus II. & nepos Philippus III. Catholici Reges, vt superiores omnes Principes, amplitudine Imperij, & potentiæ magnitudine, & diuitiarū abundātia: ita ēt morū integritate, regiaq; prudentia, & Christiana iustitia, & pietate nullo priorū inferiores fuerunt. Quos, reor equidem, in hoc tam calamitoso sæculo nostro, in magnū Ecclesiæ Christi subsidium, & solatium, atq; ornamentum, singulari consilio, & benignitate Dei esse datos.

Carolus V.

Philipp. II. & III. reges Cathol.

Ad quintam prosperitatem Ec- 29 clesię Christi referri possunt complures, & perinsignes, ac percelebres victoriæ de hostibus Ecclesię, tum Paganis, tum Hæreticis, non tam humanis viribus, atque

opibus,

opibus, quàm manifesto Dei auxilio comparatæ; quales fuere sub Constantino aduersus Maxentiũ, sub Theodosio aduersus Eugeniũ: sub Heraclio aduersus Cosroam Persarum regem, & item sub Carolo Magno, & in bello sacro pro recuperatione Terræ Sanctæ, & sub Carolo Quinto aduersus Germaniæ rebellionem, & de Hæreticis in Gallia sub Christianissimo Carolo nono, & in Belgio sub Catholico rege Philippo secundo. Inter has porrò populi Christiani victorias, illa præcipuè memorabilis, & prædicabilis, omnique æuo celebranda est de Turcis victoria nauaIis, anno M. D. LXXI. mensis Octobris die septimo, & virtute militum Christianorum, & ducũ, maximè verò DEI ope, ac protectione parta.

30 Sextam, & septimam prosperitatem, proprias esse dixerim huius sæculi. Sextam quidem non ineptè appellabo inuentionem noui orbis Occidentalis, & inæstimabilem argenti, & auri vim, & copiam quasi perennem inibi repertam: &, quod super omnia est, innumerabilium gentium, & populorum ad fidem Christi conuersionem. Nec magnam quoque non fuisse Ecclesiæ prosperitatem putauerim officium Sanctæ Inquisitionis: ex quo tanta in Ecclesiã Christi redundauit vtilitas, vt quod in Hispania, plurimisque Imperio eius subiectis prouincijs, tam Imperium ipsum, & dominatio sæcularis, quàm religio Christiana, & Catholica fides, & integra, & incontaminata non modo stet, verũ etiam vigeat, ac floreat, huic magna ex parte acceptum referri debeat. De futuris autem in posterũ, & in finem vsque mundi maximis Ecclesiæ Christianæ aduersitatib. & prosperitatibus nihil certi possumus dicere; certa enim futurarum rerum humanarum cognitio, sine Dei aliqua singulari reuelatione, teneri à nobis non potest. Nos tamen in explanatione huius libri Apocalypsis, vbicumque istiusmodi aduersitates, & prosperitates adumbratæ, figurateque videntur significari, probabiles quasdam, & nostras, & aliorum Doctorum coniecturas exponemus.

Inuentio et possessio noui orbis.

Officium Sanctæ Inquisitionis.

31 Cum igitur supradictas aduersitates, & prosperitates Ecclesiæ, habere præuisas, atque præcognitas, magni sit momenti, ingentisque vtilitatis, eas verò, præcipuas certè atque insigniores B. Ioannes in Apocalypsi sub diuersis suarum visionum imaginibus adumbrauerit, & insinuauerit: quis nõ perspicuè intelligat, conueniẽtissimum, atque vtilissimum fuisse, hanc Apocalypsim litteris commendatã Ecclesiæ tradi? Simul & illud apparet, conueniẽs fuisse, vt scriptor earum reuelationum esset B. Ioãnes Apostolus. Nam si Danieli propter singularem, & planè virgineã tam animi, quàm corporis puritatẽ, & quia vir desideriorum erat, conueniẽs fuit reuelationes fieri tot mysteriorum ad priorem Christi aduentum pertinentium: cum res vtraque re fuerit in B. Ioanne non solum non inferior, sed etiam superior: dignus profectò fuit, cui reuelationes diuinitus fierent mysteriorum, quæ ad posteriorem Christi aduentum, & nouissima Ecclesiæ tempora spectant. Liber porrò Apocalypsis inter Sacros noui Testamenti libros, extremum locũ merito tenet. Nam & post alios omnes (vno dumtaxat eiusdem Ioannis excepto Euangelio) scriptus est; & præcipue agit de vltimis Ecclesiæ, ac mundi temporibus.

Dan. 9. & 10.

†††
†

DISPV-

DISPVTATIO Sexta.

Super obscuritate libri Apocalypsis.

32 Obscurissimum esse librum Apocalypsis, omnes dicunt; &, nullo dicente, res ipsa loquitur. Tentanti enim visiones in eo libro descriptas intelligere, quo magis, magisque rimari eas, & scrutari conatur, videntur magis incomprehensibiles. Nec eam obscuritatem discutiunt tam multi eius libri interpretes: quin etiã perlectis omnibus, magna nihilominus ad intelligendum obscuritas manet, atque difficultas. In hũc itaque librum benè quadrat, quod Angelus Danieli de visionibus ei factis dixit: *Tu Daniel signa librum vsque ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*: & quod legitur apud Isaiã. *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati; quem cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum, & respondebit: non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras: dicetur͏́que ei, lege: & respondebit, nescio litteras.* Ac nec ipse B. Ioannes dissimulauit obscuritatem suę Apocalypsis. Nam quò significaret difficillimũ intellectu esse quod scribebat, excitans subinde attentionem Lectoris, vel auditoris ad intelligendũ, compluries dixit illud: *Qui habet aures audiendi audiat*, & alio in loco: *Hic est Sapientia*, & alibi: *Qui habet intellectum, computet numerum nominis Bestiæ*. Dionysius certè Areopagita Apocalypsim beati Ioannis appellauit arcanam, & omnino mysticam visionem.

Dan. 12.

Isaia 29.

B. Dionys. Eccl. hier. cap 3.

33 Sed memorabilis est super hac ipsa re Dionysij Alexandrini sententia; qui quamuis esset vir magno ingenio, excellentique doctrina prædictus, de Apocalypsis tamẽ obscuritate hunc in modum loquitur apud Eusebium: ego de Apocalypsi hanc mecum opinionem concepi, longè abstrusiorem esse insilla materiam, quàm mens mea facilè consequi queat; & in singulis propè sententijs, sensum quendam mysterijs inuolutum, & valde admirabilem delitescere existimo. Et quanquam eum ipse nõ intelligo, suspicor tamẽ intellectum quendam reconditiorem verbis ipsis esse inclusum, atque eas res non propria ratione metior, & põdero, sed fidei potius tribuo, & altiores, & diuiniores arbitror, quã vt eas ipse valeam cogitatione cõprehendere. Nec ideo eas improbo, quia non intelligo, sed eo magis admiror, quòd eas mentis acie lustrare non queo: non enim ex eo sensu, qui nobis in promptu positus videtur, visiones illas aut debere, aut posse intelligi per se manifestum est. Hæc Dionysius de obscuritate Apocalypsis, & scitè admodum, & prudenter, & piè.

Dionysius Alexandr. apud Eus. lib. 7 Hist. Ecc. cap. 20

Non igitur obscuritas libri Apo- 34
calypsis facere debet, vt ea scriptura minori sit apud nos in pretio, atque honore; immo ea ipsa diuinorum mysteriorum obscuritas admirabiliorem nobis eum librũ, & venerabiliorem debet reddere. Posset itaque in librum Apocalypsis aptè dici, quod fertur dixisse Socrates de scriptis Heracliti, qui propter nimiam obscuritatem cognomiuatus est σκοτεινός. Cũ enim Socrates oblatum sibi ab Euripide librum Heracliti legisset, quid ipsi de eo libro videretur ita respõdit Euripidi, ea quæ ipse intellexisset, visa esse sibi valde generosa, & preclara: credere aũt se, talia item esse quæ non intellexisset, sed ea tamẽ Delio quopiam natatore indigere. B. Hieronymus in epistola, quã scripsit

Scitum de Heracliti scriptis Socr. dictum.

B. Hierony.

scripsit ad Paulinum, paucis verbis immensam Apocalypsis obscuritatem expressit; Apocalypsis B. Ioannis (ait Hieronymus) tot habet Sacramenta, quot verba: parũ dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligẽtiæ. Sic Hieronymus. Quidam putant de libro Apocalypsis vsurpari posse, quod de quadratura circuli trito sermone iactatur; eã quidẽ esse scibilem, sed nondum tamẽ eius repertã esse scientiã: similiter Apocalipsim B. Ioãnis esse intelligibilem, atque interpretabilem, alioquin frustra esset scripta, sed germanam tamen, & propriam omnium eius mysteriorum intelligentiam, atque interpretationẽ, non videri adhuc esse inuentam.

DISPVTATIO Septima.

De causis supradictæ obscuritatis libri Apocalypsis.

35 QVÆ sint causæ, ex quibus oritur præcipuè obscuritas libri Apocalypsis, indicãdũ Lectori est. Prima causa: Omnis prophetia, & futurarum rerum prædictio, priusquam impleatur, (inquit Irenæus) ęnigma est, postquã verò impleta fuerit, facilem habet intelligentiam, & expositionem. Patet hoc exemplis prophetiarum veteris Testamenti de venturo Messia; quæ, quoniam in Christo sunt iam impletæ, nobis Christianis faciles intellectu sunt. Iudæis autem, & qui præcesserunt aduentum Christi, & qui etiam nunc Messię aduentum expectant, fuerunt, & sunt obscurissimæ. Verissimum enim est illud, quod dixit Paulus; Iudæis non credentib. in Christum velatas esse scripturas, sicut velata illis erat facies Moysi; vbi verò crediderint in Christũ, protinus auferri eis velamen. Cũ igitur Apocalypsis contineat prophetias rerum futurarum, præsertim verò eorum, quæ sub finem mundi euentura sunt; quid mirũ si ad intelligendum & obscura sit Apocalypsis, & tanquam ænigmatica?

Quinque causæ obscuritatis libri Apocal.

Irenæus li. 4. cap 44.

Locus 2. ad Corinth. 3. Exod. 34.

Secundã causa; Certum est, earum visionum, quæ narrantur in Apocalypsi, litteralem sensum nõ eum esse, quem verba ipsa secundum propriam eorum significatiõnem sumpta præ se ferũt; alioquin continerent res impossibiles, & perabsurdas, vti sunt illa; animalia loqui, mulierem amictam Sole, & pedibus suis calcare Lunam, & habere alas, & volare, & alia id genus permulta. Oportet igitur, imaginarias illas visiones, esse figuras quarumdam rerum, quæ per illas opertè, adumbrateq; figurantur. Quæ autem sint res illæ, quæ per illas figuras, & imagines propriè significantur, incertum est iudicium, dubia coniectatio, anceps, & infirma ratio: quippæ cum illæ visiones atq; imagines, ad res multas, & inter se admodum diuersas aptè, commodèque applicari posse videantur: vt cernere licet in libro illo septem sigillis signato, qui ostensus est Ioanni; & in visione septem Angelorum tubis canentium, & aliorum septem phialas iræ Dei gestantium, & mulieris amictæ Solæ, & similiter in alijs. 36

Apocal. 12.

Apocal. 5.

Tertia causa: vult Deus prophetias manere occultas, nec planè cognitas vsq; ad id temporis, quo impleri, & perfici debent quę prophetata sunt. Quã ob causam Danieli Angelus dixit; *Tu Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibũt, & multiplex erit scientia*: & paulò post hæc: *Vade Daniel, quia clausi sũt, signatique* 37

signatique sermones, & signa librum usq; ad tempus præfinitum. Cum autem appropinquauerit tempus, quo euẽtura sunt quæ sunt in Apocalypsi prædicta, tunc mittet Deus Prophetas, & Doctores ad prædocendum Ecclesiam, & populum suum, & aduersus mala ingruentia præmuniẽdum. Tunc de priorum interpretum expositionibus verum fiet iudicium, & quæ fuerit visionum huius libri germana interpretatio, ex conuenientia eius cum rebus ipsis, euentisque liquido cognoscetur.

Matth. 7. 38 Quarta causa. Vult Deus suas prophetias non esse quibuslibet hominum perdias: vel quia ita decet, nõ enim condignum est sancta dari canibus, & margaritas proijci ante porcos: vel quia non expedit eas ꝓphetias a quibuslibet intelligi; ne scilicet contra quos multa per illas prophetias prædicuntur, illi vehementius acerbentur, atque asperẽtur, & aduersus Dei populum sæuiant atrocius. *Matth. 13.* Quocirca Dominus noster in parabolis loquebatur Iudæis, & Ioannes in hoc libro Apocalypsis cap. 17. multa sub imagine meretricis purpuratæ, & sub nomine Babylonis aduersus Romam tũc deditam, & mancipatam Idololatriæ, & aduersus Imperatores Romanos acerrimos insectatores Christianæ religionis, & crudelissimos Christianorum hominum hostes figuratè, velateque vaticinatur.

39 Quinta causa. Cõmune est huic prophetiæ cum alijs prophetijs veteris Testamenti, nec in ordinanda visionum serie, nec in tractatu, explicatuque cuiusque visionis rectũ aliquem, & distinctum, ac perpetuum seruare ordinem vel temporum, vel locorum, vel rerum gestarum, vel dignitatis negotiorum; aut personarum; sed frequenter vsurpare anticipationes, & recapitulationes, id est, priora postponere, & anteponere posteriora: crebris etiam, & subitis vti transitionibus ex vno in aliud, vel simile, vel dissimile; & ex figura transire ad rem figuratam, vel e contrario. Et cum aliquid fuerit cœptum dici, & declarari, repente, eo prætermisso, transire ad alia; atque illis non perfectè declaratis, rursus ad priora resilire. Hæc autem ordinis commutatio, & perturbatio, & non continuata rerum tractatio, valde obscurat eorum, quæ dicuntur, sententiam, & legentium turbat, atque confundit intelligentiam. Hoc tamen consulta opera fit in prophetijs, vt sine DEI SPIRITV, quo illæ sunt conditæ, sint mortalibus impenetrabiles; & ne diuina prophetia, tanquam aliquod humani ingenij, & rationis, & prudentiæ inuentum, atque institutum putetur.

DISPVTATIO Octaua.

Super sexta causa obscuritatis libri Apocalypsis, quæ oritur ex multiplici admodum, & diuersa ratione interpretandi Apocalypsim, quam libri eius explanatores secuti sunt.

RATIO & modus interpretandi Apocalypsim (quantum in omnibus eius libri explanatoribus obseruare adhuc potui) quadruplex videtur posse notari, ac distingui. 40 Prima ratio interpretandi est, ita visiones, quæ sunt in hoc libro, tractare, ac declarare, quasi essent rerum iam gestarum narrationes, ac non potius essent prædictiones quædam propheticę rerum gerendarum obscurissimis imaginibus, et similitudinibus inumbratæ: prætermisso itaque litterali earum visionum sensu, tanquam per se manifesto, ꝑmulti nudas sententias, &

verba ipsa per se sumpta, ad varias allegorias, ac mysticas interpretationes applicant, cum tamē sensus mysticus, is tantùm probabilis sit, qui sumitur ex analogia ad sensum litteralem. Hanc porrò interpretandi rationem qui secuti sunt, non videntur considerasse, quid tota ipsa visio significet, & ad quem finem referenda, & ad quem sensum, atque intellectum dirigenda sit: sed partes eius distinctè, ac separatim, quasi à corpore diuulsa membra, pertractant. Hinc verò fit, vt perlectis longissimis istorum Commentarijs, nihilo plusquam antea, visiones B. Ioannis Lector intelligat, quod verum, & proprium litteralem sensum earum visionum ex istiusmodi Commentarijs cognoscere non potuerit. Hanc autem viam & rationem interpretādi Apocalypsim, magna in parte tenuerunt Ticonius, vt licet intelligere ex illis decem & octo Homilijs in Apocalypsim B. August. inscriptis, de quibus supra dictum est; & Primasius, & Beda, & Haymo, & Rupertus, & Ansbertus, aliique. Quanquam inter istos, & in isto genere interpretādi, facile primas, meo iudicio, tenet Rupertus: nimirum interpretatio eius videtur copiosior, & grauior, atque prudentior, & varijs, eruditisque disputationibus ditior, ob idque probabilior, atque laudabilior.

Ticonius. Primasius. Beda. Haymo. Anselmus. Rupertus.

41 Altera interpretandi Apocalypsim ratio est quorundam minimè ignobilium scriptorū, aut omnes, aut certè plerasque visiones B. Ioānis in hoc libro descriptas, interpretari de nouissimis Ecclesiæ temporibus, & de Antichristi persecutione, & de vltimo Christi aduētu ad iudicandum, quasi hoc tantùm in sua Apocalypsi B. Ioannes cognouerit, & scriptis tradiderit. Hanc secūdam interpretandi rationem fere secutus est Victorinus martyr, & pluritariam venerabilis Beda, & Albertus Magnus, & in ea ipsa plurimum noster Ribera versatur. At enim hoc genus expositionis, præterquam quod nimis restringit, & coarctat doctrinam Apocalypsis ad vltimam tantùm Ecclesiæ ætatem, & persecutionem; sunt præterea in Apocalypsi non pauca, quę ad vltimum tempus, & ad persecutionē Antichristi vel nullo modo, vel non nisi violentè, atque inepte applicari queant.

Victorinus. Beda. Albertus. Ribera.

Tertiam viā interpretandi Apocalypsim ingressi sunt Ioachimus Abbas, annos abhinc quadringentos, & Vbertinus Casalensis ante annos ducentos, & in hac nostra ætate Seraphinus Firmanus: qui suis quisque temporibus habiti sunt viri admodū religiosi, & spirituales, & contemplatiui; quinetiam nonnulli eorum prophetico spiritu afflati. Hi per septem visiones Ioannis in hoc libro cōmemoratas præsignificari, & denotari putarunt septem status hominum, qui per diuersa Ecclesiæ tempora, & quasi ætates eius, magno ipsi Ecclesiæ adiumento, atq; ornamento futuri erāt. 42

Ioachimus Abbas. Vbertinus Casalen. Seraphinus Firmanus.

Istorum autem septem, vt dixi, statuum primus fuit Apostolorū fundantium Ecclesiam: Secundus Martyrum, eam sanguine suo fęcundātium: Tertius Doctorum, eam illuminantium, & ab erroribus defendentium: Quartus Anachoretarū, & Monachorum: & Quintus Virginum per contemptum omnium rerum temporaliū, & repudiationem omnium carnalium voluptatum, & proprij corporis mortificationem, suique abnegationem valde perficientium Ecclesiam Dei. Sextus status est optimorum Pontificum, & Pastorum Ecclesiæ populum Christianum regentium, atq; corrigentium: septimus est religiosorum virorum exemplo vitæ, & sanctitate conuersationis, & frequenti, ardentique prædicatione diuini verbi populum fidelem reformantium, atque renouantium secundum pristinam pietatem, at-

Septem hominum perinsignium status in Ecclesia futuri.

que

que sanctitatem. Hæc isti.

43 Sed cum vellent ipsi septem istos hominum status in vna qualibet visionum B. Ioannis omnes designari, per difficile eis fuit, partes cuiusque visionis ita distinguere, vt suo quæque statui propriè, ac distinctè, apteque responderet. Deinde, isti tanquam prophetantes de temporibus, & rebus eorum ætatem longè post consecuturis, quædam prædixerunt ante nostram ætatem esse ventura, quæ adhuc nequaquam euenerunt.

44 Quartam, & vltimam interpretandi viam, & rationem instituerũt Petrus Aureolus, & Nicolaus de Lyra, & nullibi Dionysius Carthusianus, & ex professo Ioannes Annius Viterbiensis, qui ante annos paulo plus centum excessit. Isti totum Ecclesiæ processum, & quasi æuum, ab eius exordio vsque ad Mundi consummationem, secundum numerũ sex visionum B. Ioãnis partiuntur in sex temporum futurorum spatia (quasi dixeris ætates Ecclesiæ.) Nam etsi septem sũt visiones B. Ioannis in hoc libro descriptæ, primam tamen isti omittunt, quòd ea spectaret ad præsens illud Ecclesiæ tempus, in quo Ioannes & accepit, & scripsit Apocalypsim: nec illa est generalis ad vniuersam pertinens Ecclesiam, sed ad illas septem dumtaxat, quæ erãt in Asia, Ecclesias. Placet itaque istis, sex illas B. Ioannis visiones, & secundum numerum, & secundum ordinem, & secundum veritatem rerum quasi figuratè adumbratas, respondere illis sex temporum, siue ætatum Ecclesiæ diuisionibus. Quæcumque igitur valde insignia, & memorabilia tam prospera, quàm aduersa circa Ecclesiam Christi in prima eius ætate contigerunt, ea putant esse præsignata per secundam visionem, quæ est de libro septem sigillis signato, & quæ in secunda ætate acciderunt, Ecclesiæ, figurata esse arbitrantur per tertiam visionem, quæ est de septem tubis; & similiter deinceps in alijs. Hæc isti.

Aureolus. Lyranus. Annius Carthusianus.

Sed enim ratio hæc interpretandi Apocalypsim, duplicem difficultatem, duplexque habet incommodum: Primum enim isti in accommodanda prophetia cuiusque visionis ad historiam ætatis ei visioni respondentis, sæpenumero laborant, & sudant vehementer, quòd verba, & sententiæ B. Ioannis non nisi ægrè admodum, & violẽter rebus illis aptari queant. Nec profectò fit verisimile sanctum Ioãnẽ voluisse significare eas res, quæ ab istis memorantur, scilicet admodum viles, & ignobiles, atque obscuras, prætermissis rebus alijs memoratu dignioribus. Deinde, in eo quoque falsi sunt, quod priores quinque visiones vsque ad sua ferme tempora deduxerunt, applicando eas ad res iam in Ecclesia ad id vsque temporis gestas: tempus verò, quod post ipsorum ætatem futurum erat, adumbrari censuerunt per vltimam Ioãnis visionem, quæ pertinent ad Antichristum, & ad sæculi consummationem. Contra tamen facit, quod ab ætate istorum ad hodiernum diem trecenti anni effluxerunt, in quo temporis decursu neque Antichristus venit, & res in Ecclesia haud paulo quam superioribus temporibus celebriores euenerunt, quas non erat dignum prætermitti à Ioanne, si hoc ipse (quod isti volunt) in libro Apocalypsis docere Ecclesiam intendisset. 45

Atque hæc quidem est maxime notabilis, & memorabilis interpretationum libri Apocalypsis diuersitas: quæ tantum abest, vt lectoris mentem ad intelligendum eum librum illuminet, & adiuuet, ut eam magis obscuret, & perturbet, atque confundat. Lector etenim tam diuersis distractus interpretationibus, animo pendet incertus, quam potissimum sequi debeat interpre- 46

tationem: earum namque varietas interpretationum, atque earũ cuiusque nonnulla probabilitas, eius, quæ omnium sit optima, maximeque probabilis, iudicium, & electionem reddit perdifficilem.

DISPVTATIO Nona.

De nonnullis regulis, tanquam remedijs tollendæ, si non ex toto, magna tamen ex parte, libri Apocalypsis obscuritatis valde idoneis, & efficacibus.

47 ETSI magna est libri Apocalypsis obscuritas, ea tamen non est tanta, vt omnino inexpugnabilis, atque insuperabilis censeri debeat. Neque enim fas est credere, tot, & tantos illos viros, de quibus supradictum est, qui & olim, hodieque explanando Apocalypsis libro vehementer desudarũt, fuisse vel imprudentissimos, vel temerarios, qui rem prorsus inexplicabilem, elaboratis Commentarijs aggressi, & conati sint explicare. Si enim illi putassent, libri huius intellectum esse incomprehensibilẽ, atque impenetrabilem, necquaquã profecto in eo interpretando tempus, & operam perdere voluissent. Equidem reor, non modo intelligentiam huius libri nõ esse incomparabilem; sed etiam veram eius interpretationem, vnum aliquod esse puto de quatuor supradictis interpretãdi eum librum generibus, aut quippiam ex illis mixtum, atque temperatum. Non eo inficias, obscurissimum esse librum, nec ex toto perfecte adhuc explicatum, aut etiam deinceps omnino explicandum ante tempus consummationis huius prophetiæ: sed arbitror tamen, multa esse in eo libro, quorum germanam interpretationem, & intelligentiam reperire nõ sit per difficile: aliorum verò, si non sit explorata, certaq; cognitio, erit quidem certè non improbabilis coiectatio.

Cæterùm, nobis visum est præ- 48
mittere hoc loco nõnullas regulas, vel documenta, vel monita (quasi remedia) minuendæ obscuritatis Apocalypsis efficacia, quibus præmonitus, & prædoctus Lector, ad capessendam libri huius intelligentiam paratior, & instructior accedat. Sed illud ante omnia hic ponendum est, per eas visiones, quæ in libro Apocalypsis commemorãtur, præsignificari memorabiliores, atque insigniores casus, euentusque, tam prosperos, quam aduersos in Ecclesia Christi futuros, ab eius exordio, ad finem vsque mundi: de hoc enim conuenit inter meliores libri huius explanatores: nec id obscurè significauit Dominus Ioanni extremis penè illis verbis primi capitis: *Scribe quę vidisti, & quę sunt, & quæ oportet fieri post hæc*. Eorum porro, quæ ventura erant in Ecclesia Christi, maxima pars, per annos scilicet mille quingentos septuaginta, ab initio eius in die Pentecostes facto, ad hunc vsque annũ transactos, iam decursa, & confecta est: nec plus temporis, aut etiã tantundem restare vsque ad diem sæculi credibile est. Maior itaque pars huius prophetiæ iam completa est, minor verò pars restat implẽda; minoris autem negotij, & laboris fuerit, ad ea, quæ iam facta sunt, applicare, & accommodare prophetiam B. Ioannis iam explicatam, quàm ad ea, quæ expectantur, in posterum futura.

Sit igitur hæc prima regula: in 49
ijs, quæ iam completa sunt, cũ multa, & variæ sint, ad quę aptari queat prophetia B. Ioannis, videntur ea pcipuè fuisse ab illo præsignificata,

Octo regulæ ad illustrandum libri

quæ

Apocalypsis, obscuritatē accōmodata.

1. Regula.

quæ habuerunt tres huiusmodi cōditiones: vnam, vt sint communia aut toti Ecclesiæ, aut maximæ illius parti: Alteram, vt ea fuerint maximè insignia vel prosperitate, vel aduersitate: Tertiam, vt ad ea, B. Ioānis sententiæ, & verba in singulis visionibus planius, & cōgruentius aptari, & accommodari queant vel ex toto, vel certè maxima in parte: neque hæc indiget probatione, cū per se manifestam contineat veritatem.

2. Regula.

49 Secunda regula. In his verò rebus explicandis, quæ in posterū futuræ sūt, maius est interpretis op⁹, maiorq; labor. Non enim istiusmodi rerum certa scientia, nec prophetiæ Ioannis ad eas res pertinentis certa interpretatio, & intelligentia teneri, & tradi potest, nisi ab eo (si quis fortè talis est) qui reuelationē earum rerum à Deo accepisset. In eo igitur rerū genere, & in ea parte prophetiæ Ioannis procedendum est, ꝓbabiliter coniectando, & quasi solerter diuinando. In primis verò, omne genus prophetiarū, quas interpretes de suo sensu exꝓmunt, suspectum esse debet, cum plures á quibusdam interpretibus editas, euentus manifestè refellat. Ea verò potissimum à B. Ioanne præfigurata, & præsignita esse putandum est, ad quæ visiones eius congruè, & cōmodè applicantur, & belle quadrant. Nec applicatio ipsa sapere debet aliquid peregrinum, aut paradoxum, aut temerè, & gratis dictum, aut cum ijs, quæ iam certa, aut propè certa, & plerisque probata sunt, minime cōsentiens. Neque in hoc rerum genere coniecturali, & opinabili vtendum est asseueratione, sed opinatione, & coniectatione, & verisimilitudinis, & ꝓbabilitatis vsurpanda sunt vocabula. Quanquam in ijs, quæ futura sunt, minus incerta, & dubia vidētur, quæ ad Antichristum spectāt, ea nimirum magnam partem, ex antiqua traditione, & veterum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ sententijs, necnon communi fidelium sensu, & existimatione, irroboratam fidem, atque auctoritatem habent.

3. Regula.

50 Tertia regula. In tractandis visionibus huius libri nō sunt omnia ad viuum resecanda, nec minutissima quæque scrutāda, neque nimis morose, & anxiè inhærendum singulis verbis, neque de accommodatione omnium ad id quod nos intendimus, & docere volumus, nimio plus laborandum: hoc etiā seruandum esse in tractandis parabolis, monuit B. Chrysostomus super vigesimum caput Matthæi. Satis igitur fuerit, scopum, ad quem tota visio dirigitur, indicare, & ostendere principales eius visionis partes ad id quod nos ostendimus, aptè, & cōgruenter accommodari, & belle quadrare.

S. Chryso.

4. Regula.

51 Quarta regula. Quod supra diximus i Disputatione septima de causis obscuritatis libri Apocalypsis, cum explicaremus quintā causam eius obscuritatis, idem in hoc loco repetere conuenit, prophetiā hanc Beati Ioannis, siue quæ in ea narrantur visiones, non perpetua, & directa serie, nec iuxta ordinem tēporum, & rerum gerendarum, cōscriptas esse in hoc libro: sed non raro quæ posteriora sunt, prius, & quæ priora, posterius tractari. Nec semper, cum visionis enarratio inchoatur, ea continuatur vsquè ad finem: sed interrumpitur nonnūquam, interiectis alijs rebus satis diuersis, & postea ad visionem, quę inchoata fuerat, tractandam reditur. Frequentes itaque sunt in hoc libro anticipationes, recapitulationes, transgressiones item, & regressiones, necnon & repetitiones earundem rerum, atque retractationes, quin etiam repentinæ transitiones. Hæc porrò esse Lectori præuisa, & præmeditata, ad id conducet, vt mens eius ob inordinatæ narrationis perturbationem

tionem nequaquam perturbetur, atque confundatur.

5 Regula. 52 Quinta regula. Illud quoque in hac prophetia Ioannis curiose, obseruateque animaduertendum est, eadē res per plures, & diuersas visiones præfigurari. Id verò duabus de causis esse factū existimare conuenit. Talis etenim frequentatio visionum ad idem significandum facta, valet ad maiorem rei cōfirmationem, & persuasionem: quemadmodum cernere licet in gemina illa visione, quæ facta est Pharaoni spicarum, & boum: per vtramq; n. visionem idem significari, interpretatus est B. Ioseph, terræ s. Ægypti sterilitatem, atq; vbertatem. Est altera quoq; eius rei causa huiusmodi: sæpe vna & eadem res diuersas habet proprietates, & rationes præcipue obseruandas, & varias circūstantias satis memorabiles: & quia hæc oīa vna duntaxat visione commodè significari non poterant, ea per multas, & varias significantur visiones. Per vnam n. visionem ea res significatur secundū aliquas ꝓprietates, & circumstantias, & per aliam visionem, secundum alias rōnes, & proprietates suas præfiguratur. Et quia vna similitudo, & imago non potest adæquare totam rei veritatem; idcirco multiplicantur similitudines, & imagines, ad eam rē omni ex parte, plenius, expressiusque præsignificandam.

Gen. 41.

DISPVTATIO Decima.

Super alijs tribus regulis, ad illustrandam libri Apocalypsis obscuritatem, etiam non parum conducentibus.

6. Regula.

SEXTA Regula, prophetia hæc B. Ioannis cum alijs quibusdam veteris Testamenti prophetijs magnam habet similitudinē, & quasi consonantiam tum in ipsis visionibus, tum in verbis etiam, & phrasibus, atque sententijs. Exempli gratia: prima visio, quæ narratur in primo capite huius libri, similis est duabus visionibus Danielis, ei scilicet, quæ scripta est in capite septimo, & ei, quæ in capite decimo cōmemoratur. Secunda visio Ioannis, quæ capite quarto, & aliquib. sequentibus traditur, in principio conuenit cum illa Danielis visione, quę est in capite septimo, & cum visione Ezechielis, quæ est in capite primo. In eo verò, quod Ioannes in secunda visione habet de quatuor animalibus, similitudinē hēt cum visione Zachariæ de quatuor quadrigis, q̄ est in capite sexto. Sexta item visio de damnatione meretricis, siue Babylonis, quæ in capite decimo septimo enarratur, magnam habet conuenientiam cum prophetia Isaiæ capite decimotertio, & Ieremiæ capite quinquagesimo. Denique vaticinium illud Ioannis, quod in capite vigesimo continetur de gentibus Gog, & Magog, multum congruit cum ijs, quæ de eisdem gentibus in capite trigesimo octauo scripta reliquit Ezechiel. In verbis porrò, & phrasibus, atque sententijs, plurifariam Ioannes, Esaiæ, & Danieli, & Zachariæ persimilis est. Voluit autem Deus tantam esse similitudinem inter istas veteris, & noui Testamēti prophetias, vt ex eo appareret, eundem esse Deum vtriusque Testamenti conditorē, & Prophetarum vtriusque Testamenti inspiratorem, atque doctorem: & vt vnius prophetiæ cognitio ad intellectum alterius duceret, & promoueret Lectorem.

Prophetiā B. Ioannis cōuenire cū alijs quibusdā prophetijs veteris Testamenti.

Septima regula. Pleraque in libro Apocalypsis traduntur figuratè, atque opertè, nulla eorum interpretatione adhibita: sunt tñ pauca quædam, quorum apponitur explicatio. Exempli causa: In primo capite, 14

pite, cum dixisset, *Ego sum Alpha, & Omega* subiungitur interpretatio; *principium, & finis*, & in fine eius capitis: *Septe, inquit, stella, Angeli sunt septem Ecclesiarum & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt*, & in capite quinto: *Vidi Agnum habentem cornua septem, & oculos septem; hi sunt septem Spiritus Dei missi in omn. in terram*. Et paulò post in eodem capite: *Habentes singuli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*. Et in capite septimo: *Vnus de senioribus dixit mihi: hi, qui amicti sunt stolis albis, vnde sunt, & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, &c.* Et in capite decimo septimo mysterium Meretricis purpuratæ sedentis super aquas multas, & super Bestiam coccineam habẽtem capita septem, & cornua decem, declarauit Ioanni vnus de septem Angelis habentibus septem phialas. Et in capite decimonono: *Datum est, inquit, illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido; byssinum enim, iustificationes sunt Sanctorum.*

55 Cur porrò hæc pauca fuerint explicata, illam reor esse causam, vt ex horum interpretatione, nos etiã cæterorum, quæ non sunt interpretata, venemur intellectum, per quãdam videlicet analogiam, vel ratione similitudinis, vel etiam oppositionis, siue contrarietatis. Id quoque propterea factũ existimari potest, vt ex paucarum illarum rerum interpretatione intelligamus ea, quæ traduntur in hoc libro, non esse accipienda secundum litteralem sensum, quem verba per se sumpta indicant; sed ea figuralè, ac mysticè: & scripta esse è B. Ioanne, & à nobis accipienda.

Proprietatem verborũ nec esse.

56 Octaua regula. Sicut B. Ioannes quæ traduntur in hoc libro, ea non nisi per reuelationem Dei cognouit: ita neque earum rerum verã, & certam intelligentiã poterit quispiam adipisci, sine Dei aliqua singulari mentis illuminatione ac directione. Hęc autem illuminatio Dei, & directio, assiduis, intentisque precibus, & flagrantissimis desideriis à Deo expetenda, & postulãda est: si enim Dominus Deus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit nos. Debet itaque Lector huius Libri, sic animo affectus ad eum legendũ accedere, vt quæ in eo traduntur, magna animi humilitate, & pia sobrietate accipiat, ne ea superbè, aut temerariè, aut nimis etiam, curiosè perscrutari audeat: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; gratiam dico, & intelligendi occulta, & ardua perficiendi: mysteria nempe, & arcana sua Deus abscondit huius mundi prudentibus, & reuelat ea paruulis.

Prou. 3. Iacobi 4.

Matth. 11.

Rupertus disputans, Apocalypsim B. Ioannis superbis, & impiis eius scrutatoribus esse incomprehensibilem, non autem iis, qui humili spiritu, & pio corde, mitique animo ad eam scrutandum adeũt, super hoc, inquam, pulchrè disputans Rupertus, scripturam Apocalypsis dixit esse similem illius terræ promissionis, lacte, ac melle fluẽtis: ad quam terram considerandã misit Dei iussu Moses exploratores: sed plures eorum, homines superbi, atque impii videlicet, terræ illi detraxerunt, & populum ab ea adeunda deterrentes, dixerunt, terrã esse inexpugnabilem, atque possessionem eius fore impossibilem: habitatores enim eius esse gigantes, quorum comparatione, Hebræi essent instar locustarum. contra verò Caleb, & Iosue, viri admodum mites, & pii dicebant, terram essè optimam, nec eius; si Deus propitius ipsis esset, atque ipsi iussis Dei obtemperarent, difficilem fore expugnationem, atque possessionem. Ruperti ex Prologo Commẽtariorum eius in Apocalypsim hæc sunt verba; Quid sacra nobis scriptura, 57

Ruperti pulchra disputatio, quòd scriptorum libri Apocalypsis sit similis terræ promissionis.

Num. 13.

nisi vt repromissionis est terra? Qd enim fuit Hebræis de terra Ægypti exire, & in illam promissionis terram introire, hoc nobis est, de ignorãtiæ tenebris exisse, & ad notitiam Dei per Scripturarum veritatem introire. Nondum quidem, dum scripturas legimus, & intelligimus, facie ac faciem Dominũ videmus; verumtamen ipsa Dei visio, quæ in nobis aliquando perficiẽda est, hic iã per Scripturas inchoatur. Et quænam terra huius, id est, sanctæ Scripturæ, pars vberior est, quam hic liber Apocalypsis B. Ioãnis Apostoli? Quæ, inquam, sacræ Scripturæ pars, hac Apocalypsi aut in superficie pulchrior, aut in sensu est locupletior? Etenim tot habet sacramenta, quot verba, & in verbis singulis multiplices latent intelligẽtiæ. Vt igitur terram hanc possideamus, fidelium exploratorum, qui mites fuerunt, exẽplum sequamur, dicendo contra immites Hæreticos huic terræ detrahentes, quoniam terra, quam circuimus, valde bona est. Ipsi dicunt, terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos; sed mẽtiuntur. Non enim terra ista, terra scilicet Dei, deuorat habitatores, sed suæ ipsorum adinuentiones deuorant superbos, sicut

Num. 16. murmuratores illos exploratores nõ illa repromissionis terra, & quã non attigerunt, sed ipsa quam calcabant terra, deuorauit, & degluttiuit, disrupta sub pedibus eorũ. Proinde expedit, vt mites aĩo simus, quicumque hanc terram, id est, hãc scripturam Apocalypsis ingredimur; & ibi altiorem diuinorũ sensuum maiestatẽ latere arbitremur, vbi adhuc minus intelligimus. Si enim propitius nobis fuerit Dominus, introducet nos in terram hanc lacte, & melle manantem, vt inueniamus latentes in ea diuitias salutis, & thesauros sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Domini. Hactenus ex Ruperto.

DISPVTATIO Vndecima.

De consilio, siue vt vulgo dicitur, intentione B. Ioannis in scribendo Apocalypsis libro, & de generali eius libri partitione.

QVODNAM fuerit cõsilium, siue, vt vocant, intentio tam Dei tradentis B. Ioanni Apocalypsim, q̃ ipsius Ioannis eã scripto prodentis, breuiter indicãdum est. 58
Voluit Deus per tot, & tã varias in hoc libro descriptas visiones pręmonstrare omnem Ecclesię Christi progressum ab eius initio, ad easdem vsque in terris finẽ: non quidem quantũ ad omnia, sed quãtum ad insigniores dumtaxat, & memoratu digniores, præcognituque vtiliores casus atque euentus, tam prosperos, quam aduersos in Ecclesia, & populo Dei aliquando futuros. Hinc enim perspicuè intelligi poterat admirabilis Christi prouidentia, qua Ecclesiam suam gubernat per varios casus, & per tot discrimina rerum, dirigẽdo, & promouendo, & tandem perducendo eam ad vltimum illum perpetuæ felicitatis finẽ, ad quem ex omni ęternitate prædestinata ab eo fuerat. Ac licet maxima pars libri Apocalypsis versetur circa ea; quæ post ætatem B. Ioannis ventura erant; non ea tamen sola tractantur, verumetiam quę gerebantur eo tempore, quo Ioãnes Apocalypsim accepit à Deo; quin etiam nonnulla, quæ ante id tẽporis euenerant circa Ecclesiam, ab eo scilicet tempore, quo fuerat ipsa in terris, die Pentecostes fundata. Ioannes itaq; scripsit in hoc libro & iam præterita, quæ tamen ipse viderat: & præsentia,

tia, quæ agebantur, cum ipse Apocalypsim accepit, & quę post id temporis ad finem vsque mundi ventura erant.

57 Hęc autem omnia tradere B. Ioannem in hoc libro, manifestum fit ex illis verbis Christi ad Ioannē, quæ sunt in extremo primo Capite huius libri: *Scribe quę vidisti, & quæ sūt, & quę oportet fieri post hęc*: Illud: *quæ vidisti*, significat res præteritas, ante tempus datæ Ioanni Apocalypsis; sed eas tantum res, quæ viderat Ioannes per annos amplius circiter sexaginta ab exordio Ecclesię ad id vsque temporis exactos. Sed quę sunt ista, quæ iam viderat Ioannes, cum accepit Apocalypsim? viderat nempe iam factam primam persecutionem Christianorum sub Nerone: viderat consummationē omnium Apostolorum; omnibus namque Apostolis superstes ipse fuit. Viderat aliorum complurium Martyrum gloriosas victorias: viderat factam Iudaici regni euersionem, & Iudæorum captiuitatem, & per vniuersum fermè terrarum orbem dispersionem, quæ fuerant ipsis Apostolis à Christo prædicta. Deinde, secunda illa particula; *Et q̄ sunt*, denotat ea, quæ agebantur eo tempore, quo tradita est Ioanni Apocalypsis: sæuiebat nimirum tunc secunda Christianorum persecutio, in qua & ipse Ioannes in feruentis olei dolium missus fuit, & in insulā Patmos relegatus est: tunc per omnes gentes prędicabatur Euangelium, & innumerabilium fermè hominum fiebat ad Christi fidem conuersio. Denique tunc agebantur circa septem Ecclesias Asię ea, quę Ioannes ipse narrat in secundo, & tertio Capite huius libri. Postremò illa vltima particula: *Et quæ fieri oportet post hæc*. quia simpliciter dicitur *post hęc*, non definitè designando hæc, vel illa: satis ostendit significari omnia, quæ post tempus acceptę Apocalypsis ventura erant Ecclesię Christi vsque ad finem mundi. Dixi (omnia quæ ventura erant) non intelligens simpliciter omnia, etiam minutissima, & leuissima, id enim foret infinitum, neque vtile cognitu, nec reuelatu, & proditu decorum: sed omnia insigniora, memoratùque digniora, & vtiliora cognitu. Non est omittenda in hoc loco generalis libri Apocalypsis distributio, quæ bipertita est. Diuiditur enim liber Apocalypsis in Proęmium, & in enarrationem visionū, quas B. Ioannes habuit. Proęmium continetur ijs verbis, quæ sunt ab initio primi Capitis, vsque ad eiusdem Capitis verba illa: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, &c.* Inde vsque ad finem libri cōtinetur enarratio septem reuelationum, siue visionum, ex quibus tota hæc constat Apocalypsis. Prima visio est de Christo, qui mirabili habitu, & ornatu visus est B. Ioanni, & exponitur in primo Capite. Secunda visio, in Capite quarto vsque ad octauum de libro septem sigillis signato. Tertia visio, in octauo Capite vsque ad duodecimum de septē Angelis, septem tubas habentibus. Quarta, in capite duodecimo, de muliere amicta Sole, & de Dracone insequēte eam, & de Bestijs ex mari, & terra ascendentibus. Quinta visio, in capite decimoquinto de septem Angelis effundentibus septē phialas iræ Dei in terram. Sexta visio, ī capite decimoseptimo de purpuratę meretricis, & Babylonis dānatione, & de Dracone, atque Bestiarum supremo, æternòque exitio. Septima visio, in capite vigesimoprimo de Ciuitatis Ierusalem admiranda magnificentia, & opulentia, & gloria. Atque hic Prolegomenis nostris in librum Apocalypsis finem ponamus.

CAPVT PRIMVM APOCALYPSIS.

VERS. 1. APocalypsis Iesu Christi quam dedit illi Deus palam face-
re seruis suis, quæ oportet fieri citò: & significauit, mittēs
2 per Angelum suum seruo Ioanni, * qui testimonium per-
bibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcum-
3 que vidit. * Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ
4 huius: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim breue est. *
Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Gratia vobis & pax ab eo
Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in
5 conspectu throni eius sunt: * & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, pri-
mogenitus mortuorū, & Princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit
6 nos à peccatis nostris in sanguine suo, * & fecit nos regnum & sacerdo-
tes Deo, & Patri suo: ipsi gloria, & imperiū in secula seculorū Amen.
7 * Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui cū pu-
8 pugerunt: Et plangent se super se omnes tribus terræ: Etiam, Amen. *
Ego sum α, & ω, principiū, & finis, dicit Dominus Deus: qui est, & qui
9 erat, & qui venturus est, omnipotens. * Ego Ioannes, frater vester, &
particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu: fui in in-
sula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Ie-
10 su. * Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocē magnā, tan
11 quam tubæ, * dicentis: Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ec-
clesiis, quæ sunt in Asia: Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ,
12 & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ: * Et conuersus sum, vt viderē
vocem, quæ loquebatur mecum: & conuersus, vidi septem candelabra au
13 rea: * & in medio septē candelabrorū aureorū similē filio hominis, vesti
14 tum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: * caput autē eius,
& capilli erant candidi tanq̄ lana alba, & tanquā nix, & oculi eius tan-
15 quā flamma ignis, * & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino
16 ardenti, & vox illius tanquā vox aquarm multarum; * & habebat in
dextera sua stellas septem; & de ore eius gladius vtraq; parte acutus
17 exibat: & facies eius sicut sol lucet in virtute sua. * Et cùm vidissē eū,
cecidi ad pedes eius tanquā mortuus. Et posuit dexterā suam super me,
18 dicens: Noli timere: ego sum primus, & nouissimus, * & viuus, & fui
mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorū, & habeo claues Mortis,
19 & Inferni. * Scribe ergo quæ vidisti, & quæ oportet fieri post hæc. * Sa-
20 cramentum septem stellarum, quæ vidisti in dextera mea, & septem can
delabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & cande
labra septem, septem Ecclesiæ sunt.

IN CAPVT PRIMVM DISPVTATIONES VIGINTIQVINQVE.

PRIMA DISPVTATIO. DE VOCABVLO APOCALYPSIS.

Super illis verbis

VERS. 1. *APOCALYPSIS IESV CHRISTI.*

1 VErba quæ sũt ab exordio primi Capitis; vsque ad illa verba q̃ sunt in versu nono: *Ego Ioannes frater vester, &c.* sunt quasi prooemium huius libri, continens Scripturæ huius Apocalypsis commendationem, & salutationem missam ijs, ad quos scriptus est hic liber. Commendatio autem Scripturæ Apocalypsis, multis ex rebus significatur a B. Ioanne; primò quidem ex dignitate personarum, à quibus, & per quas, & quibus tradita est Apocalypsis, hoc est, à Deo, & Christo Domino, & ipsi Ioanni Apostolo, & dilectissimo Christi discipulo propter testimonium Iesu in exilium eiecto. Deinde commendatur hæc Scriptura ab ipso genere doctrinæ, quæ in ea traditur; non enim est humana doctrina, sed supernaturalis, & diuina; hoc namque significat vocabulum Apocalypsis, id est, Reuelationis eorum, quæ ratione humana sunt incomprehensibilia. Posset itaque dici Beato Ioanni de hac sua Apocalypsi, quod Beato Petro dixit Dominus; *Beatus es Simon Bar-Iona, quia* *Matth 16.* *caro, & sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*: & quod dixit Daniel regi Nabucodonosor; *Mihi quoque non in sapientia, quę est in me plusquam in cunctis viuentibus, Sa-* *Daniel. c. 2* *cramentum hoc reuelatum est: sed est Deus in cœlo reuelans mysteria.* Tum Apocalypsis commendatur ab vtilitate, cùm dicitur; *Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.* Quarta commendatio huius scripturæ petitur ab

ab

ab vniuersalitate eius: non enim scripta est priuato alicui homini, vt nonnullæ Pauli Epistolæ Timotheo, & Tito, & Philemoni: neque vni alicui Ecclesiæ, vt Romanorum, vel Corinthiorum; sed septem Ecclesijs Asiæ, & sub earum nomine, vniuersæ Christi Ecclesiæ. Quartam huius Scripturæ commendationẽ continet conditio rerum, quæ Sancto Ioanni reuelatæ sunt, & in hoc libro descriptæ, quæ sunt res futuræ, & mox futuræ, & in finem vsque Mundi futuræ. Sic autem natura comparatum est, vt mortalium animi, futura noscendi sint auidissimi: presertim verò quæ propè futura sunt, & aliquo modo eos attingunt. Ergo (vt in pauca contraham) commendatur Apocalypsis in procemio huius libri à quadruplici genere causæ, à forma, efficiente, fine, & materiâ. Forma doctrinæ huius est, quam denotat nomẽ Apocalypsis. Efficiens, est reuelans, siue tradens Apocalypsim, Deus, & Christus, & Angelus; & Ioãnes traditam sibi Apocalypsim scribẽs. Finis est beatitudo hominis seruãtis ea, quæ tractantur in hac prophetia. Materia demum, & principalis, & maxima, sunt res futuræ in finem vsque Mundi. Altera porrò huius procemij pars continet Apostolicam salutationem, qua Beatus Ioannes ijs, ad quos scribit, id est, septem Ecclesijs Asiæ, gratiam & pacem à Deo, & à Iesu Christo, & à septem Spiritibus precatur. Sed explicemus illa verba:

De vocabulo Apocalypsis.

APOCALYPSIS IESV CHRISTI.

2 GRÆCA vox (Apocalypsis) Latinè significans Reuelationem, propria est diuinæ Scripturæ, à Septuaginta duobus Interpretibus primò vsurpata, & frequenter in Translatione eorum vsitata: negat enim B. Hieronymus, super primum Caput Epistolæ ad Galatas, apud vllos Scriptores Ethnicos id nominis inueniri. Cuius vocis ea est significatio, cùm quid tectum, & velatum, ablatum desuper operimento, ostẽditur, & profertur in lucem. Et cũ totus hic liber Græcè scriptus sit, alia Latinæ sunt reddita, hoc vocabulo Græco retento. Latinus porrò Interpres Græcum nomen Apocalypsis aliquando retinet, vt hic, & in decimoquarto Capite prioris Epistolæ ad Corinthios: aliquando autem vertit in Latinum nomẽ Reuelationis, vt ad Galatas primo: sicut etiam Græcum verbum conuertit in Latinum verbum reuelare, vt frequenter in Psalmis, præcipuè verò in Psalmo centesimo decimo octauo.

3 Hæc itaque prophetia B. Ioannis vocatur Apocalypsis, id est, Reuelatio, quæ est supernaturalis, & prorsus abscondita, & occulta, & incomprehensibilis homini, nec aliter ei cognobilis, quam per Dei reuelationem. Dicitur autem Prophetia hæc Reuelatio, tam respectu signorum, quàm respectu rerum signatarum. Nam & ipsæ visiones imaginariæ ac multiformes similitudines, quæ in hoc libro describuntur, diuinitus effectæ atque obiectæ B. Ioanni sunt, & per eum reuelatæ sunt nobis in hoc libro. Significatio verò earum visionum, reuelata quidem est Sancto Ioanni, alioqui non ipse fuisset verè Propheta, sicut nec Pharao, nec Nabuchodonosor Prophetæ fuerunt, quamuis eis diuinæ Visiones contigerint: nobis autem earum visionum significatio minimè reuelata est, sed eam per coniecturas probabiles indagamus.

4 Est porrò reuelatio prophetica, quæ fit cum Visione imaginaria, qualis est hæc Ioannis, maioris dignitatis, quando in ea apparet persona aliqua instruens de rebus occultis: & quanto persona illa est dignior, vt Angelica, quàm humana, & diuina, quàm Angelica; tanto & ipsa Visio & Reuelatio habet præstantior. Licèt autem initio huius libri scriptum sit Deum Apocalypsim dedisse Ioanni per Angelum, sæpè

sæpè tamen ipse Angelus non loquitur Ioanni vt Angelus, sed vt repræsentans Deum, vel Christum, cuius nomine loquens multa dicit, quę in personam Angeli propriè non competunt. Eo autem Prophetia hæc Ioannis veteribus prophetijs antecellit; quòd illæ sunt de rebus, vel ad Synagogam, vel ad priorê Christi aduentum pertinentibus; hæc verò de ijs, quæ spectant ad Ecclesiam Christi, & ad posteriorê eius aduentum.

Ex hoc autem primo libri huius vocabulo, quod est Apocalypsis, facta est inscriptio, & appellatio libri huius, inscribitur enim, & appellatur Apocalypsis B. Ioan. Apostoli. Quanquam Ioannes ipse Scripturam hanc quatuor modis appellat; initio enim primi Capitis vocat Apocalypsim; & paulo post nominat Prophetiam; & paulò infra vocat librum præcisè; in vltimo autê Capite appellat Librum Prophetię.

B. Ioannê s cognominatum à veteribus fuisse Theologū. In libris Græcis inscriptio huius Operis est huiusmodi: Apocalypsis Ioannis Theologi. Qui autem ex illo cognomento Theologi argumentari voluerunt, Ioannem libri huius auctorem, non fuisse Ioannem Apostolum, & Euangelistam, & dilectum Christi discipulum, sed fuisse alium quendam Ioannem cognomento Theologum; satis profectò antiquitatis Ecclesiasticæ imperitos sese ostenderunt. Si enim veterum Patrum Scripta legissent, cognouissent vtique, Ioannem Apostolum, & Euangelistam, hoc Theologi cognomento fuisse ab antiquis Patribus appellatum. Sic enim appellauit eum Dionysius Areopagita in Epistola, quam ad ipsum Ioannem scripsit in insula Pathmo exulantem. *Dionysius Areopag.* Athanasius itidem appellauit eum in Synopsi, & Epiphanius *Athana.* in Hæresi 51. Chrysostomus item *Chrysost.* in Proœmio explanationis Psal. 37. necnon & Cyrillus Alexandrinus libro tertio de Trinitate. Merito autem Theologi cognomento insignitus atque ornatus est B. Ioannes; is enim copiosius & sublimius, quam alij Euangelistæ de Christi diuinitate, & æternitate scripsit, ob eâque rem comparatus est aquilæ; & Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica hierarchia, Euangelium eius vocat diuinissimam, & altissimam Iesu Theologiam.

SECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis. VERS. 1.

QVod hic dicitur; Deû 6 Apocalypsim dedisse Christo, vt eam ipse traderet seruis suis explanans Rupertus; *Rupertus.* Istam, inquit, reuelandi cœlestia Sacramenta seruis suis potestatem, Christi Humanitas dono accepit, quemadmodum & in hoc libro significatum est, vbi Agnus librum septem *Apocaly. 5.* sigillis signatum, de dextera sedentis in throno, accepit, & aperuit. De qua item potestate Spiritus dicit Ecclesijs; *Hæc dicit Sanctus, & Verus, qui habet clauem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* *Apocaly. 3.* Itaque Humanitati quidem Christi nihil est quod datum non sit, aut quod non acceperit; Diuinitati verò nihil datum est in potestatem, quod ante non habuerit. Sic Rupertus.

Eorundem quoque verborum Interpretationem Ioachimus Abbas tradit huiusmodi; Christus non *Ioachimus Abbas.* vt Deus est, sed vt homo est, accepit

accepit à Patre Apocalypsim; idest, Reuelationem diuinorum mysteriorum. Quia, nisi Filius Dei factus esset & homo nascendo, & vitulus in cruce moriendo, & leo ex morte resurgendo, & aquila ad superos ascendendo; mysteria, quæ de eius natiuitate, passione, resurrectione, & ascensione a Prophetis Veteris Testamenti prædicta, & scripta fuerant, nequaquam reuelata & manifestata fuissent. Reuelatio igitur Christi, opus est veritatis: quia quæ facturus erat ipse in plenitudine têporis, inspirati diuinitus prædixerunt Prophetæ: & quæ illi obscuris verbis significauerant, Christus exercendo potiùs, quam loquendo reuelauit. Ergo Deus Pater dedit filio suo Christo hanc Reuelationem futurorum, cùm eum incarnari, & mori, & resurgere fecit ex mortuis, & assumptę mortalitatis nostrę substantiam in dexteræ suæ gloria collocauit, & Spiritum Sanctum Apostolis in nomine eius misit: & ita per eum compleuit Deus omnia, quæ à Prophetis de illo prædicta fuerant: atque huiusmodi complementum fuit perfecta eorum reuelatio & manifestatio. Hæc Ioachimus.

Discutitur Interpretatio Ioachimi.

7 Arbitratur itaque Ioachimus, propterea dici hoc loco Christum mysteria sua reuelasse seruis suis, quod quæ prædixerant Prophetæ de mysterijs eius, vt de incarnatione, passione, & resurrectione, ipse ea mysteria in se complendo, idest, nascendo, moriendo, & resurgendo, reuelauit ipsis, idest, quæ antè fuerant obscura, postquam ab ipso completa sunt, reddita sunt aperta & manifesta. Sed enim interpretatio hæc, licèt vera, & pia sit, huic tamen loco incongrua, & aliena est. Non enim B. Ioannes in hoc loco de mysterijs vitæ Christi agit, sed de mysterijs, id est, arcanis, & secretis rerum in Ecclesia futurarum vsque in finem mundi. quę quidem secreta Christus per Angelum animo Ioannis in visione imaginaria, per varias similitudines, & imagines repræsentauit, eorumque intelligentiam ei præstitit.

De Christi scientia rerum futurarum.

8 Deus itaque hanc Apocalypsim dedit Animæ Christi, non quidem per visiones imaginarias, & per varias similitudines, & figuras, sed per claram & distinctam, & perfectam rerum omnium futurarũ scientiam. Deinde Christus eandê Apocalypsim tradidit Angelo, non per visionem imaginariam, neque per sensibiles aliquas similitudines, ea namque ratio cognoscendi, aliena & incongrua est intellectui angelico: sed per reuelationem pure intellectualem. Angelus denique eandem Apocalypsim tradidit B. Ioanni; & Ioânes ipsi Ecclesiæ; eo nempè modo, qui descriptus est in hoc libro. Christus porro scientiam eorũ omnium, quæ traduntur in Apocalypsi, accepit in primo instanti suæ conceptionis, tũc enim anima eius omni scientia, & gratia est repleta. Decuit autem, vel maximè, Christum habere scientiam omnium, quæ futura erant in Ecclesia sua: quod ipsum prædixerat Isaias, futurum & Regem, & Legislatorem, et Iudicem omnium hominum. Nec solùm Deus Pater voluit, vt hanc Apocalypsim, quam ab ipso acceperat, Christus traderet seruis suis: verumetiam vt bonorum omniũ, quæ dederat ei, participem faceret Ecclesiam, & seruos suos. Patet hoc in filiatione Dei, in scientia, in potestate, in gratia, & in gloria. Filius enim Dei factus est homo plenus gratia, & veritate, vt de plenitudine eius acciperent omnes. Sicut enim natura dedit humano capiti sensum, & motum, non vt ea sibi tantùm haberet; sed vt ea in vniuersum corpus, atque omnia in membra diffunderet, ita Christus, qui est caput Ecclesiæ, bona sua deriuat in Sanctos, qui sunt membra eius, & ad hoc applicari potest, quod scriptum est in Psalmo 132. *Sicut vnguentum in capite,*

Isa. 33.

Ioan. 1.

Locus Psalmi 132.

te, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius.

9 Sed contra id, quod dictum est, Christum habuisse scientiam omnium futurorum, obijcere fortasse quispiam id quod ipsemet Dominus de se dixit, nescire se diem extremi vniuersalis Iudicij; hæc enim eius verba refert Marcus capite 13: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Verùm isti obiectioni B. Augustinus occurrit in Capite duodecimo libri primi de Trinitate scribens, illud esse dictum à Domino, non propria, sed figurata locutione; secundùm quam in Scriptura dicitur quispiam cognoscere rem aliq̃, non quia tunc primùm cognouit eam, sed quia tunc fecit alios cognoscere eam rem, sed quia tunc fecit alios cognoscere eam rem. Dicitur etiam quis nescire aliquid, non quia non sciat illud, sed quia non facit alios id scire, sed habet id occultum alijs; & de eo interrogatus, non eis manifestat, perinde quasi eam rem nesciret. Augustini verba sunt hęc. Dixit Christus se nescire illũ diem, quia id nescit, quod nescientes facit; id est, quod non ita sciebat, ut tunc Discipulis indicaret. Sicut etiã dictum est ad Abraham: *Nunc cognoui quod timeas Deum*, id est, nunc feci vt cognosceres quod timeas ipse Deum: nam & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Ad eundem quoque modum locutus est Apostolus Corinthijs, dicens: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Eis enim loquebatur, qui capere altiora de Christi deitate non poterant. Quibus etiam paulò pòst dixit: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Hoc ergo inter illos nesciebat Paulus, qđ illi per ipsum scire non poterant; & hoc solum se intèr illos scire dicebat, quod illos per ipsum scire oportebat. Denique sciebat inter perfectos, quod inter paruulos nesciebat; ipse enim dixit; *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur id, quod occultat, quo dicitur fossa cæca, quæ occulta est. Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inueniatur, quia vtique hominibus loquuntur. Sic Augustinus.

Quo sensu dixerit Christus se nescire diem iudicij.

Locus Marci cap. 13.

S. August.

Genes. 22.

Locus 1. Corint. 2.

TERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

Quæ oportet fieri citò.

VERS. 1.

DIcitur hoc loco Deus 10 Christo dedisse Apocalypsim, ut per eam ipse palàm faceret seruis suis, ea quæ oportet fieri citò. His autem vltimis verbis significatur materia, quæ tractatur in Apocalypsi, id est, ea quę per Apocalypsim manifestata sunt B. Ioanni. Ac licèt non sit tota huius libri materia, vel doctrina, declaratio rerum futurarum; est tamen maxima pars, & potissima, atque vtilissima. Non solùm autem in hoc libro Ioannem agere de rebus futuris, sed etiam de ijs, quæ euenerant ante tempus datæ sibi Apocalypsis, & de ijs, quæ illo ipso tempore agebantur, manifestum est ex verbis illis, quæ dixit ei Angelus; *Scribe, inquit, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ post hęc futura sunt.*

Apocaly. 1.

Apocaly. 1.

Verùm quod dixit Ioannes, Apocalypsim esse de ijs, quæ tunc citò futura erant, non videtur hic conuenire cum materia huius libri, cuius magna pars videlicet, de nouissimis mundi temporibus, & de Antichristo est. Ecce à tempore quo Ioannes accepit, & scripsit Apocalypsim, prætererunt adhuc anni, amplius

plius mille quingentos: nec liquet quantum superet temporis vsque ad finem mundi, & aduentum Antichristi; quo modo igitur Sanctus Ioannes verè dixit, prophetiam suam, quæ ad tempora Antichristi præcipue pertinet, citò implendam fore? Nec solum id dicit hoc loco, sed idem paulo infra repetit; dicens; *Tempus enim propè est.*

Quatuor Interpretationes. Prima. 11 Vt hæc difficultas explicaretur, quatuor ab Auctoribus eorum verborum excogitatæ ac proditæ sunt Interpretationes. Prima Interpretatio: Illud; *Quæ oportet fieri citò*, significare ingenium, & conditioné rerum omnium temporalium, siue sint aduersæ, siue prosperæ: Bona enim, & mala huius vitę, cito fiunt, & citò transeunt, nihil enim sub sole est firmum ac stabile: at quæ post hanc vitam futura sunt, tam bona, quàm mala, ea non cito transeunt, sed æterna sunt. In hoc autem libro agitur de futuris Ecclesiæ aduersitatibus, & prosperitatibus temporalibus. Sed enim mystica potius est, quàm litteralis hęc interpretatio: illud enim: *Quæ oportet fieri citò*, secundum propriam verborum significationem non significat, quæ citò transire debent; sed significat, quæ breui futura sunt.

Secunda. 12 Altera interpretatio est huiusmodi: Omne tempus vsque ad finem mundi, non rarò in scriptura nominari breue respectu æternitatis; mille enim anni apud Deum, tãquam dies vna: & Paulus ad Hebręos 10. loquens de secundo Christi aduentu dixit; *Adhuc modicum, aliquantulumq́. qui venturus est, veniet, & non tardabit.* Et Aggæus capite secũdo tempus quod supererat vsque ad Messiæ aduẽtum, quod tempus erat annorum circiter quingentorum, appellauit vnum modicum, dicẽs; *Adhuc vnum modicum est. & ego commouebo cœlum. & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Audiat Lector quæ ad huius interpretationis declarationem scribit Primasius in Commentario huius loci; Omnia, inquit, quę temporaliter geruntur, habent exordium, & cursum, & terminum suum. Post exortum autem Ecclesiæ, quæ iam fuerat Apostolorum prædicatione fundata, reuelari oportuit qualiter esset latius propaganda, vel quali etiã fine contenta; vt prædicatores veritatis, huius cognitionis fiducia præditi, indubitanter aggrederentur pauci multos, inermes armatos, humiles superbos, obscuri nobiles, infirmi potentes, viui tamen spiritaliter mortuos. In breui sanè apud Deum dicitur, quantumcumque in hac vita morulis aliquid protelatur, vti Propheta dixit; *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteryt.* Sic ille. Verùm contra huiusmodi expositionem facit, quòd secundum eam dici potuisset, ab ipso vsque mundi exordio, post modicum tempus Messiam, vel etiam Antichristum fuisse venturum; quem tamen loquendi modũ non habet humani sermonis consuetudo, quem sequi ferè solet etiã diuina Scriptura.

Psalm. 89. 2. Pet. 3. *Primasius.* *Psalm. 89.*

Tertia. Ambros. Tertia interpretatio est eius, qui vulgo appellatur Ambrosius, super illis verbis, quæ paulò infra sunt in versu tertio; *Tempus enim prope est.* Ait enim; licèt tẽpus ab aduentu Christi vsque ad finem mundi, longum videatur; comparatum tamen cum prioribus temporibus, ab exordio mundi vsque ad Christi aduentum transactis, breue æstimabitur. Ambrosij verba sunt hæc; Tempus iudicij propinquum appellat. Nam si tempus ab aduentu Domini vsque ad finem mũdi ante oculos ponas, longum inuenies; sed in comparatione tamen priorum temporum, breue est. Sed hęc Interpretatio, minime probabilis est; Ab aduentu enim Domini vsque ad hunc annũ, præterierunt iam mille sexcenti anni, id autem est, plusquam tertia pars totius temporis, quod ab initio 13

ño mundi transactum est vsque ad Christi aduentum, hoc enim tempus, paulò ampliùs quatuor annorum millia continet. Deinde supradictis mille sexcentis annis à Christi aduentu vsque adhùc transactis, addere oportet annos qui adhuc restant vsque ad finem mundi. Quomodo igitur tantum hoc tempus ab aduentu Christi vsque ad finem mundi, potest verè dici breuissimum, respectu, & comparatione temporis ab initio mundi vsque ad Christi aduentum exacti?

Quarta. Auctoris sententia.

14 Mihi videtur quarta Interpretatio, quam significat Primasius, ceteris esse præferenda. Cùm enim hęc Apocalypsis comprehendat futuros Ecclesię successus omnes vsque ad finem mundi; horum autem plures aut proximè, aut non multo post ætatem Beati Ioannis futuri erant, idcirco verè dictum est, reuelata esse Ioanni, quæ citò ventura erant; nam etsi multa erant valde remota, vt quæ ad Antichristum pertinent: erant tamen alia multa non admodum longinqua. Primasius explanans illud: *Tempus enim prope est*. Sic ait: Tempus in proximo esse dicit, scilicet, vt singula, quę dicenda sunt, impleantur: cùm & plantatæ iam Ecclesiæ propagationis incrementa succedant.

Primasius.

QVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 1. *Significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.*

15 Illud; *significauit*, Beda, Albertus, Rupertus, & plures alij putant, non idem valere, quod ostendit, declarauit, manifestauit, sed contra potiùs idem valere, atq; valet apud Latinos verbũ signo, vel obsigno, vel sigillo. Ergo illud, *significauit*, idẽ valet atque, signis quibusdã, & imaginibus inumbratum, & velatum tradidit: quamquam earum similitudinum, & imaginum significatio, & intelligentia B. Ioanni patefacta est. Verùm ista expositio licèt quantum ad veritatem sententiæ non sit improbanda; non est tamen probabilis quantum ad germanam significationem verbi Græci, quo vsus est Ioannes in hoc loco, & quod Latinus Interpres vertit, *significauit*: non enim est verbum Græcum σφραγίζω, quod idem significat, atque Latinum verbum signo, obsigno, sigillo, sed est verbũ Grçcum σημαίνω, denotans idem quod ostẽdo, declaro, manifesto. Nec Latinus Interpres verbum significo, aliter vsurpare solet, quàm pro eo quod est declaro, vel manifesto. Primasius illud, *significauit*, putat denotare, aliqua in visionibus Ioannis manifestari, & declarari nobis, vt ex illis paucis ad cętera perscrutanda incitaremur, & quasi manu duceremur. Sic enim ille scribit: Dicendo *significauit*, aliquid etiam futurorum, & mysteriorum ostendit: nec superficie litteræ nos voluit remanere contentos, quos ad mysteria altiùs perscrutanda, significandi verbo fecit intentos. Cum autem dicit *seruo suo Ioanni*, omni Ecclesiæ in vno illo reuelari voluit, quam in vnitate fundauit. Ideo dixit *palàm facere seruis suis*. non solùm vni ex multis, sed per vnum potius vniuersis: sicut regni cœlorum solus Petrus claues accepit, qua tamen potestate, omnis Ecclesia vti sublimata promeruit.

An omnia per Angelum, & nõ immediatè à Christo aliqua sint reuelata B. Ioanni.

Circa illud: *Mittens per Angelum suum*, tres quæstiones breuiter tractari possunt. Prima quæstio: Videtur in prima visione, quæ narratur in hoc primo Capite, non Angelus, sed ipse Christus apparuisse Ioãni, & ip- 16

& ipsum docuisse: ea namque ille de se loquitur, quæ in Angelum conuenire nullo modo possunt: ait enim. *Ego sum primus, & nouissimus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis, & inferni*. Sed respondendum est, nonnunquam in Apocalypsi loqui Angelum proprio nomine, vt cùm vetuit adorari se à Ioanne, dicens: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*. Interdum verò Angelus loquitur non suo nomine, sed ipsius Christi, quem repræsentat, ita vt personaliter sit Angelus, repræsentatiuè autem Christus; & ita fit in prima visione huius libri. Est enim vera, meritòq; probata Theologis Scholasticis illa B. Dionysij Areopagitæ sententia, omnes diuinas visiones, & apparitiones hominibus factas, siue in veteri, siue in nouo Testamento, quibuslibet personis, in quocunque tempore, & loco, & quocunque modo factæ fuerint, esse factas per Angelos, eorumque ministerio hominibus oblatas. Hoc etiam apertè, affirmatèque tradit S. Hieronymus super illis verbis Capitis tertij Epistolæ ad Galatas: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*: & B. Gregorius in Præfatione Commentariorum suorum in Iob. Ad eandem quoque sententiam in Cõmentario huius loci scribit hæc Primasius: Rectè dictum est illud, per Angelum suum à Christo misse dilecto Discipulo reuelata mysteria: constat enim, per assumptam creaturam, & non per Diuinitatis essentiam, Christum semper apparuisse mortalibus, & ante incarnationem suam, & post ascensionem.

Apocal. 19

Dionysius, De cœlesti Hierar. c. 4

S. Hierony.

S. Gregor.

Primasius.

17 Altera quæstio est: Quomodo hic dicitur, per Angelum fuisse reuelata Ioanni mysteria, quasi solus ipse omnia manifestauerit Ioanni: legimus enim in hoc libro Apocalypsis, etiam quatuor animalia, & viginti quatuor seniores sæpè locutos esse Ioanni, atque eum multa docuisse. Sed ad istam quæstionem hoc sit responsum; totam illam visionem quatuor animalium & viginti quatuor seniorum vel tacentium, vel loquentium, ab Angelo effictam, & formatam esse in animo Ioannis, cum esset in extasi. Angelus enim fecit, formando in animo Ioannis figuras, & similitudines animalium, & seniorum, vt Ioannes in extasi positus videretur sibi & illa videre præsentia, & ab illis hæc vel illa audire.

Tertia quæstio: An fuerit vnus duntaxat Angelus, qui omnia reuelauerit Ioanni, an verò plures fuerint Angeli. Nam & vnum fuisse, videtur eo indicari, quod dicitur hic numero singulari, per Angelum fuisse manifestata Ioanni mysteria: ex aduerso videntur fuisse plures Angeli: In hoc enim Libro Apocalypsis plurifariam inducuntur multi, atque varij Angeli cum B. Ioanne loquentes. Equidem puto, vtrumuis haud improbabiliter credi posse. Potuit enim vnus esse tantùm Angelus, qui finxerit in animo Ioannis oẽs illas visiones multorum Angelorum loquentium cum Ioanne, cùm reuerà tamen non esset nisi vnus Angelus personaliter ibi præsens, & illas visiones atque repræsentationes efficiens. Potest etiam dici fuisse plures Angelos: non enim Christus hic dicitur misisse vnum Angelum, sed præcisè Angelum: nec est in sacris litteris insolens, numeri singularis pro numero pluratiuo vsurpatio. 18

An tota hæc Apocalypsis, ab vno tantũ Angelo, an à pluribus tradita sit B. Ioanni.

QVIN-

QVINTV Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 2. *ui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcunque vidit.*

Ambros. HAEC verba interpretans Ambrosius ita scribit: Hic locus apertè demonstrat, nō ab alio Ioanne, sed ab eo qui Euāgelium scripsit, hunc librum esse compositum. Qui & in cœna recubuit supra pectus Domini, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, vnde immensum sapientiæ fontem haurire meruit. Perhibuit ergo Ioānes testimoniū Dei, quando dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed in eo quod sequitur: *Quæcunque vidit*, quibus verbis significatur Ioannē de Christo testificatum esse omnia quæ viderat; quęstio exoritur, quomodo hoc sit verum, cùm ipsemet dixerit in suo Euangelio capite vltimo: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, quę non sunt scripta in libro hoc.* Sed sciendum est, Ioannem perhibuisse testimonium omnium quæ viderat, prædicando videlicet gentibus omnia quæ à Christo didicerat, & miracula quæ viderat, narrando: Scribere autem noluit omnia, sed ea tantummodò, quæ posteà profutura esse præuiderat. Hæc Ambrosius: quibus prorsus eadem super hoc ipso loco scribit Ruœrtus, ab eo indubiè mutuatus. Testimonium igitur, quod dicitur hic perhibuisse Ioannes verbo Dei, referunt isti ad Euangelium scriptum ab eo, priusquam accepisset Apocalypsim: in quo Euangelio multifariam, sed præcipuè in exordio eius luculentissimū diuinitatis, & æternitatis Christi testimonium, & pręconium edidit. Eadem quoque Andreæ Cęsariensis, & Bedę, & Kyrani, aliorùmque sententia est.

Ioan. 13. Coloss. 2. Ioan. 1. Ioan. 21.

Verùm Auctores istos refelli apertè ratio temporum. Euangelium namque suum Ioannes non scripsit ante exilium, sed vel in ipso exilio: vt significant in Synopsi Dorotheus, & Athanasius, & Theophylactus in Præfatione Commentariorum suorum in Euangelium Ioannis, & Nicephorus libro 3. capite 9. Vel scripsit Euangeliū post reditum ab exilio, quod certè multo est probabilius: id enim Dionysius Areopagita non obscurè significat in ea, quam ad ipsum Ioannem exulantem scripsit Epistola, idemque tradit Epiphanius contra hæresim quinquagesimam primā, & Eusebius lib. III. Ecclesiasticæ Historiæ, & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Ioanne Apostolo, & Primasius in principio suorum Commentariorum in Apocalypsim, ita scribens: Apocalypsim eo tempore Ioannes accipere promeruit, quo tempore in Patmos insula pro Christo à Domitiano Cæsare exilio missus, & metallis damnatus, terminis arcebatur inclusus. Postea verò scripsit Euangelium post Domitiani mortem, exilio liberatus, a congregatione Sacerdotum rogatus, contra Valentinum, & Cerinthū, & Ebionem, qui cōtra Christi diuinitatem, & æternitatem falsa & impia docere, multosque suis erroribus irretire cœperant. Sic ille. Sed ego miror satis Bedam, qui scripserit in Commentarijs suis in Apocalypsim, ante eam fuisse Euangelium à Ioanne scriptum,

Ioānis Euāgelium, scriptum esse post Apocalypsim.

Primasius.

ptum, cum ipsemet in eo libro, quem fecit, & inscripsit De sex ætatibus Mundi, vbi agit de Nerua Imperatore, ait, Ioannem post Apocalypsim, suùmque ab exilio reditum scripsisse Euangelium.

21 Verùm nostræ huic sententiæ aduersatur Canon B. Clementis, qui inter Canones Apostolicos numeratur octogesimus quartus: in eo enim ponitur inter libros Canonicos (quorũ ibi traditur numerus) Euangelium B. Ioannis, Apocalypsis autem non ponitur: id autem non obscuro est indicio, Apocalypsim non fuisse tunc, cùm est ille Canon factus, editam; ex quo liquet, Euangelium fuisse scriptum ante Apocalypsim. Sed hæc nos nihil mouet obiectio; quibus nempe notum est, istum Canonem octogesimum quartum multas ob causas à doctis viris meritò non probari. Principiò, istorum Canonum Apostolicorum quinquaginta dútaxat, vel sexaginta, Sanctorum Patrum, summorùmque Pontificum, & plurium Generalium Conciliorum auctoritate comprobati sunt: Reliqui autem, in quibus est iste Canon octogesimus quartus, fidem, & auctoritatem non habent. Deinde in isto Canone, inter libros sacros, & Canonicos ponuntur tres libri Machabæorum; & omittuntur Esdras, Iudith, Tobias, Sapientia, Ecclesiasticus: cum tamen Catholica Ecclesia nec agnoscat tanquam Canonicos, nisi duos priores Machabæorum libros; & Esdram, aliosque quos dixi, pro sacris, & Canonicis habeat. Tum in isto Canone recensentur inter libros Canonicos Epistolæ Clementis, & libri Constitutionum eius; quæ nunquam in Ecclesia, Canonicorum Scriptorum auctoritatem, & venerationem habuerunt. Postremò commemoratio Euangelij Ioannis, quæ fit in isto Canone, destruit penitùs eius Canonis fidem, & auctoritatem. Canones enim isti dicuntur esse conditi, B. Apostolo Petro viuente, is autem sub finem Principatus Neronis, glorioso martyrio vitam finiuit: at Euangelium Ioannis, multis post excessum Petri annis esse conscriptum, inter omnes conuenit. Nec dici potest, Euangelium Ioannis postea esse adiectum isti Canoni ab ipso Clemente, qui Ioanni superfuit: Ioannis enim obijt secundo Traiani anno, Clemens autem tertio anno: hoc, inquam, probabiliter dici non potest; ob eandem enim causam debuerat Clemens addere isti Canoni etiam Apocalypsim: Nisi fortè dicatur ab aliquo, Clementem non habuisse pro Canonico libro Apocalypsim. Sed hoc impium est dicere: nam neque Clemens, qui eo ipso tempore vixit, ignorare potuit Apocalypsim a Ioanne scriptam esse; & sciens esse Ioannis Apostoli, non potuit eam pro sacra, & Canonica Scriptura non habere. Sed nos, his, quasi per digressiunculam quandam cursim dictis, quodnam fuerit testimoniũ illud, quod Ioannes verbo Dei iam ante Apocalypsim prohibuerat, breuiter declaremus.

Discutitur canon. 84. Apostolorum.

Triplex fuit testimonium Ioannis de verbo Dei: vnum fuit prædicationis: alterum, miraculorum: tertiũ, passionis pro ipso bono Dei. Ioannes etenim fidem, & doctrinam Christi prædicauit in Iudæa, & in Asia: testificans eam veram esse, & diuinam, & ad comparandam salutem animæ necessariam cuilibet homini. Huiusmodi autem testimonium facilè persuasit hominibus, quia plurimis, maximisque miraculis ipsum comprobauit, vt de veritate eius dubitari nullo modo posset. Ipse quoque multa passus est propter testimonium quod perhibebat Christo; eius namque rei causa, tanquam reus ductus est Romam, atque inibi missus in feruentis olei dolium, & in insulam Patmos relegatus. 22

Triplex Ioannis de Christo testimonium.

tus. Horum porrò verborũ in Græca lectione expeditior est constructio, & apertior sententia; sic enim est ad verbum: *Qui testificatus est verbum Dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcumque vidit.* Sunt enim omnia ista nomina in Accusatiuo, quæ reguntur à verbo illo, *testificatus est*: testificari autem dixit pro eo, quod est, publicè & apertè, & liberè & fidenter, atque constanter prædicare verbum Dei. Illud verò: *Et quæcumque vidit*, magnam testimonio Ioannis fidem astruit, fuit enim eorum quæ prædicabat, testis oculatus. Et hoc ipsũ explicatiùs ipsemet dixit in exordio primæ suæ Epistolæ, ita scribens; *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.*

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 4. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, gratia vobis, & pax ab eo Qui est, & Qui Erat, & Qui Venturus Est.*

23 HÆc est salutatio, qua B. Ioannes librum Apocalypsis exorsus est, eademque salutatione finiuit eundem Ex quo apparet, librum hunc esse Epistolarem, ad formam scilicet & modum Epistolæ conscriptum Numero autem isto septenario Ecclesiarum, plerique Interpretum denotari putant vniuersam Christi Ecclesiam: hæc enim & vna est propter vnitatem fidei, & charitatis, & est septuplex, propter septiformem Spiritus Sancti gratiam, per quam animatur, & vegetatur, & regitur Ecclesia. Ob eandem quoque causam B. Paulus ad septem duntaxat Ecclesias, scripsit Epistolas, volens erudire, atque instruere vniuersam Ecclesiam. Sed profectò, ista Interpretatio, mystica est magis quam litteralis. Non enim potest negari, Apocalypsim propriè scriptam esse à B. Ioanne ad illas septem Ecclesias Asiæ; cum & illas nominatim percenseat, & ad septem illas Ecclesias scribat Epistolas, singulis mittens singulas; & quid in vnaquaque earum laudabile erat ac vituperabile, commemoret; idque facere Ioannes iussus a Christo est.

Sed cur ad istas præcipuè Ecclesias B. Ioannes scripsit Apocalypsim? An quia istas Ecclesias ipse fundauerat & rexerat? id enim de ipso Ioanne testatur Tertullianus libro quarto contra Marcionem; Beatum enim Ioannem prædicasse in Asia, præcipuè autem Ephesi, Euangelium Christi, testes sunt B. Martyr Ignatius in Epistola quam scripsit ad Ephesios, & Irenæus libro tertio contra Hæreses, & Synodica Epistola Concilij Ephesini ad Clerum Cõstantinopolitanum; in qua dicitur Sanctus Ioannes vna cum Beatissima Virgine incoluisse Ephesum; quanquam illud de Beatissima Virgine, Epiphanius disputans contra Hæresim septuagesimam octauam, pro certo non habet. 24

Tertullian.

An illas septem Ecclesias Asiæ primus omnium Ioannes fundauerit & rexerit.

Sed enim Ephesinæ Ecclesiæ fundator, non fuit Ioannes, sed Paulus, qui totum trienniũ docendis Ephesiis atque eorũ Ecclesia fundanda consumpsit, cui et Ecclesiæ Timotheũ præfecit Episcopũ. Ergo quod dixit B. Hieronymus in libro de Scriptorib. Ecclesiasticis in Ioanne, totas Asiæ Ecclesias fuisse fundatas, & rectas a Ioanne, non videtur, si accipiatur simpliciter, & præcisè omnino verum. Ante Ioannẽ enim Paulus fundauerat Ephesinam Ecclesiam; & Petrus ante Paulum in Asia minori Euangelium prædicauerat, multosque ad Christi fidem con- 25

S. Hierony.

conuerterat, ad quos nimirum ipse scripsit Epistolas suas; idque confirmat etiam Magnus Leo in primo sermone de Festo Apostolorum. Sed quia post Petri, & Pauli martyrium, qui Asianarum Ecclesiarum Doctores, & fundatores fuerant, pullulantibus ibi hæresibus, magna erat facta Christianorum perturbatio, magnumque periculum erat ne deficerent illi a sinceritate fidei, & doctrinæ Christi: idcirco B. Ioannes eas postea denuo erudiendas, & regendas suscepit. Epiphanius disputans contra Hæresim quinquagesimam primam, ait, Ioánnem ætate iam senili præditum, à Spiritu Sancto iussum esse prædicare illis Ecclesijs, & reflectere errántes in viam. Earum porrò Ecclesiarum tantam Ioannes curam gessit, vt etiam longè absens, & exul, ad singulas ecclesias, singulas scripserit epistolas, quin etiam totam Apocalypsim: quæ in illis Ecclesijs rectè, aut praue agebantur, docente ipsum Spiritu sancto, minime ignorans.

Epiphani'.

Triplex Interpretatio.

26 Sequuntur illa verba: *Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.* quorum verborum triplex est interpretatio: Quidam putant istis verbis significari tres Personas diuinæ Trinitatis: Patrē quidem per illud, *Qui est*: Ipse enim dixit Mosi: *Ego sū qui sum*, & Moses ipse: *Qui est, misit me*. Filium verò per illud: *Qui erat*. de eo quippe Ioannes dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: denique Spiritum sanctum per illud: *Qui venturus est*: Sanctus enim Spiritus quotidie venit & venturus est in corda hominum ea illuminando, purificando, & sanctificando. Alij omnia ista verba de solo Patre interpretantur: ipse enim erat ab initio Mundum condēs: ipse est, Mundum perpetuò conseruans, & regens: & ipse venturus est, vt mundo auferat statum corruptionis, & mutabilitatis, & det nouum & gloriosum statum, ad similitudinem gloriæ, quam in corporibus suis habebunt Beati post resurrectionem, qua de re disputat Paulus ad Romanos 8.

Prima.

Exod. 3.

Ioa. 1.

Secunda.

3. Interpretatio Auctori placita.

Sed mihi probabilior fit tertia 27 Interpretatio, quæ verba ista refert ad totam ipsam Trinitatem; sed indistinctè tamen, ea scilicet ratione, vt Deus vnus est. Per illas itaque tres differentias temporis, præsentis, præteriti imperfecti, & futuri, insinuatur æternitas Dei, quæ coexistit totius temporis extensioni. Nam quia nos Dei æternitatem, ea ratione, vt per se ipsa est, non possumus cogitatione informare, nedum comprehendere intelligentia, aut verbis explicare; significamus eam per coexistentiā eius cum omnibus partibus temporis. Verùm æternitas, totius etiam temporis extensionem dupliciter excedit; tum quod ante, & post interminata est: tempus vero & principium habet, & finem; tum etiam, quod æternitas tota simul est, prorsus omnis expers variationis, & successionis: tempus autem sine successione necesse, nec intelligi potest.

* * * *
* * *
*

SEPTI-

SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 4. *Et à septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.*

Qui sint illi septem Spiritus stantes ante Thronum Dei.

28 HÆc verba non facilem habent intellectum, quia obscurum est ad intelligendũ, qui sint isti septẽ Spiritus stantes in conspectu throni Dei, à quibus gratiam, & pacem Ioannes precatur septẽ Ecclesijs, ad quas scribit. Est communis fermè Interpretum huius libri sententia, istos septem Spiritus interpretantium de Spiritu Sancto, cuius est septiformis gratia: eius namque septem dona Isaias appellauit Spiritus, dicens: *Requiescet super illum (Messiam) Spiritus sapientiæ, & intellectus. Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* ergo secundũ istorum sententiam, & interpretationem sensus horum verborum est huiusmodi Gratia vobis & pax à Spiritu Sancto; cuius sunt septem Spiritus, id est, Septem dona gratię eius: ita vt persona Spiritus Sancti significata sit his verbis, per septemplicem effectum eius, in Scriptura celebratum. Sic interpretantur locum hunc. Victorinus, Primasius, Andreas Cæsariensis, Ambrosius, Beda, Haymo, Rupertus, Ansbertus, alijque quamplurimi.

Locus Isaię 11.
Prima Interpretatio esse septem dona Spiritus sancti.

Victorinus. Primasius. Andreas. Ambros. Beda. Haymo. Ansbertus. Rupertus.
Discutitur supra dicta interpretatio.

29 Ego istam interpretationem à tot, & tantis viris probatam & traditam, nec prorsus improbare audeo: nec eam tamen approbare ac sequi in animum meum inducere possum: duę namque potissimum res eam mihi dissuadent. Primùm enim dicere, gratiam & pacem prouenire à septem spiritibus, id est, à septem donis Spiritus Sancti, & duram nimis habet locutionem, atque inusitatam, in Sacris litteris, nec satis rectam, & probabilem habet sententiã: quomodo enim gratia prouenire potest à septem donis Spiritus Sancti, cùm ipsa gratia sit eorum donorum quasi fundamentum, ordine naturæ praueniens & præcedens in anima hominis, ista dona Spiritus Sancti? Insolens quoque locutio est, septem dona Spiritus Sancti, appellare septem Spiritus simpliciter, & precisè. Nam licet quodlibet donum ab Isaia vocetur Spiritus non tamen simpliciter ac præcisè, sed cũ additione: dicitur enim Spiritus scientiæ, fortitudinis, timoris, &c. nomen autem Spiritus præcise positum in Scriptura, significat substantiam quampiam, vel ventum, vel Angelum, vel animã hominis. Alterum vero, quod mihi magis etiam eam interpretationem dissuadet, illud est, quod non video, quemadmodum illa verba: *Qui in conspectu throni eius sunt*; possint verè dici atque competere, vel in septem dona Spiritus Sancti, vel in ipsam Spiritus sãcti personã: stare namque in conspectu throni Dei, non potest conuenire accidentibus, sed Substantiæ tantùm subsistenti: ob idque non potest conuenire septẽ donis Spiritus Sãcti. Præterea, stare in cõspectu throni Dei, est subditorum, & ministrorum, qui astant parati ad capessenda, exequẽdaque iussa eius, in cuius conspectu stant: hæc autem in personam Spiritus Sancti, qui Deus est æqualis Patri, & Filio, nullo modo conueniunt.

Ob hæc igitur equidem propensior sum ad eorum sententiam, qui per Spiritus intelligunt Angelos: per septem autem, vniuersitatem ipsam Angelorum: secundum consuetudinem Sacræ Scripturæ, 30

2. Interpretatio.

CAPVT PRIMVM APOCALYPSIS.

VERS. 1. APocalypsis Iesu Christi quam dedit illi Deus palam face-
re seruis suis, quæ oportet fieri citò: & significauit, mittēs
2 per Angelum suum seruo Ioanni, * qui testimonium per-
hibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcum-
3 que vidit. * Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ
4 huius: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim breue est. *
Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Gratia vobis & pax ab eo
Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in
5 conspectu throni eius sunt: * & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, pri-
mogenitus mortuorū, & Princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit
6 nos à peccatis nostris in sanguine suo, * & fecit nos regnum & sacerdo-
tes Deo, & Patri suo: ipsi gloria, & imperiū in secula seculorū Amen.
7 * Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui cū pu-
8 pugerunt: Et plangent se super se omnes tribus terræ: Etiam, Amen. *
Ego sum α, & ω, principiū, & finis, dicit Dominus Deus: qui est, & qui
9 erat, & qui venturus est, omnipotens. * Ego Ioannes, frater vester, &
particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu: fui in in-
sula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Ie-
10 su. * Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocē magnā, tan
11 quam tubæ, * dicentis: Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ec-
clesiis, quæ sunt in Asia: Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ,
12 & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ: * Et conuersus sum, vt viderē
vocem, quæ loquebatur mecum: & conuersus, vidi septem candelabra au
13 rea: * & in medio septē candelabrorū aureorū simile filio hominis, vesti
14 tum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: * caput autē eius,
& capilli erant candidi tanq̄ lana alba, & tanquā nix, & oculi eius tan-
15 quā flamma ignis, * & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino
16 ardenti, & vox illius tanquā vox aquarm multarum; * & habebat in
dextera sua stellas septem; & de ore eius gladius vtraq; parte acutus
17 exibat: & facies eius sicut sol lucet in virtute sua. * Et cùm vidissē eū,
cecidi ad pedes eius tanquā mortuus. Et posuit dexterā suam super me,
18 dicens: Noli timere: ego sum primus, & nouissimus, * & viuus, & fui
mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorū, & habeo claues Mortis,
19 & Inferni. * Scribe ergo quæ vidisti, & quæ oportet fieri post hęc. * Sa-
20 cramentum septem stellarum, quæ vidisti in dextera mea, & septem can
delabra aurea: septem stellę, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & cande
labra septem, septem Ecclesiæ sunt.

IN

IN CAPVT PRIMVM DISPVTATIONES VIGINTIQVINQVE.

PRIMA DISPVTATIO.

DE VOCABVLO APOCALYPSIS.

Super illis verbis

VERS. 1. *APOCALYPSIS IESV CHRISTI.*

1 VErba quæ sũt ab exordio primi Capitis; vſque ad illa verba q́ ſunt in verſu nono: *Ego Ioannes frater veſter, &c.* ſunt quaſi proœmium huius libri, continens Scripturæ huius Apocalypſis commendationem, & ſalutationem miſſam ijs, ad quos ſcriptus eſt hic liber. Commendatio autem Scripturæ Apocalypſis, multis ex rebus ſignificatur a B. Ioanne; primò quidem ex dignitate perſonarum, à quibus, & per quas, & quibus tradita eſt Apocalypſis, hoc eſt, à Deo, & Chriſto Domino, & ipſi Ioanni Apoſtolo, & dilectiſſimo Chriſti diſcipulo propter teſtimonium Ieſu in exilium eiecto. Deinde commendatur hæc Scriptura ab ipſo genere doctrinæ, quæ in ea traditur; non enim eſt humana doctrina, ſed ſupernaturalis, & diuina; hoc namque ſignificat vocabulum Apocalypſis, id eſt, Reuelationis eorum, quæ ratione humana ſunt incomprehenſibilia. Poſſet itaque dici Beato Ioanni de hac ſua Apocalypſi, quod Beato Petro dixit Dominus; *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*: (Matth 16.) & quod dixit Daniel regi Nabucodonoſor; *Mihi quoque non in ſapientia, quę eſt in me pluſquam in cunctis viuentibus, Sacramentum hoc reuelatum eſt: ſed eſt Deus in cœlo reuelans myſteria.* (Daniel. c 2) Tum Apocalypſis commendatur ab vtilitate, cùm dicitur; *Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt.* Quarta commendatio huius ſcripturæ petitur

ab vniuersalitate eius: non enim scripta est priuato alicui homini, vt nonnullæ Pauli Epistolæ Timotheo, & Tito, & Philemoni: neque vni alicui Ecclesiæ, vt Romanorum, vel Corinthiorum; sed septem Ecclesijs Asiæ, & sub earum nomine, vniuersæ Christi Ecclesiæ. Quartam huius Scripturæ commendationē continet conditio rerum, quæ Sancto Ioanni reuelatæ sunt, & in hoc libro descriptæ, quæ sunt res futuræ, & mox futuræ, & in finem vsque Mundi futuræ. Sic autem natura comparatum est, vt mortalium animi, futura noscendi sint auidissimi: presertim verò quæ propè futura sunt, & aliquo modo eos attingunt. Ergo (vt in pauca contraham) commendatur Apocalypsis in procœmio huius libri à quadruplici genere causæ, à forma, efficiente, fine, & materiā. Forma doctrinæ huius est, quam denotat nomē Apocalypsis. Efficiens, est reuelans, siue tradens Apocalypsim, Deus, & Christus, & Angelus; & Ioānes traditam sibi Apocalypsim scribēs. Finis est beatitudo hominis seruātis ea, quæ tractantur in hac prophetia. Materia demum, & principalis, & maxima, sunt res futuræ in finem vsque Mundi. Altera porrò huius procœmij pars continet Apostolicam salutationem, qua Beatus Ioannes ijs, ad quos scribit, id est, septem Ecclesijs Asiæ, gratiam & pacem à Deo, & à Iesu Christo, & à septem Spiritibus precatur. Sed explicemus illa verba:

De vocabulo Apocalypsis.

APOCALYPSIS IESV CHRISTI.

2 GRÆCA vox (Apocalypsis) Latinè significans Reuelationem, propria est diuinæ Scripturæ, à Septuaginta duobus Interpretibus primò vsurpata, & frequenter in Translatione eorum vsitata: negat enim B. Hieronymus, super primum Caput Epistolæ ad Galatas, apud vllos Scriptores Ethnicos id nominis inueniri. Cuius vocis ea est significatio, cùm quid tectum, & velatum, ablatum desuper operimento, ostēditur, & profertur in lucem. Et cū totus hic liber Græcè scriptus sit, alia Latinæ sunt reddita, hoc vocabulo Græco retento. Latinus porrò Interpres Græcum nomen Apocalypsis aliquando retinet, vt hic, & in decimoquarto Capite prioris Epistolæ ad Corinthios: aliquando autem vertit in Latinum nomē Reuelationis, vt ad Galatas primo: sicut etiam Grecum verbum conuertit in Latinum verbum reuelare, vt frequenter in Psalmis, præcipuè verò in Psalmo centesimo decimo octauo.

3 Hæc itaque prophetia B. Ioannis vocatur Apocalypsis, id est, Reuelatio, quæ est supernaturalis, & prorsus abscondita, & occulta, & incomprehensibilis homini, nec aliter ei cognobilis, quam per Dei reuelationem. Dicitur autem Prophetia hæc Reuelatio, tam respectu signorum, quàm respectu rerum signatarum. Nam & ipsæ visiones imaginariæ ac multiformes similitudines, quæ in hoc libro describuntur, diuinitùs effectæ atque obiectæ B. Ioanni sunt, & per eum reuelatæ sunt nobis in hoc libro. Significatio verò earum visionum, reuelata quidem est Sancto Ioanni, alioqui non ipse fuisset verè Propheta, sicut nec Pharao, nec Nabuchodonosor Prophetæ fuerunt, quamuis eis diuinæ Visiones contigerint: nobis autem earum visionum significatio minimè reuelata est, sed eam per coniecturas probabiles indagamus.

4 Est porrò reuelatio prophetica, quæ fit cum Visione imaginaria, qualis est hæc Ioannis, maioris dignitatis, quando in ea apparet persona aliqua instruens de rebus occultis: & quanto persona illa est dignior, vt Angelica, quàm humana, & diuina, quam Angelica; tanto & ipsa Visio & Reuelatio habet præstantior. Licèt autem initio huius libri scriptum sit Deum Apocalypsim dedisse Ioanni per Angelum; sępè

sæpè tamen ipse Angelus non loquitur Ioanni vt Angelus, sed vt repræsentans Deum, vel Christum; cuius nomine loquens multa dicit, quę in personam Angeli propriè non competunt. Eo autem Prophetia hæc Ioannis veteribus prophetijs antecellit; quòd illæ sunt de rebus, vel ad Synagogam, vel ad priorē Christi aduentum pertinentibus; hæc verò de ijs, quæ spectant ad Ecclesiam Christi, & ad posteriorē eius aduentum.

Ex hoc autem primo libri huius vocabulo, quod est Apocalypsis, facta est inscriptio, & appellatio libri huius, inscribitur enim, & appellatur Apocalypsis B. Ioan. Apostoli. Quanquam Ioannes ipse Scripturam hanc quatuor modis appellat; initio enim primi Capitis vocat Apocalypsim; & paulò pòst nominat Prophetiam; & paulò intra vocat librum præcise; in vltimo autē Capite appellat Librum Prophetię.

B. Ioannē s cognominatum à veteribus fuisse Theologū. In libris Græcis inscriptio huius Operis est huiusmodi: Apocalypsis Ioannis Theologi. Qui autem ex illo cognomento Theologi argumentari voluerunt, Ioannem libri huius auctorem, non fuisse Ioannem Apostolum, & Euangelistam, & dilectum Christi discipulum, sed fuisse alium quendam Ioannem cognomento Theologum; satis profectò antiquitatis Ecclesiasticæ imperitos sese ostenderunt. Si enim veterum Patrum Scripta legissent, cognouissent vtique, Ioannem Apostolum, & Euangelistam, hoc Theologi cognomento fuisse ab antiquis Patribus appellatum. Sic enim appellauit eum *Dionysius Areopag.* Dionysius Areopagita in Epistola, quam ad ipsum Ioannem scripsit in insula Pathmo exulantem. *Athana.* Athanasius itidem appellauit eum in Synopsi, & Epiphanius in Hæresi 51. *Chrysost.* Chrysostomus item in Proęmio explanationis Psal. 37. necnon & Cyrillus Alexandrinus libro tertio de Trinitate. Merito autem Theologi cognomento insignitus atque ornatus est B. Ioannes; is enim copiosius & sublimius, quàm alij Euangelistæ de Christi diuinitate, & æternitate scripsit, ob eāque rem comparatus est aquilæ; & Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica hierarchia, Euangelium eius vocat diuinissimam, & altissimam Iesu Theologiam.

SECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palàm facere seruis suis. VERS. 1.

Qvod hic dicitur; Deū 6
Apocalypsim dedisse Christo, vt eam ipse traderet seruis suis explanans Rupertus; *Rupertus.* Istam, inquit, reuelandi cœlestia Sacramenta seruis suis potestatem, Christi Humanitas dono accepit, quemadmodum & in hoc libro significatum est, vbi Agnus librum septem sigillis signatum, de dextera sedentis in throno, accepit, & aperuit. *Apocaly. 5.* De qua item potestate Spiritus dicit Ecclesijs; *Hæc dicis Sanctus, & Verus, qui habet clauem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* *Apocaly. 3.* Itaque Humanitati quidem Christi nihil est quod datum non sit, aut quod non acceperit; Diuinitati verò nihil datum est in potestatem, quod ante non habuerit. Sic Rupertus.

Ioachimus Abbas. Eorundem quoque verborum Interpretationem Ioachimus Abbas tradit huiusmodi; Christus non vt Deus est, sed vt homo est, accepit

accepit à Patre Apocalypsim; idest, Reuelationem diuinorum mysteriorum. Quia, nisi Filius Dei factus esset & homo nascendo, & vitulus in cruce moriendo, & leo ex morte resurgendo, & aquila ad superos ascendendo; mysteria, quæ de eius natiuitate, passione, resurrectione, & ascensione à Prophetis Veteris Testamenti prædicta, & scripta fuerant, nequaquam reuelata & manifestata fuissent. Reuelatio igitur Christi, opus est veritatis: quia quæ facturus erat ipse in plenitudine têporis, inspirati diuinitus prædixerunt Prophetæ: & quæ illi obscuris verbis significauerant, Christus exercendo potius, quàm loquendo reuelauit. Ergo Deus Pater dedit filio suo Christo hanc Reuelationem futurorum, cùm eum incarnari, & mori, & resurgere fecit ex mortuis, & assumptę mortalitatis nostrę substantiam in dexteræ suæ gloria collocauit, & Spiritum Sanctum Apostolis in nomine eius misit: & ita per eum compleuit Deus omnia, quæ à Prophetis de illo prædicta fuerant: atque huiusmodi complementum fuit perfecta eorum reuelatio & manifestatio. Hæc Ioachimus.

Discutitur Interpretatio Ioachimi.

7 Arbitratur itaque Ioachimus, propterea dici hoc loco Christum mysteria sua reuelasse seruis suis, quod quæ prædixerant Prophetæ de mysterijs eius, vt de incarnatione, passione, & resurrectione, ipse ea mysteria in se complendo, idest, nascendo, moriendo, & resurgendo, reuelauit ipsis, idest, quæ antè fuerant obscura, postquam ab ipso completa sunt, reddita sunt aperta & manifesta. Sed enim interpretatio hæc, licèt vera, & pia sit, huic tamen loco incongrua, & aliena est. Non enim B. Ioannes in hoc loco de mysterijs vitæ Christi agit, sed de mysterijs, id est, arcanis, & secretis rerum in Ecclesia futurarum vsque in finem mundi: quę quidem secreta Christus per Angelum animo Ioannis in visione imaginaria, per varias similitudines, & imagines repræsentauit, eorumque intelligentiam ei præstitit.

De Christi scientia rerum futurarum.

8 Deus itaque hanc Apocalypsim dedit Animæ Christi, non quidem per visiones imaginarias, & per varias similitudines, & figuras, sed per claram & distinctam, & perfectam rerum omnium futurarũ sciẽtiam. Deinde Christus eandẽ Apocalypsim tradidit Angelo, non per visionem imaginariam, neque per sensibiles aliquas similitudines, ea namque ratio cognoscendi, aliena & incongrua est intellectui angelico: sed per reuelationem purè intellectualem. Angelus denique eandem Apocalypsim tradidit B. Ioanni; & Ioãnes ipsi Ecclesiæ; eo nempè modo, qui descriptus est in hoc libro. Christus porro scientiam eorũ omnium, quæ traduntur in Apocalypsi, accepit in primo instanti suæ conceptionis, tũc enim anima eius omni scientia, & gratia est repleta. Decuit autem, vel maximè, Christum habere scientiam omnium, quæ futura erant in Ecclesia sua: quod ipsum prædixerat Isaias, futurum & Regem, & Legislatorem, et iudicem omnium hominum. *Isa. 33.* Nec solùm Deus Pater voluit, vt hanc Apocalypsim, quam ab ipso acceperat, Christus traderet seruis suis: verumetiam vt bonorum omniũ, quæ dederat ei, participem faceret Ecclesiam, & seruos suos. Patet hoc in filiatione Dei, in scientia, in potestate, in gratia, & in gloria. Filius enim Dei factus est homo plenus gratia, & veritate, vt de plenitudine eius acciperent omnes. *Ioan. 1.* Sicut enim natura dedit humano capiti sensum, & motum, non vt ea sibi tantùm haberet; sed vt ea in vniuersum corpus, atque omnia in membra diffunderet, ita Christus, qui est caput Ecclesiæ, bona sua deriuat in Sanctos, qui sunt membra eius, & ad hoc applicari potest, quod scriptum est in Psalmo 132. *Sicut vnguentum in capi-* *Locus Psalmi 132.*

te.

te, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius.

9 Sed contra id, quod dictum est, Christum habuisse scientiam omnium futurorum, obijcere fortasse quispiam id quod ipsemet Dominus de se dixit, nescire se diem extremi vniuersalis Iudicij; hæc e im eius verba refert Marcus capite 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angelis in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Verùm isti obiectioni B. Augustinus occurrit in Capite duodecimo libri primi de Trinitate scribens, illud esse dictum à Domino, non propria, sed figurata locutione; secundùm quam in Scriptura dicitur quispiam cognoscere rem aliq̃, non quia tunc primùm cognouit eam, sed quia tunc fecit alios cognoscere eam rem, sed quia tunc fecit alios cognoscere eam rem. Dicitur etiam quis nescire aliquid, non quia non sciat illud, sed quia non facit alios id scire, sed habet id occultum alijs; & de eo interrogatus, non eis manifestat, perinde quasi eam rem nesciret. Augustini verba sunt hęc. Dixit Christus se nescire illũ diem, quia id nescit, quod nescientes facit; id est, quod non ita sciebat, ut tunc Discipulis indicaret. Sicut etiã dictum est ad Abraham: *Nunc cognoui quod timeas Deum*, id est, nunc feci vt cognosceres quod timeas ipse Deum: nam & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Ad eundem quoque modum locutus est Apostolus Corinthijs, dicens: *Non iudicaui me scire aliquid inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* His enim loquebatur, qui capere altiora de Christi deitate non poterant. Quibus etiam paulò pòst dixit: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Hoc ergo inter illos nesciebat Paulus, qđ illi per ipsum scire non poterant; & hoc solum se inter illos sscire dicebat, quod illos per ipsum scire oportebat. Denique sciebat inter perfectos, quod iter paruulos nesciebat; ipse enim dixit; *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur id, quod occultat, quo dicitur fossa cæca, quæ occulta est. Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inueniatur, quia vtique hominibus loquuntur. Sic Augustinus.

Quo sensu dixerit Christus se nescire diem iudicij.
Locus Marci cap. 13.
S. August.
Genes. 22.
Locus 1. Corint. 2.

TERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

Quæ oportet fieri citò.

VERS. 1.

Dicitur hoc loco Deus 10 Christo dedisse Apocalypsim, ut per eam ipse palam faceret seruis suis, ea quæ oportet fieri cito. His autem vltimis verbis significatur materia, quæ tractatur in Apocalypsi, id est, ea quę per Apocalypsim manifestata sunt B. Ioanni. Ac licèt non sit tota huius libri materia, vel doctrina, declaratio rerum futurarum; est tamen maxima pars, & potissima, atque vtilissima. Non solùm autem in hoc libro Ioannem agere de rebus futuris, sed etiam de ijs, quæ euenerant ante tempus datæ sibi Apocalypsis, & de ijs, quæ illo ipso tempore agebantur, manifestum est ex verbis illis, quæ dixit ei Angelus; *Scribe*, inquit, *quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ post hęc futura sunt.*

Apocaly. 1.
Apocaly. 1.

Verùm quod dixit Ioannes, Apocalypsim esse de ijs, quæ tunc citò futura erant, non videtur hic conuenire cum materia huius libri, cuius magna pars videlicet, de nouissimis mundi temporibus, & de Antichristo est. Ecce a tempore quo Ioannes accepit, & scripsit Apocalypsim, prætierierunt adhuc anni, amplius

tio mundi transactum est vsque ad Christi aduentum, hoc enim tempus, paulò ampliùs quatuor annorum millia continet. Deinde supradictis mille sexcentis annis à Christi aduentu vsque adhùc transactis, addere oportet annos qui adhuc restant vsque ad finem mundi. Quomodo igitur tantum hoc tempus ab aduentu Christi vsque ad finem mundi, potest verè dici breuissimum, respectu, & comparatione temporis ab initio mundi vsque ad Christi aduentum exacti?

Quarta. Aucthoris sententia.

14 Mihi videtur quarta Interpretatio, quam significat Primasius, ceteris esse præferenda. Cùm enim hęc Apocalypsis comprehendat futuros Ecclesię successus omnes vsque ad finem mundi; horum autem plures aut proximè, aut non multo post ætatem Beati Ioannis futuri erant, idcirco verè dictum est, reuelata esse Ioanni, quæ citò ventura erant; nam etsi multa erant valde remota, vt quæ ad Antichristum pertinent: erant tamen alia multa non admodum longinqua. Primasius explanans illud: *Tempus enim prope est.* Sic ait: Tempus in proximo esse dicit, scilicet, vt singula, quę dicenda sunt, impleantur: cùm & plantatæ iam Ecclesiæ propagationis incrementa succedant.

Primasius.

QVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 1. *Significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.*

15 Illud; *significauit*, Beda, Albertus, Rupertus, & plures alij putant, non idem valere, quod ostendit, declarauit, manifestauit, sed contra potiùs idem valere, atq; valet apud Latinos verbũ signo, vel obsigno, vel sigillo. Ergo illud, *significauit*, idẽ valet atque, signis quibusdã, & imaginibus inumbratum, & velatum tradidit: quamquam earum similitudinum, & imaginum significatio, & intelligentia B. Ioanni patefacta est. Verùm ista expositio licèt quantum ad veritatem sententiæ non sit improbanda; non est tamen probabilis quantum ad germanam significationem verbi Græci, quo vsus est Ioannes in hoc loco, & quod Latinus Interpres vertit, *significauit*: non enim est verbum Græcum *σφραγίζω*, quod idem significat, atque Latinum verbum signo, obsigno, sigillo, sed est verbũ Grę cum *σημαίνω*, denotans idem quod ostẽdo, declaro, manifesto. Nec Latinus Interpres verbum significo, aliter vsurpare solet, quàm pro eo quod est declaro, vel manifesto. Primasius illud, *significauit*, putat denotare, aliqua in visionibus Ioannis manifestari, & declarari nobis, vt ex illis paucis ad cętera perscrutanda incitaremur, & quasi manu deduceremur. Sic enim ille scribit: Dicendo *significauit*, aliquid etiam futurorum, & mysteriorum ostendit: nec superficie litteræ nos voluit remanere contentos, quos ad mysteria altiùs perscrutanda, significandi verbo fecit intentos. Cum autem dicit *seruo suo Ioanni*, omni Ecclesiæ in vno illo reuelari voluit, quam in vnitate fundauit. Ideo dixit *palàm facere seruis suis*. non solùm vni ex multis, sed per vnum potius vniuersis: sicut regni cœlorum solus Petrus claues accepit, qua tamen potestate, omnis Ecclesia vti sublimata promeruit.

Circa illud: *Mittens per Angelum suum*, tres quæstiones breuiter tractari possunt. Prima quæstio: Videtur in prima visione, quæ narratur in hoc primo Capite, non Angelus, sed ipse Christus apparuisse Ioãni, 16

An omnia per Angelum, & nõ immediatè à Christo aliqua sint reuelata B. Ioanni.

& ipsum docuisse: ea namque ille de se loquitur, quæ in Angelum conuenire nullo modo possunt: ait enim. *Ego sum primus, & nouissimus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis, & inferni.* Sed respondendum est, nonnunquam in Apocalypsi loqui Angelum proprio nomine, vt cùm vetuit adorari se à Ioanne, dicens: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Interdum verò Angelus loquitur non suo nomine, sed ipsius Christi, quem repræsentat, ita vt personaliter sit Angelus, repræsentatiuè autem Christus; & ita fit in prima visione huius libri. Est enim vera, meritòq; probata Theologis Scholasticis illa B. Dionysij Areopagitæ sententia, omnes diuinas visiones, & apparitiones hominibus factas, siue in veteri, siue in nouo Testamento, quibuslibet personis, in quocunque tempore, & loco, & quocunque modo factæ fuerint, esse factas per Angelos, eorumque ministerio hominibus oblatas. Hoc etiam apertè, affirmatèque tradit S. Hieronymus super illis verbis Capitis tertij Epistolæ ad Galatas: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*: & B. Gregorius in Præfatione Commentariorum suorum in Iob. Ad eandem quoque sententiam in Cõmentario huius loci scribit hæc Primasius: Rectè dictum est illud, per Angelum suum à Christo fuisse dilecto Discipulo reuelata mysteria: constat enim, per assumptam creaturam, & non per Diuinitatis essentiam, Christum semper apparuisse mortalibus, & ante incarnationem suam, & post ascensionem.

Apocal. 19.

Dionysius, De cœlesti Hierar. c. 4.

S. Hierony.

S. Gregor.

Primasius.

17 Altera quæstio est: Quomodo hic dicitur, per Angelum fuisse reuelata Ioanni mysteria, quasi solus ipse omnia manifestauerit Ioanni: legimus enim in hoc libro Apocalypsis, etiam quatuor animalia, & viginti quatuor seniores sæpè locutos esse Ioanni, atque eum multa docuisse. Sed ad istam quæstionem hoc sit responsum; totam illam visionem quatuor animalium, & viginti quatuor seniorum vel tacentium, vel loquentium, ab Angelo effictam, & formatam esse in animo Ioannis, cum esset in extasi. Angelus enim fecit, formando in animo Ioannis figuras, & similitudines animalium, & seniorum, vt Ioannes in extasi positus videretur sibi & illa videre præsentia, & ab illis hæc vel illa audire.

Tertia quæstio: An fuerit vnus 18 duntaxat Angelus, qui omnia reuelauerit Ioanni, an verò plures fuerint Angeli. Nam & vnum fuisse, videtur eo indicari, quod dicitur hic numero singulari, per Angelum fuisse manifestata Ioanni mysteria: ex aduerso videntur fuisse plures Angeli: In hoc enim Libro Apocalypsis plurifariam inducuntur multi, atque varij Angeli cum B. Ioanne loquentes. Equidem puto, vtrumuis haud improbabiliter credi posse. Potuit enim vnus esse tantùm Angelus, qui finxerit in animo Ioannis oẽs illas visiones multorum Angelorum loquentium cum Ioanne, cùm reuerà tamen non esset nisi vnus Angelus personaliter ibi præsens, & illas visiones atque repræsentationes efficiens. Potest etiam dici fuisse plures Angelos: non enim Christus hic dicitur misisse vnum Angelum, sed præcisè Angelum: nec est in sacris litteris insolens, numeri singularis pro numero pluratiuo vsurpatio.

An tota hæc Apocalypsis, ab vno tantũ Angelo, an à pluribus tradita sit B. Ioanni.

QVIN-

QVINTA
Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 2. *ui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcunque vidit.*

HAEC verba interpretans Ambrosius ita scribit: Hic locus apertè demonstrat, nõ ab alio Ioanne, sed ab eo qui Euãgelium scripsit, hunc librum esse compositum. Qui & in cœna recubuit supra pectus Domini, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, vnde immensum sapientiæ fontem haurire meruit. Perhibuit ergo Ioãnes testimoniũ Dei, quando dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed in eo quod sequitur: *Quæcunque vidit*, quibus verbis significatur Ioannẽ de Christo testificatum esse omnia quæ viderat; quęstio exoritur, quomodo hoc sit verum, cùm ipsemet dixerit in suo Euangelio capite vltimo: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, quę non sunt scripta in libro hoc.* Sed sciendum est, Ioannem perhibuisse testimonium omnium quæ viderat, prædicando videlicet gentibus omnia quæ à Christo didicerat, & miracula quæ viderat, narrando: Scribere autem noluit omnia, sed ea tantummodò, quæ posteà profutura esse præuiderat. Hæc Ambrosius: quibus prorsus eadem super hoc ipso loco scribit Ruoertus, ab eo indubiè mutuatus. Testimonium igitur, quod dicitur hic perhibuisse Ioannes verbo Dei, referunt isti ad Euangelium scriptum ab eo, priusquam accepisset Apocalypsim: in quo Euangelio multifariam, sed præcipuè in exordio eius luculentissimũ diuinitatis, & æternitatis Christi testimonium, & pręconium edidit. Eadem quoque Andreæ Cęsariensis, & Bedę, & Kyrani, aliorùmque sententia est.

Ambros. *Ioan. 13.* *Coloss. 2.* *Ioan. 1.* *Ioan. 21.*

Verùm Auctores istos refelli apertè ratio temporum. Euangelium namque suum Ioannes non scripsit ante exilium, sed vel in ipso exilio: vt significant in Synopsi Dorotheus, & Athanasius, & Theophylactus in Præfatione Commentariorum suorum in Euangelium Ioannis, & Nicephorus libro 3. capite 9. Vel scripsit Euangeliũ post reditum ab exilio, quod certe multo est probabilius: id enim Dionysius Areopagita non obscurè significat in ea, quam ad ipsum Ioannem exulantem scripsit Epistola, idemque tradit Epiphanius contra hæresim quinquagesimam primã, & Eusebius lib. III. Ecclesiasticæ Historiæ, & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Ioanne Apostolo, & Primasius in principio suorum Commentariorum in Apocalypsim, ita scribens: Apocalypsin eo tempore Ioannes accipere promeruit, quo tempore in Patmos insula pro Christo à Domitiano Cæsare exilio missus, & metallis damnatus, terminis arcebatur inclusus. Postea verò scripsit Euangelium post Domitiani mortem, exilio liberatus, a congregatione Sacerdotum rogatus, contra Valentinum, & Cerinthũ, & Ebionem, qui cõtra Christi diuinitatem, & æternitatem falsa & impia docere, multosque suis erroribus irretire cœperant. Sic ille. Sed ego miror satis Bedam, qui scripserit in Commentarijs suis in Apocalypsim, ante eam fuisse Euangelium à Ioanne scri-

Ioãnis Euãgelium scriptum esse post Apocalypsim. *Primasius.*

vtum, cum ipsemet in eo libro, quem fecit, & inscripsit De sex ætatibus Mundi, vbi agit de Nerua Imperatore, ait, Ioannem post Apocalypsim, suùmque ab exilio reditum scripsisse Euangelium.

21 Verùm nostrę huic sententię aduersatur Canon B. Clementis, qui inter Canones Apostolicos numeratur octogesimus quartus: in eo enim ponitur inter libros Canonicos (quorũ ibi traditur numerus) Euangelium B. Ioannis, Apocalypsis autem non ponitur: id autem non obscuro est indicio, Apocalypsim non fuisse tunc, cùm est ille Canon factus, editam; ex quo liquet, Euangelium fuisse scriptum ante Apocalypsim. Sed hæc nos nihil mouet obiectio; quibus nempe notum est, istum Canonem octogesimum quartum multas ob causas à doctis viris meritò non probari. Principiò, istorum Canonum Apostolicorum quinquaginta dútaxat, vel sexaginta, Sanctorum Patrum, summorùmque Pontificum, & plurium Generalium Conciliorum auctoritate comprobati sunt: Reliqui autem, in quibus est iste Canon octogesimus quartus, fidem, & auctoritatem non habent. Deinde in isto Canone, inter libros sacros, & Canonicos ponuntur tres libri Machabæorum; & omittuntur Esdras, Iudith, Tobias, Sapientia, Ecclesiasticus: cum tamen Catholica Ecclesia nec agnoscat tanquam Canonicos, nisi duos priores Machabæorum libros; & Esdram, aliosque quos dixi, pro sacris, & Canonicis habeat. Tum in isto Canone recensentur inter libros Canonicos Epistolæ Clementis, & libri Constitutionum eius; quæ nunquam in Ecclesia, Canonicorum Scriptorum auctoritatem, & venerationem habuerunt. Postremò commemoratio Euangelij Ioannis, quę fit in isto Canone, destruit penitùs eius Canonis fidem, & auctoritatem: Canones enim isti dicuntur esse conditi, B. Apostolo Petro viuente; is autem sub finem Principatus Neronis, glorioso martyrio vitam finiuit: at Euangelium Ioannis, multis post excessum Petri annis esse conscriptum, inter omnes conuenit. Nec dici potest, Euangelium Ioannis postea esse adiectum isti Canoni ab ipso Clemente, qui Ioanni superfuit: Ioannis enim obijt secundo Traiani anno, Clemens autem tertio anno: hoc, inquam, probabiliter dici non potest; ob eandem enim causam debuerat Clemens addere isti Canoni etiam Apocalypsim: Nisi fortè dicatur ab aliquo, Clementem non habuisse pro Canonico libro Apocalypsim. Sed hoc impium est dicere: nam neque Clemens, qui eo ipso tempore vixit, ignorare potuit Apocalypsim a Ioanne scriptam esse; & sciens esse Ioannis Apostoli, non potuit eam pro sacra, & Canonica Scriptura non habere. Sed nos, his, quasi per digressiunculam quandam cursim dictis, quodnam fuerit testimoniũ illud, quod Ioannes verbo Dei iam ante Apocalypsim prohibuerat, breuiter declaremus.

Discutitur canon. 84. Apostolorum.

22 Triplex fuit testimonium Ioannis de verbo Dei: vnum fuit prædicationis: alterum, miraculorum: tertiũ, passionis pro ipso bono Dei. Ioannes etenim fidem, & doctrinam Christi prædicauit in Iudæa, & in Asia: testificans eam veram esse, & diuinam, & ad comparandam salutem animæ necessariam cuilibet homini. Huiusmodi autem testimonium facilè persuasit hominibus, quia plurimis, maximisque miraculis ipsum comprobauit, vt de veritate eius dubitari nullo modo posset. Ipse quoque multa passus est propter testimonium quod perhibebat Christo; eius namque rei causa, tanquam reus ductus est Romam, atque inibi missus in feruentis olei dolium, & in insulam Patmos relegatus.

Triplex Ioannis de Christo testimonium.

stus. Horum porrò verborũ in Græca lectione expeditior est constructio, & apertior sententia; sic enim est ad verbum: *Qui testificatus est verbum Dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcumque vidit.* Sunt enim omnia ista nomina in Accusatiuo, quæ reguntur à verbo illo, *testificatus est*: testificari autem dixit pro eo, quod est, publicè & apertè, & liberè & fidenter, atque constanter prædicare verbum Dei. Illud verò: *Et quæcumque vidit*, magnam testimonio Ioannis fidem astruit, fuit enim eorum quæ prædicabat, testis oculatus. Et hoc ipsũ explicatiùs ipsemet dixit in exordio primæ suæ Epistolæ, ita scribens; *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.*

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 4. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia; gratia vobis, & pax ab eo Qui est, & Qui Erat, & Qui Venturus Est.*

23 HÆc est salutatio, qua B. Ioannes librum Apocalypsis exorsus est, eademque salutatione finiuit eundem. Ex quo apparet, librum hunc esse Epistolarem, ad formam scilicet & modum Epistolæ conscriptum. Numero autem isto septenario Ecclesiarum, plerique Interpretum denotari putant vniuersam Christi Ecclesiam: hæc enim & vna est propter vnitatem fidei, & charitatis, & est septuplex, propter septiformem Spiritus Sancti gratiam, per quam animatur, & vegetatur, & regitur Ecclesia. Ob eandem quoque causam B. Paulus ad septem duntaxat Ecclesias, scripsit Epistolas, volens erudire, atque instruere vniuersam Ecclesiam. Sed profectò, ista Interpretatio, mystica est magis quam litteralis. Non enim potest negari, Apocalypsim propriè scriptam esse à B. Ioanne ad illas septem Ecclesias Asiæ; cum & illas nominatim percenseat, & ad septem illas Ecclesias scribat Epistolas, singulis mittens singulas; & quid in vnaquaque earum laudabile erat ac vituperabile, commemoret; idque facere Ioannes iussus a Christo est.

Sed cur ad istas præcipuè Ecclesias B. Ioannes scripsit Apocalypsim? An quia istas Ecclesias ipse fundauerat & rexerat? id enim de ipso Ioanne testatur Tertullianus libro quarto contra Marcionem; Beatum enim Ioannem prædicasse in Asia, præcipuè autem Ephesi, Euãgelium Christi, testes sunt B. Martyr Ignatius in Epistola quam scripsit ad Ephesios, & Irenæus libro tertio contra Hæreses, & Synodica Epistola Concilij Ephesini ad Clerum Cõstantinopolitanum; in qua dicitur Sanctus Ioannes vna cum Beatissima Virgine incoluisse Ephesum; quanquam illud de Beatissima Virgine, Epiphanius disputans contra Hæresim septuagesimam octauam, pro certo non habet. 24

Tertullian.

An illas septem Ecclesias Asiæ primus omnium Ioannes fundauerit & rexerit.

Sed enim Ephesinæ Ecclesiæ fundator, non fuit Ioannes, sed Paulus, qui totum trienniũ docendis Ephesiis atque eorũ Ecclesia fundanda consumpsit, cui ẽt Ecclesiæ Timotheũ præfecit Episcopũ. Ergo quod dixit B. Hieronymus in libro de Scriptorib. Ecclesiasticis in Ioanne, totas Asiæ Ecclesias fuisse fundatas, & rectas a Ioanne, non videtur, si accipiatur simpliciter, & præcisè omnino verum. Ante Ioannẽ enim Paulus fundauerat Ephesinam Ecclesiam; & Petrus ante Paulum in Asia minori Euangelium prædicauerat, multosque ad Christi fidem 25

S. Hierony.

conuerterat, ad quos nimirum ipse scripsit Epistolas suas; idque confirmat etiam Magnus Leo in primo sermone de Festo Apostolorum. Sed quia post Petri, & Pauli martyrium, qui Asianarum Ecclesiarum Doctores, & fundatores fuerant, pullulantibus ibi hæresibus, magna erat facta Christianorum perturbatio, magnumque periculum erat ne deficerent illi a sinceritate fidei, & doctrinæ Christi: idcirco B. Ioannes eas postea denuo erudiendas, & regendas suscepit. Epiphanius disputans contra Hæresim quinquagesimam primam, ait, Ioãnem ætate iam senili præditum, à Spiritu Sancto iussum esse prædicare illis Ecclesijs, & reflectere errãtes in viam. Earum porrò Ecclesiarum tantam Ioannes curam gessit, vt etiam longè absens, & exul, ad singulas ecclesias, singulas scripserit epistolas, quin etiam totam Apocalypsim: quæ in illis Ecclesijs rectè, aut praue agebantur, docente ipsum Spiritu sancto, minime ignorans.

Epiphani⁹.

Triplex Interpretatio.

26 Sequuntur illa verba: *Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.* quorum verborum triplex est interpretatio: Quidam putant istis verbis significari tres Personas diuinę Trinitatis: Patrē quidem per illud, *Qui est*: Ipse enim dixit Mosi: *Ego sũ qui sum*, & Moses ipse: *Qui est, misit me*: Filium verò per illud: *Qui erat.* de eo quippe Ioannes dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: denique Spiritum sanctum per illud: *Qui venturus est*: Sanctus enim Spiritus quotidie venit & venturus est in corda hominum ea illuminando, purificando, & sanctificando. Alij omnia ista verba de solo Patre interpretantur: ipse enim erat ab initio Mundum condēs: ipse est, Mundum perpetuò conseruans, & regens: & ipse venturus est, vt mundo auferat statum corruptionis, & mutabilitatis, & det nouum & gloriosum statum, ad similitudinem gloriæ, quam in corporibus suis habebunt Beati post resurrectionem, qua de re disputat Paulus ad Romanos 8.

Prima.

Exod. 3.

Ioa. 1.

Secunda.

Sed mihi probabilior fit tertia 27 Interpretatio, quæ verba ista refert ad totam ipsam Trinitatem; sed indistinctè tamen, ea scilicet ratione, vt Deus vnus est. Per illas itaque tres differentias temporis, præsentis, præteriti imperfecti, & futuri, insinuatur æternitas Dei, quæ coexistit totius temporis extensioni. Nam quia nos, Dei ęternitatem, ea ratione, vt per se ipsa est, non possumus cogitatione informare, nedum comprehendere intelligentia, aut verbis explicare; significamus eam per coexistentiã eius cum omnibus partibus temporis. Verùm æternitas, totius etiam temporis extensionem dupliciter excedit; tum quod ante, & post interminata est: tempus vero & principium habet, & finem; tum etiam, quod æternitas tota simul est, prorsus omnis expers variationis, & successionis: tempus autem sine successione necesse, nec intelligi potest.

3. Interpretatio Auctori placita.

SEPTI-

SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 4. *Et à septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.*

Qui sint illi septem Spiritus stantes ante Thronum Dei.

28 HÆc verba non facilem habent intellectum, quia obscurum est ad intelligendũ, qui sint illi septẽ Spiritus stantes in conspectu throni Dei, a quibus gratiam, & pacem Ioannes precatur septẽ Ecclesijs, ad quas scribit. Est communis fermè Interpretum huius libri sententia, istos septem Spiritus interpretantium de Spiritu Sancto, cuius est septiformis gratia: eius namque septem dona Isaias appellauit Spiritus, dicens: *Requiescet super illum (Messiam) Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* ergo secundũ istorum sententiam, & interpretationem sensus horum verborum est huiusmodi Gratia vobis & pax à Spiritu Sancto, cuius sunt septem Spiritus, id est, Septem dona gratiæ eius: ita vt persona Spiritus Sancti significata sit his verbis, per septemplicem effectum eius, in Scriptura celebratum. Sic interpretantur locum hunc. Victorinus, Primasius, Andreas Cæsariensis, Ambrosius, Beda, Haymo, Rupertus, Ansbertus, alijque quamplurimi.

Locus Isaiæ 11.
Prima Interpretatio esse septem dona Spiritus sancti.

Victorin. Primasius. Andreas. Ambros. Beda. Haymo. Ansbertus. Rupertus.
Discutitur supra dicta interpretatio.

29 Ego istam interpretationem à tot, & tantis viris probatam & traditam, nec prorsus improbare audeo: nec eam tamen approbare ac sequi in animum meum inducere possum: duæ namque potissimum res eam mihi dissuadent. Primùm enim dicere gratiam & pacem prouenire à septem spiritibus, id est, à septem donis Spiritus Sancti, & duram nimis habet locutionem, atque inusitatam, in Sacris litteris, nec satis rectam, & probabilem habet sententiam: quomodo enim gratia prouenire potest à septem donis Spiritus Sancti, cùm ipsa gratia sit eorum donorum quasi fundamentum, ordine naturæ præueniens & præcedens in anima hominis, ista dona Spiritus Sancti? Insolens quoque locutio est, septem dona Spiritus Sancti, appellare septem Spiritus simpliciter, & præcisè. Nam licet quodlibet donum ab Isaia vocetur Spiritus non tamen simpliciter ac præcisè, sed cũ additione: dicitur enim Spiritus scientiæ, fortitudinis, timoris, &c. nomen autem Spiritus præcise positum in Scriptura, significat substantiam quãpiam, vel ventum, vel Angelum, vel animã hominis. Alterum verò, quod mihi magis etiam eam interpretationem dissuadet, illud est, quod non video, quemadmodum illa verba: *Qui in conspectu throni eius sunt*; possint vere dici atque competere, vel in septem dona Spiritus Sancti, vel in ipsam Spiritus sãcti personã: stare namque in conspectu throni Dei, non potest conuenire accidentibus, sed Substantiæ tantùm subsistenti: ob idque non potest conuenire septẽ donis Spiritus Sãcti. Præterea, stare in cõspectu throni Dei, est subditorum, & ministrorum, qui astant parati ad capessenda, exequẽdaque iussa eius, in cuius conspectu stant: hæc autem in personam Spiritus Sancti, qui Deus est æqualis Patri, & Filio, nullo modo conueniunt.

30 Ob hæc igitur equidem propensior sum ad eorum sententiam, qui per Spiritus intelligunt Angelos: per septem autem, vniuersitatem ipsam Angelorum: secundum consuetudinem Sacræ Scripturæ, *2. Interpretatio.*

vocabulo Septenarij nonrarò significantis vniuersitatem vel magnam quampiam multitudinem: nã quia vt ait B. Gregorius, omne tempus septem diebus comprehenditur, recte Septenario numero vniuersitas figuratur: atque huiusmodi est Nicolai de Lyra interpretatio. *Lyranus.* *3. Interpr.* Alij septem Spiritus interpretantur hoc loco Angelos illarum septem Ecclesiarum, ad quas B. Ioannes scripsit septem epistolas, quæ secundo, & tertio capite huius libri continentur. *4. Interpr. Auctori probata.* Sed illud similius, & propius vero mihi videtur, per septem Spiritus hoc loco significari septem principales Angelos, qui inter omnes Angelos sunt primarij diuinæ prouidentiæ circa gubernationem Ecclesiæ, atque adeo etiam mundi administrari. Andreas certè Archiepiscopus Cæsariensis Cappadociæ, super hoc primo Capite Apocalypsis, hanc sententiam videtur assignare Irenæo, & Epiphanio: *Irenæus.* Magnus, inquit, Irenæus septem Angelos ceteris excellentiores, initio esse cõditos a Deo, scriptum reliquit. Illud quoque adiuuat hanc sententiam, quod Angelus Raphael dixit, se esse vnum de septem Spiritibus, qui stant ante conspectum Dei, *Locus To. 12.* idemq; videtur significasse Gabriel Archangelus; *Luca 1.* & in hoc libro nominantur septem Angeli tubis canentes, & alij septem habentes phialas iræ Dei, & septem Spiritus missi in vniuersam terram.

Tres obiectiones. 32 Sed enim tria huic Interpretationi, & sententiæ videntur posse objici. Prima obiectio: videtur incongruum, Angelos connumerari diuinis personis: nam illud: *Ab eo Qui est, & qui erat, & Qui venturus est*: denotat personas diuinas: si autem illud; *& à septem Spiritibus*, significat Angelos, ergo Angeli in eodem ordine ponuntur cum diuinis Personis, & in earum Societate adscribuntur. Ad hanc obiectionem respondent Andreas, & Aretha, *Andreas. Aretha.* Angelos hoc in loco, non tanquam paris potestatis, & maiestatis cum supremo illo numine connumerari; sed tanquam primarios illos seruos, & ministros vnà cum ipsorum Domino interdum nominari: sicut Paulus: *Testor, inquit, coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.* *Locus Pau. 1. Tim. 1.*

Secunda obiectio: Inconueniens, 32 & absurdum videtur, gratiam & pacem precari, & postulare ab Angelis, cùm ipsi nec effectores gratiæ sint, nec largitores; sed is solus, de quo scriptum est: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* *Psalm. 83.* Respondeo, gratiam & pacem non postulari ab Angelis tanquam eius effectoribus, sed quia eorum sæpè deprecatione & ministerio gratia hominibus à Deo donatur: *Hebr. 1.* Paulus enim appellat Angelos, administratorios Spiritus, missos in ministerium, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Tertia obiectio: Si septem illi Spiritus significant Angelos, quomodo Ioannes in precando gratiam & pacem eos prænominauit atq; præposuit Christo Domino, dicens: *A septem Spiritibus, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, &c.* Sed profectò id factum est, quia ratio ipsius sententiæ, & contextus orationis poscebat vt priùs nominarentur Angeli: siquidem nominato Christo, proximè multa subiunguntur, quæ continenti orationis serie cum Christo connectenda sunt.

Sed quid est, Angelos stare in 33 *Quid sit Angelos stare in conspectu Dei.* conspectu Dei? Multa sanè istiusmodi locutione denotantur: primò, Angelos videre faciem Dei; deinde, esse apud Deum præcipuè gratiosos atque honoratos; tum, bene nosse arcana, consilia, & voluntatem Dei; adhæc, esse paratos, & promptos ad Dei iussa capessenda, & exequenda velociter atque efficaciter; & ideò comparantur ventis, & flammæ ignis, sicut scriptum est: *Qui fa-* *Locus Psalmi 103. Hebr. 1.*

cis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos flammam ignis. & alio loco: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Psal. 102.

OCTAVA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 5. & 6. *Et à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotiũ Deo, & Patri suo. Ipsi gloria & Imperium in secula seculorum.*

34 Beatus Ioannes, nominato Christo, eius commendat excellentiam, ab octo rebus: Primò à veracitate, ac fidelitate, dicens: *Qui est testis fidelis.* Secundò à prærogatiua resurrectionis, illis verbis: *Primogenitus mortuorum.* Tertiò ab excellentia dominationis, & imperij, ibi: *Princeps regum terræ.* Quarto, ab inæstimabili eius caritate, & beneficentia erga nos, cùm ait; *Qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & Sacerdotium Deo.* Quintò, à iudicandi potestate, per illud, *Ecce venit in nubibus.* Sextò ab vniuersali causalitate, dicens: *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis* Septimò ab æternitate, illis verbis: *Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est.* Octauò ab omnipotentia, per illud: *Omnipotens.* Atque vltimis hisce tribus rebus declaratur eius Diuinitas: alijs verò prioribus quinque rebus, demonstratur eius Humanitas, quantum ad triplicem eius potestatem, & dignitatem, triplexque munus, cuius perficiẽdi causa venit in Mundum, Redemptoris scilicet, & Regis, atque Iudicis. *Octo Christi excellentia.*

35 Sed cur appellatur Christus testis fidelis? Quia fidelis fuit & in dictis, & factis, & promissis. Sed quidnam testificatus est? multa quidem, de Deo, de seipso, & de Ecclesia sua. De Deo, tum alia, tum præcipuè mysterium Sanctæ Trinitatis. De se ipso, quod ipse esset promissus olim à Deo, & prædictus a Prophetis Messias: & quod tunc quidem venisset in humilitate ad saluandum Mundum; sed postea cum potestate, & maiestate magna venturus esset ad iudicandum omnes. De sua Ecclesia, quod ea congreganda esset non solùm ex Iudæis, sed ex cũctis gentibus, & quod licèt ab omnibus esset oppugnanda, nullis tamen hominum viribus, nullàque Dæmonũ potentia destruenda esset, sed permansura vsque in finẽ mundi. Fuit autem Christus testis omni exceptione maior testabatur enim, quæ ipsemet viderat: nempe de eo scripsit Ioannes: *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* *De quibus rebus testificatus sit Christus.* Ioan. 1.

36 Pensitet Lector, cur Beatus Paulus ad Timotheum scribens, præcipuè laudet ac prædicet testimoniũ à Christo dictum coram Pontio Pilato: Sic enim ait: *Præcipio tibi coram Deo, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem.* Tria dumtaxat Christum dixisse Pilato legimus: Primò, Regnum suum non esse de hoc Mundo: Deinde, venisse se in Mundum, & in hoc esse natum, vt testimonium perhibeat veritati: ac demum, Pilatum, non fuisse habiturum potestatem aduersum se vllã, nisi ea fuisset ipsi desuper data. Posset igitur quæri, quodnã fuerit illud testi- *Locus 1. ad Timot. c. 6. Quod fuit testimonium, & bona cõfessio Christi coram Pilato, quã præcipuè cõmendat Paulus Timotheo.*

testimonium, & quæ bona illa confessio CHRISTI coram Pilato. Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius referunt ad confessionem, quod ipse rex esset Iudæorum, natus ad testimonium perhibendum veritati: atque hanc oris, & vocis confessionem, cruciatuum, & mortis tolerantia confirmauit: atque ita eundem eum locum interpretantur B. Thomas, & Caietanus, cuius hæc sunt verba: Et facto, & verbo CHRISTVS bonam confessionem testatus est sub Pontio Pilato: verbo quidem testatus est confessionem propriæ innocentiæ, dicens: *Non haberes aduersus me potestatem vllam* &c. & regni sui cœlestis, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*: & propriæ Deitatis, dicens: *Ego ad hoc veni in mundum*: & demum propriæ doctrinæ, illis verbis: *Vt testimonium perhibeam veritati.* Facto quoque testatus est bonam confessionem, quia in professione, & confirmatione eorum, quæ docuerat, & dixerat, permansit vsque ad mortem crucis. Sic Caietanus. CHRISTVS itaque, quæ antea docendo confessus, & testatus fuerat, hæc ipsa moriendo confirmauit coram Pontio Pilato, qui eum, tanquam iudex morte damnauit. Sciat autem Lector, veteri Ecclesiæ vsu, nomen testimonij, siue martyrij, pertinere ad testificationem, quæ fit opere omnium maximo, voluntaria scilicet morte; confessionis autem vocabulum pertinere ad testimonium quod redditur verbis. CHRISTVS igitur, quod antea professus erat verbis, hoc ipsum coram Pilato, id est, opere ipso passionis, & mortis suæ, ad quam damnatus est à Pilato, testatus est.

Chrysost.

De quo ... B. Thomas. Caietanus.

NONA Disputatio.

Super illis verbis:

Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo. VERS. 6.

His verbis significat B. Ioannes, omnes Christianos esse Sacerdotes: idemque dicitur infra Capite quinto: *Et fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.* Sed hoc ipsum apertius dixit B. Petrus in Capite secundo prioris Epistolæ suæ illis verbis: *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per* Iesum Christum. Hinc Hæretici nostri temporis, qui, serpentum more, veritatem sacræ Scripturæ in venenum erroris conuertunt, argumentari solent, nullum esse in Ecclesia Christi Sacerdotium, quod non sit omnibus Christianis ex æquo commune. Nam cum isti verum Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ Sacramentum è medio tollant, nullam faciunt reliquam Sacerdotij singularem, & eximiam dignitatem, atque potestatem. Sed istorum error multis, & firmis, cum testimonijs, tum rationibus redargui, & confutari potest. In Synodo Nicæna Canone XIIII. declaratum est, Diaconos non habere potestatem operandi corporis, & sanguinis Christi, & Pepuziani; & Collyridiani tanquam hæretici olim damnati sunt, quod mulieribus etiam Sacerdotium tribuerent. Videat Lector Epiphanium contra Hæresim 49. & 79. & Augustinum in libro de Hæresibus in Hæresi 27. 37

Locus Petri, 1. Epist. cap. 2.

In hæreticos, non esse Sacerdotium commune omnium Christianorum.

38 Illud porrò quod B. Petrus, & Ioannes dixerunt, Christianos esse Sacerdotes, & offerre hostias Deo: dupli-

[Quomodo Christiani dicuntur reges, & Sacerdotes, duplex interpretatio.]

duplicem habet interpretationem, & veram vtramque. Ac primò quidē diximus, Christianos omnes appellari Sacerdotes, & reges, nō quidem propriè, sed figuratè ac mysticè, & spiritualiter: sicut etiam Petrus appellauit Christianos, lapides viuos, & domum: hoc autem Sacerdotium, & sacrificium spirituale in Veteri etiam Testamento non modò est cognitum, sed etiam valdè cōmendatum, & laudatum: Dauid enim commendat triplex sacrificium: vnum iustitiæ: *Sacrificate, inquit, sacrificium iustitiæ*: alterum laudis, dicens: *Immola Deo sacrificium laudis*: tertium, contritionis: cum ait: *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus*. Isaias quoque, ait: *Vos Sacerdotes Domini vocabimini*. Atque hoc modo supradicta verba Petri & Ioannis interpretatus est B. Augustinus in libro 2. Quæstionum Euangelicarum, cap. 40. & S. Leo sermone 3. de Anniuersario die sui Pontificatus, sic ait: Reges, & Sacerdotes sunt omnes Sancti: quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum, sui corporis esse rectorem? Quid etiam tam Sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? Et Beda hunc locum explanans: Quia, inquit, Rex regum, & Sacerdos cælestis, se offerendo pro nobis, suo nos corpori adunauit, nemo Sanctorum est, qui spiritualiter Sacerdotis officio careat, cum sit membrum æterni Sacerdotis.

[Triplex sacrificium spirituale. Psalm. 4. Psalm. 49. Psalm. 50. Esa. 61. S. August. S. Leo. Beda.]

39 Ambrosius quoque hanc ipsam secutus Interpretationem, Sacerdotes, inquit, Dei, electi, & sancti dicuntur, eò quòd membra sint summi Sacerdotis, de quo Psalmista dixit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*. Possunt etiam electi appellari Sacerdotes, quia semetipsos quotidie, per compunctionem cordis, & per orationes, aliaque bona opera offerunt Deo, sicut dixit Psalmista: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*: est præterea sacrificium laudis, quod Ecclesia quotidie offerre Deo consueuit, de quo scriptum est; *Immola Deo sacrificium laudis*, & item: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Ad eundem sensum supradicta Petri verba explicans Caietanus, Aduerte, inquit, prudens Lector, ne in laqueos incidas Hæreticorum, dicentium Christianos omnes esse propriè Sacerdotes. Deprehende cæcitatem istorum ex eo, quod in eodem contextu vtrumque dixit Petrus, & Christianos esse lapides ædificādos in domum spiritualem; & esse Sacerdotes. Sicut igitur dicuntur lapides, & domus, & ædificari, non propriè, sed metaphoricè, ita etiam dicunt Sacerdotes, nō ppriè, sed mysticè. Vnde subiungit, *Offerentes spiritales hostias*. Offerre siquidem spiritales hostias orationum, & sanctarum meditationum, & spiritualium instructionum, commune est omnibus, sicut offerre seipsum Deo in hostiam suauitatis.

[Ambros. Psalm. 109. Psalm. 50. Psalm. 49. Caietanus.]

40 Altera Interpretatio est, Petrum, & Ioannem locutos esse de Sacerdotio propriè dicto, & Christianos dici Sacerdotes, non quod omnes indifferenter Sacerdotij dignitatem, & potestatem habeant; sed quia in Christiano populo est ordo Sacerdotum, quorum ministerio populus Christianus offert sanctam Deo hostiam. Sunt etiam reges, qui sunt pastores Ecclesiæ, quibus dixit Paulus, *Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Et supradicto loco ait B. Leo; Omnes regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. Et B. Ignatius martyr in Epistola ad Smyrnenses, Honorate, inquit, Deum, tanquam auctorem, & dominum omnium; Episcopum verò tanquam principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentē; & principatum quidem habentem secundum Deum, Sacerdotium autem secundum Christum. Hostias porrò spirituales, & acceptabiles

[Act. 20. B. Ignatius.]

Deo,

Deo, quas secundum Petrum Christiani offerunt ipsi Deo, interpretamur nos sacrificium Missæ, & Eucharestiæ: de quo verba faciens S. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei, capite 20. Christus, inquit, Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio est: huius rei Sacramentum quotidianum, quotidianum voluit esse Ecclesiæ sacrificium. Vocat igitur Augustinus Eucharistiam, sacrificium Ecclesiæ. Hanc Eucharistiam Petrus & pluraliter vocauit hostias, & appellauit spirituales. Hostias dixit, quòd Eucharistia non semel, sed sæpiùs, & vsque ad consũmationem seculi offertur. Eam quoque vocauit spiritualem hostiam, quia per species sẽsibiles, Christus sensu inuisibilis, visibilis autem Spiritu offertur: & quia per carnalia legis Mosaicę sacrificia præfiguratum est hoc sacrificium Eucharistiæ, spiritu colendum, & spiritui salutiferum, atque viuificum.

V. Augusti. Sacrificiũ Eucharist.

41 Hanc, quam dixi verborum Petri, & Ioannis interpretationem secutus Caietanus, in Commentario illius loci B. Petri, scribit quædam memoratu digna, præcipuè in Hæreticos huius temporis; Explanans enim Caietanus verba illa B. Petri sumpta ex capite decimo nono libri Exodi, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*, &c. ita scribit: Aduerte hic cõtra hæreticos fingentes ex similibus auctoritatibus Scriptturæ: Christianos omnes esse sacerdotes: conuincit enim eos hic textus. Nam ad vniuersum populũ Israel dictum est: *Eritis mihi regnum sacerdotale*: insani autem hominis est, intelligere, vniuersum populum Israel fuisse reges, & sacerdotes. Hæc itaque & tunc dicta sunt, & nunc dicuntur, vt significetur vtraque dignitas illi collata populo, non vt singulis, sed vt vniuersis, hoc est, quod esset in vniuersitate illius gentis & dignitas sacerdotalis, & regalis Quod tunc verificatum est, quoad sacerdotium, ratione vnius tantùm tribus Leuiticæ: quoad regnum autem ratione diuersarum tribuum successiuè. Idem quoque nunc verificatur in vniuerso populo Christiano: in quo sacerdotium quidem est secundum quosdam consecratos; regnum autem spiritualiter. Quãuis etiam vniuersus populus Christianus habeat regale sacerdotium in summo Pontifice, cui suapte natura conuenit præesse regibus omnibus: &, relatiuè ad spiritualia, de eis disponere. Hæc Caietanus.

Caietanus.

DECIMA Disputatio.

Super illis verbis.

Ego sum alpha, & omega, principium & finis. VERS. 8.

42 Illud, *Ego sum α, & ω*, ex Græca lingua, qua Ioannes scripsit hunc librum, magnam habet ẽphasim, & energiam. Græcis enim, A, Littera omnium prima est; Ω, verò, vltima. Quid porrò id significaret, declarauit ipse proximè adiungens, *Principium & finis.* Sed illud ipsum referri potest vel ad causalitatem, tanquam ipse sit principium efficiens, a quo facta sunt omnia, & finis, propter quem sint omnia: Vel referri potest ad durationem, quasi sit ipse principium, & finis omnis durationis, id est, ante omnem, & post omnem durationem rerum omnium, quo significatur æternitas eius. Et hic intellectus probabilior videtur: infra enim capite vigesimosecundo, vbi repetitur hæc sententia: *Ego sum Alpha, & ω*: pro eo quod hic adijcitur, *Principium & finis*: illic adiungitur, *Primus, & nouissimus.* Simile huius sententiæ frequẽter vsurpat Isaias, apud quem Deus sic loquitur, *Ante me, & post me, & extra me non est Deus.* Vide ipsum Capite 41.

pite 41. 43. & 44.

43 Quoniam autem apud Græcos singulæ litteræ denotant numerum aliquem; & α, quidem denotat vnum; ω, verò octingenta; videtur istis duabus litteris significari Diuinitas & Humanitas Christi: Per Alpha, quæ est principium omnium litterarum, & denotat vnum, rite significatur Diuinitas. per Omega verò, id est, O magnũ, Christi Humanitas: O enim, mundum figurat, & Homo est paruus Mundus: sed Christus est magnus Mundus propter vnionẽ Humanitatis, atq; Diuinitatis: & ideo Humanitas eius per omega, id est, per O magnum denotatur. His adijce, quod centenarius numerus in Scriptura nõnunquam designat multitudinem Electorum, vt patet ex parabola Euangelica de centum quibus: Octonarius autem numerus pertinet ad beatitudinis consummationem: Christus igitur cũ sit caput omnium Electorum, & Beatorum; & beatitudinis eorum causa sit meritoria, efficiens & exẽplaris, congruè admodum vocatur omega.

Luc. 15.

44 Apponam hic Ruperti breuem, & concinnam loci huius Interpretationem. Duæ, inquit, sunt litteræ Græcorũ, quorũ lingua librũ hunc ecclesijs scripsit Ioãnes, α, & ω: Illa est græci alphabeti prima, hæc autem vltima; & illa principiũ denotat, hęc verò finem. Per α, commonemur respicere ad sacræ Scripturæ exordium, vbi scriptum est: *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Per, ω, autem, quæ vltima littera est, & finem denotat, respicere admonemur ad finem diuinæ Scripturæ in Euangelico volumine, vbi scriptum est, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*. Veraciter itaque credimus, atque confitemur, Christum, & principium esse, in quo facta sunt omnia; & finem, siue consummationem, qua restaurata & perfecta sunt omnia. Præterea sciendum, quòd apud Græcos, omnes litteræ verba componunt, & numeros denotant, & vt quæque sunt ordine pone posteriores, ita suis characteribus numeros designãt ampliores: α, itaque, quę prima est litterarum, denotat vnũ; ω, verò, q̃ est vltima, denotat octingenta. Et in hoc pulchritudo mysterij magna, & delectabilis est: Christus enim, q in principio vnus erat, & vnicus Dei Patris Filius; in fine seculorum filios Dei secum, nõ quidem genitos sed adoptatos, habebit quasi octingentos, id est innumerabiles, octo beatitudinibus per diuersas mansiones dispertiendo, remuneratos, & remunerãdo dispertitos. Sic Rupertus.

Rupertus.

Gen. 1.

Matt. vlt.

VNDECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu. VERS. 9.

45 CVR B. Ioãnes in hoc libro Apocalypsis se proprio suo nomine Ioannis, quinquies appellauerit, ter in hoc primo capite, & semel in capite vigesimo primo, & iterum semel in capite vigesimo secundo: cum neque in Euangelio, neque in Epistolis suis, ne semel quidem, proprium suum nomen Ioannis expresserit, Rupertus rationem reddit huiusmodi. Non ignorans B. Ioannes fore aliquando non solum hæreticos, sed nonnullos etiã Catholicos, qui librum suum Apocalypsis, propter obscuritatem mysteriorum, aliasve causas, vel reijcerent,

Cur B. Ioãnes propriũ suũ nomen sæpius i hoc libro expresserit.

Rupertus.

cerent, vel esse Ioannis Apostoli, & Euangelistę negarent: quò aduersus istorum calumnias & argumentationes librum præmuniret, voluit crebra sui nominis commemoratione, auctoritatem & fidem libro adstruere. Ioannē verò Apostolum, & Euangelistam fuisse scriptorem huius Libri, pręter Patrū, & Conciliorum, summorumq; Pōtificum auctoritatem, à quibus id traditum est: satis profectò elucet ex verbis illis hic proximè sequentibus: *Fui in insula, quę appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi*. Ex historijs enim Ecclesiasticis manifestum est, nullum alium Ioannem, illo tempore, propter Christi testimonium fuisse relegatum in insulam Patmos, nisi B. Ioannem Apostolum, & Euāgelistam.

Animaduersio i' Eusebium & Dionysium Alexandrinū sug autore, libri Apocalypsis.

46 Sine causa igitur Eusebius libro tertio Historiæ Ecclesiasticæ c. 33. ob dicta quędam Papię, qui fuit ipsius Ioannis auditor, in dubitationem venit, num Apocalypsis esset B. Ioannis Apostoli, an potius Ioannis cognomento Presbyter seu senioris, quem Papias distinguit à Ioanne Apostolo, faciens vnum de Discipulis Domini, in quorum cōmemoratione, eum nominat post Aristhonem. Hoc ipsum sine vlla dubitatione, sed asseueranter tradit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 20. Id porrò argumentari voluit Dionysius tum ex diuersitate styli, quæ cernitur in Apocalypsi, atque in Euangelio, & Epistolis B. Ioānis: tum verò, quòd Ioannes Scriptor Apocalypsis sępe inculcat nomen suum, quod Ioannes Apostolus nec in Euangelio, nec in Epistolis, ne semel quidem expressit. Sed friuolum est vtrumque argumentum. Diuersum enim stylum requirit scriptura prophetica à stylo historico, & Epistolari. Et id fortasse accidit ob interpretem, quo vsus est Ioannes in scribenda Apocalypsi, qui sententias à Ioanne sibi traditas, suis verbis, suoque stylo explicauit: huiusmodi enim causam reddit B. Hieronymus diuersitatis styli, quæ in duabus Petri epistolis cernitur. Suum autem nomen sæpius Ioannes in hoc libro apposuit, tum ob causam pauló suprà expositam; tum etiam quod hic de se, suisque rebus loquitur, alibi verò de alienis. Adijce quod vsitatum est Prophetis, proprium nomen apponere in libris suarū prophetiarum; in libro nempè ipsius Ieremiæ, sæpius nomen eius positū est, & Daniel in sua prophetia nomen suum octies posuit, dicens: *Ego Daniel*. bis capite septimo, ter capite octauo, semel capite nono, & bis capite decimo.

DVODECIMA Disputatio.

Super illis verbis.

Fui in insula, quæ appellatur Patmos. VERS. 9.

RELEGATIONEM B. Ioannis factam esse, Domitiano Imperatore, tradunt Irenæus libro quinto, Victorin' & Primasius initio Commentariorum suorū in Apocalypsim, & Eusebius in Historia Ecclesiastica, & in Chronicis, necnon & S. Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, in Ioanne: & hæc est Græcorum iuxta, Latinorumque communis sententia: præter Epiphanium, qui disputans contra hæresim quinquagesimam primam, istam Ioannis relegationem refert ad principatum Claudij Cæsaris, qui plus triginta annis præcessit principatum Domitiani. Sed Epiphanius in ratione 47

De tempore exilij B. Ioannis, Irenæus. Victorinus. Primasius. Eusebius. S. Hieronymus.

Notabilis lapsus Epiphanij in Chronologia.

ne tẽporum notabiliter lapsus est: nolo dicere per inscitiam Chronologiæ, sed iuuat potius credere lapsum esse per quandam incogitantiam siue incuriam, vel obliuioné, quę doctissimis etiam viris nonnũquam obrepũt. Circa nonum porrò annum principatus Domitiani excitata ab eo est aduersus Christianos persecutio, quę fuit secunda Romanorum Imperatorum in Christianos. Hoc tempore Sanctus Ioannes Ecclesias Asię regés, Ephesique manens, a Proconsule Asiæ quasi reus impietatis, ad Domitianum vinctus mittitur, ab eoque, vt fertur, tonderi, ignominię causa, iussus est: sicut inuisum sibi Apollonium Tyraneũ coma, & barba (quod erat insigne philosophiam ostentantium) contemptus causa idem Domitianus coram se radi iussit. Illud profectò certum est ex Tertulliano in libro de Præscriptionibus Hęreticorum, & ex primo libro Hieronymi contra Iouinianum, & ex Commentario eius in caput vigesimũ Matthęi, B. Ioannem in feruens oleũ esse missum, sed inde prorsus illęsum exisse. Postea decimo anno principatus Domitiani relegatus est in insulam Patmos ad effodienda metalla, vt tradunt Victorinus, & Primasius. Mansit autem in exilio vsque ad vltimum annum Domitiani, quo tẽpore accepit à Deo Apocalypsim, vt docet Irenęus libro quinto. Omnes verò insulanos Patmos, conuersos esse ad fidem Christi à Ioanne, scriptum reliquit Metaphrastes. Hęc verò insula Patmos, vna est ex Sporadibus insulis, ambitu triginta mille passuum, ab Icara versus Occasum sita. Videat lector Pliniũ libro quarto capite 12. & Strabonem libro decimo. Quæ quidem insula fuit antea ignobilis, & obscura, & penè innominata: sed postea S. Ioãnis exilio, & Apocalypsis perceptione, atq; scriptione nobilitata inclaruit.

DECIMATERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

Fui in spiritu in Dominica die. *VERS. 10*

48 VARIIS modis fit Reuelatio prophetica: vel per visionem sensibile alicuius personæ reuelantis, qualis fuisse videtur Reuelatio facta Danieli cap. 9. & 10. vel per visionem imaginariam; & hæc fit tripliciter, vel in somno, qualem habuit Ioseph Deiparæ virginis sponsus, & Salomon, vt narratur tertio libro Regum: vel in vigilia, & cum vsu sensuum exteriorum, cuiusmodi fuisse videtur visio prima Ieremiæ: vel in vigilia, sed in extasi, siue in raptu, qualis contingit B. Paulo, & frequenter Ezechieli; & huiusmodi fuerunt Reuelationes, & Visiones B. Ioannis in hac Apocalypsi. Denique fit etiam Reuelatio diuina per supernaturalem intellectus humani illustrationem sine ænigmaticis similitudinibus, vel imaginibus reuelando intellectui mysteria: quale creditur fuisse genus prophetiæ Dauidis in Psalmis, & Iacob Patriarchæ circa ea quæ filijs suis longè pòst euentura prædixit.

Quinq; modi reuelationis propheticæ. *Ierem. 1.* *Genes. 49.*

49 Maior porrò, minórve Reuelationis dignitas tribus ex rebus spectari, æstimarique debet, ex qualitate personæ reuelantis, & ex modo reuelationis, & ex reuelatarum rerum conditione. Ex persona; si reuelans sit Deus, aut Christus, si Angelus, aut homo. Ex modo reuelationis; Reuelatio omninò intellectualis, nobilior est, quam sensibilis: & inter sensibiles, potior est per

Vnde æstimari debeat dignitas reuelationũ.

per exteriorem visionem reuelantis, quam quæ fit per visionem tantùm interiorem & imaginariã. Et inter exteriores Visiones, & Reuelationes quanto persona apparens & reuelans, apertius, & expressius, & familiarius consilia, & arcana exponit, loquens cum homine quasi amicus cum amico, tanto censetur præstantius prophetiæ genus. Quãobrem Prophetia Mosis præter cetera, eò maxime commendatur in libro Numerorum capite duodecimo, quod loquebatur cum Deo ore ad os, sicut amicus loqui solet cum amico, & non per ęnigmata; id autem est, non per imaginarias visiones, & ænigmaticas similitudines, sed apertè, & expresse, Dei mandata, & cõsilia cognoscebat, & percipiebat. Iam verò inter reuelationes imaginarias, nobilior ducitur quę fit in vigilia, quàm quæ in somno: quæ autem fit in vigilia, tanto præstantior est, quanto per maiorẽ fit mentis abstractionem à sensibus, vt fit ĩ raptu; qualis fuit raptus B. Pauli enarratus ab eo capite 12. posterioris epistolæ ad Corinthios.

Cõmendatio prophetiæ Mosis. Locus libri Num. c. 2

70 Ex natura denique atque conditione reuelatarum rerum æstimatur dignitas Reuelationis; Est enim hac ratione præstantior Reuelatio quæ fit de rebus diuinis & æternis: & de rebus ad Ecclesiam Christianam potiùs quàm ad Synagogam Iudaicam pertinentibus. Verùm super omnes dignitatem habẽt Reuelationes ad mysteria Christi pertinentes. Quanto etiam generalior est reuelatio, tãto habenda est præstabilior; vt si non ad vnam aliquam personam priuatam, vel aliquam particularem Ecclesiam, sed ad omnes pertineat; nec vno aliquo certo, & breui tempore determinetur, sed in omne subsequens æuum, ad vsque Mundi consummationem extendatur. Reuelationes igitur Beati Ioannis, factæ sunt in Spiritu, id est, in extasi, siue raptu: & per Angelum, interdũ nomine Dei cum eo loquentem: & sunt de ijs rebus, quæ pertinebant ad septem illas Asiæ Ecclesias, & sub earum nomine, ad vniuersam Ecclesiam: & de insignioribus Ecclesiæ aduersitatibus, atque prosperitatibus futuris vsque in finem Mundi. Hinc apparet, si quis reputet, & pensitet quæ paulò suprà diximus, quanta sit Apocalypsis Beati Ioannis dignitas atque præstantia.

Ex illo autem quod sequitur: *In* 1 *Dominica die*: liquidò cernitur, quãta sit antiquitas diei Dominicæ. Hæc nempe fuit prima, & maxima festiuitas Christianorum, in locum Iudaici Sabbati succedẽs. Appellata est eius Dominica, ob eam præcipuè causam, quòd ea die Christus à mortuis resurrexit; & ideò tunc canit Ecclesia: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Sed ob alia quoque Christi mysteria, ea ipsa die peracta, dies illa fuit semper Christianis admodum religiosa atque venerabilis: quænam verò sint ista mysteria, simulque de multis & magnis eius diei prærogatiuis, atque excellentijs, satis copiose disseruimus in Primo Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, in primo libro, & in Tractatu Operis primi diei. Ad alias porrò eius diei prærogatiuas accessit & hæc, quod ea die B. Ioannes admirabilem hanc & diuinam Apocalypsim accepit. Creditur autem Ioannes ea die visiones omnes in hoc libro descriptas habuisse, propterea quòd nusquam diuersa suarum visionum tẽpora significet: Solemne autem fuit Prophetis diuersitatem temporum, in quibus diuersas habuere visiones, subtiliter, atque obseruatè, curioseque annotare: vt videre licet apud Ezechielem, maximè verò apud Danielem.

D. die Dominica.

Psal. 17.

An oẽs reuelationes habuerit Ioannes in Die Dominica.

* *

PRI-

PRIMA VISIO FACTA Beato Ioanni, in qua Christus multiformi, & admirabili specie atque habitu, ornatuque apparuit Ioanni, quæ narratur in hoc primo Capite illis verbis.

VERS. 13 vsq; ad 17. *Et conuersus vidi septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti, & vox illius tãquam vox aquarum multarum: & habebat in dextera sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.*

Quis sit prima Visionis scopus. 52 Huius primæ Visionis scopus est, ostendere Christum habere perpetuam, & efficacem, sed multiplicem, atque multiformem prouidentiam, & curam Ecclesiæ suæ, illuminando, & erudiendo, eam regendo, tuendo, ac subinde repurgando, & renouando; atque improbos homines, qui in ea sunt, puniendo; bonos autem, & pios in tribulationibus ipsorum consolando, & adiuuando, & labores eorum, bonaque opera æternis præmijs remunerando. Et in hoc ipso proponitur quasi perfectum quoddam exemplum gubernationis Ecclesiasticæ, in quod Pastores, & Rectores Ecclesiæ semper intueri debeant, atque in seipsis, quoad fieri possit, effingere, & exprimere studeant.

Est porrò tripartita hæc prima 53
Visio: primò describitur figura, & habitus, quo Christus Ioanni visus est: deinde exponitur sermo Christi cum Ioanne habitus: tum dantur à Christo mandata Ioanni, & documẽta, quæ scribebat ipse ad septem Ecclesias Asiæ. Comprehendit autem hæc Visio aliquam partem huius primi Capitis, & duo alia proximè sequentia Capita. Figura verò & habitus, cũ quo Christus apparuit Ioanni, per vndecim res describitur, significantes vndecim proprietates, & excellentias Christi ea ratione, vt est rector, & gubernator Ecclesiæ. quas proprietates Episcopi, alijque rectores Ecclesiæ, pro virili, niti debent imitari, & in seipsis habere. Primò dicitur visus esse Christus tanquam similis Filio hominis: secundò visus esse in medio septem candelabrorum aureorum: tertiò, vestitus podere: quartò, præcinctus ad mamillas zona aurea: quinto, capite & capillis cãdidis, vt est lana, & nix: sextò, oculis flammantibus tanquam ignis: septimò, pedibus aurichalco similibus: octauò, voce quasi aquarum multarum: nonò, habens in dextera sua stellas septem: decimò, ex eius ore gladius vtraque parte acutus exibat: vndecimò, erat facie, vt est sol, cum maximè lucet.

Verùm quia in singulis hisce rebus operta latent multa, & magna mysteria, sigillatim ea euoluenda, & enudanda sunt.

†

DECIMAQVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

Similem filios hominis.

VERS. 13. 54 QVoniam hæc omnia quæ manifestata sunt Ioanni, ea ipse in Spiritu, & per visionem imaginariam vidit, iccircò is, quē vidit, non erat verus homo, sed species quædam, & imago hominis. Quòd si, qui apparuit Ioanni, verus fuisset Angelus, nihilominùs tamen rectè dictus esset similis filio hominis, id est, non verus homo secundùm naturam humanam, sed in assumpto corpore similitudinem referens hominis. Verùm quia tota hæc Visio ad Christum pertinet, is profectò ritè appellatus est similis filio hominis secundùm phrasim Hebraicā, pro vero homine. Nam & Paulus dixit, eum esse factum in similitudinem hominū: In quo duplex est Hebraismus: alter in illo, *filio hominis*, pro, *homini*, alter in illo, *similis filio hominis*, pro, *verus homo*. Similiter eum vidit, & appellauit Daniel in ea visione, quam narrat ipse Capite septimo, ita scribens: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat*, &c.

Ad Phil. 2.

55 Cæterum potuit Christus verè dici similis homini, & non homo simpliciter & præcisè, multas ob causas; Primò licèt similis esset homini quantùm ad substantiam humanam, erat tamen dissimilis quantum ad humanam personalitatem, quam non habuit, sed eius loco habuit diuinam æterni Verbi personalitatem; ob idque non erat tantū homo, sed simul etiam Deus. Deinde, naturam hominis habebat, nulla ignorantiæ, nec peccati labe infectam. Tū, non erat purus viator, verùm simul etiam cōprehensor. Adhæc dissimiliter admodū, & conceptus, & natus, & mortuus fuerat, & propria virtute à mortuis resurrexerat, & ascenderat in cœlum. Prętereà, quia tum immortalis erat, & impassibilis: quamobrē Paulus dixit: *Et si cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc non nouimus*: quorum verborum hic est sensus: Etiāsi cùm Christus versabatur in terris, noueramus eum secundùm carnē, id est, secundùm carnalem statum omnium hominum, qui est mortalitatis, & passibilitatis status: sed nūc eum in cœlis regnantem non nouimus secūdùm carnē, id est, mortalē, & passibilem. Cùm autem Christus dicitur homo, vel similis homini, ea locutione significatur etiam quasi naturalis quædam, & eximia Christi humanitas, & beneuolētia, & indulgentia erga homines, tanq̄ cognatos, & fratres suos; & ideò nō erubuit eos appellare fratres. Quoniam autem præter ignorantiam, & peccatum, per omnia similis factus est homini, tentatus per omnia, didicit ex ijs, quæ passus est, cōdolescere, & cōpati infirmitatibus hominū, vt præclarè disputat Paulus in Epistola ad Hebræos. Habes itaque hinc formā boni pastoris, & rectoris Ecclesiæ, q̄tū ad humanitatem, & beneuolentiam, & indulgētiam, & compassionem, quam herē dēt erga sibi cōmissos, & subditos.

Quibus rebus dissimilis fuit Christus aliorum hominum.

Locus 2. ad Corinth. 5.

Ad Hebr. 2.

Rupertus opinatur, hunc, qui visus est Ioanni, fuisse Christum, qui secundū verā, & corporalē præsentiam suam Ioanni apparuerit, ad eum nempe modum, quo apparuisse sibi Christum testatur Paulus in Capite nono prioris Epistolæ ad Corinthios; Neq; enim, inqt Rupertus, Angelus dixisset; *Ego sum primus, & nouissimus, & habeo claues mortis, & inferni.* Cadēs et Ioānes ad 56

Ruperti aiētis, qui apparuit Ioāni eū fuisse verū Christū, opinio discutitur.

pedes

pedes eius, qui sibi apparuit, vt eum videlicet adoraret, non est ab eo prohibitus; sicut id facere prohibitus est ab Angelo, vt infrà scriptum est Capite 19. & 22. hæc disputat Rupertus infra, explanans illa verba: *Ego sum primus, & nouissimus*. Atenim nec probabilis est Ruperti sententia, & argumentatio eius perinfirma est. Ioannes etenim dicit se vidisse hæc in Spiritu, id est, per spiritualem, & imaginariam visionem; nõn igitur corporali, & visibili specie vidit Christum, vt in se est. Deinde multiformis species, & habitus, cum quo eum Ioannes vidit, non conuenit Christo corporaliter, & secundùm veritatem: quinetiã Ioannes ipse præmonuit initio libri, per Angelum à Christo missum factas sibi esse reuelationes. Nos etiam suprà ex B. Donysij Areopagitæ, & Theologorum sententia ostendimus, omnes diuinas reuelationes, & visiones siue in Veteri, siue in Nouo Testamento hominibus factas, immediatè per Angelos esse factas: Illa autem verba, quæ propriè Christo conueniunt, dixit Angelus non suo, sed Christi nomine ac vice, eius nimirùm personam repræsentans. Quanquam neque ille qui loquebatur Ioanni, fuit Angelus, neque Christus, sed Ioannes in Spiritu, & per Visionem imaginariam videbatur sibi Christum videre, & verba illa secum loquentem audire: cuius imago rei effìcta fuerat ab Angelo in Spiritu & imaginatione Ioannis. Nec cecidit Ioannes, vt adoraret illum, sed nimio pauore consternatus, & exanimatus; quanquam neq; hoc reuerà factum est, sed tantùm secundum visionem, & repræsentationem imaginariam.

* * *

DECIMA QVINTA Disputatio.

Super illis verbis: *In medio septem candelabrorum aureorum.* VERS. 13

SCIAT Lector, numerum septenarium valdè frequẽtatum, & celebratum esse in Apocalypsi Ioannis. 57 *Cur numerus septenarius tam sit frequentatus in Apocalypsi Ioannis.* Nam initio libri nominauit septem Spiritus stantes ante thronum Dei; & septem Ecclesias, quibus precatus est gratiam & pacem. In prima Visione Christus visus est in medio septem candelabrorum, & habens septem stellas in dextera sua. In secunda Visione visus est Agnus habens septem cornua, & septem oculos, & Liber signatus septem sigillis. In tertia Visione videntur septem Angeli, septem tubis canentes. In quarta Visione draco habet septẽ Capita, & septem diademata; & similiter Bestiæ ascendentes de mari, & de terra. In quinta Visione apparuerunt septem Angeli cũ septem phialis iræ Dei. In sexta Visione Bestia vehens magnam illam meretricem, septiceps erat: & ipsa meretrix habitabat super septem montes, & colebatur à septem regibus. In septima tamen & vltima Visione celebratur non septenarius numerus, sed duodenarius. Videtur enim Ierusalem habens duodecim fundamẽta, & duodecim portas, & duodecim lapides pretiosos: & in ea videtur arbor vitæ ferens duodecim fructus per duodecim anni menses. Nam cùm ea Visio pertineat ad cœlestem felicitatem, præsertim verò futuram post resurrectionem corporum, sicut per denarium significatur simpliciter

æterna gloria, ità per adiunctum denario binarium, denotatur gloria duplicata, id autem est consummata hominis felicitas tam secundum animam, quàm secundum corpus.

58 Sed cur Ioannes septenario numero tàm multa mysteria comprehendit? an quia sic euenit, vt ea isto numero continerentur? an quia ad eum numerum ea mysteria accommodare voluerit propter vniuersitatem, & perfectionem numero septenario in sacris litteris denotari solitam; eo certè numero continetur homo; quaternario videlicet corpus eius ex quatuor elementis constitutum; ternario autem humanus constat animus, Intellectu, Memoria, & Voluntate præditus. Ecclesia quoque Christi eo potissimũ numero commendatur atque decoratur: nam & septiformi gratia Spiritus Sancti, animatur, & vegetatur: & septem Sacramentis sanatur, alitur, regitur, atque roboratur.

59 Sed redeamus ad septem candelabra, quæ, vt Dominus ipse interpretatus est, & paulo infra scriptũ, figurabant septem Ecclesias Asiæ, ad quas B. Ioannes hæc ipsa scribere iussus a Christo est. Rectè porro Ecclesia assimilata est candelabris: est enim instar candelabri, sursum ad diuinarum, & æternarum rerũ contemplationem erecta: & ad cœlestis sapientiæ lumen accipiendũ & in alios diffundendum aptata: per Dei sapientiam & amorem aurea; & quia ad similitudinem auri per ignem tribulationum probatur & purificatur, & malleis extẽditur; & sursum in Cœlum, in formam candelabri continentis ardorem amoris, & doctrinæ lucem, protenditur. Est itaque Christi Ecclesia candelabrum aureum, per doctrinam Scripturarum lucida, per caritatem pretiosa, per patientiam solida, per grauitatem morum & conuersationis ponderosa, per obedientiam facilè ductilis, per prædicationem sonora, per perseuerantiam extensa, & longa; per spem erecta, per fidem in Deo fundata: est denique similis Candelabro Sanctuarij, quod in Visione monstratum est Zachariæ ab Angelo.

Cur Ecclesia assimiletur Candelabro.

Zachar. 4.

60 Christum autem esse in medio candelabrorum, est, habitare eum semper in Ecclesia; sicut ipse promisit, cum dixit Apostolis: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Habitat autem in Ecclesia, varijs eam modis visitando: vel illuminando, & erudiendo, vel à malis liberando, atque præseruando, vel donis suis cœlestibus locupletando, & exornando, vel etiam per tribulationes, probando, & purificando. Non solum igitur Christus est in Ecclesia illó generali modo, quo vt Deus est in cunctis rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam; sed duobus alijs singularibus, & eximijs modis: quorũ alter est, quem dudum exposui, per auxilia, & dona sua supernaturalia mirabiliter Ecclesiã pascere ac regere; alter modus est, per veram, & corporalem præsentiam suam, nostris tamen inuisibilem sensibns, esse in Sacramento Eucharistiæ. Iam verò Christum esse visum in medio candelabrorum, id est, esse præsentem Ecclesiæ denotat residentiam Episcoporum in suis Ecclesiis: de qua Dominus noster apud Ioannẽ sub parabola boni Pastoris copiosè disseruit; & B. Paulus sermonem habens cum Episcopis: *Attendite inquit vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Christus autẽ dicitur esse in medio Candelabrorũ, & in medio Ecclesię suę secũdũ phrasim Hebraicã, ꝑ eo ꝙ est, inter Cãdelabra, & in Ecclesia: sicut esse ĩ medio tẽpli, vel ciuitatis, vel populi, vel hominũ aliquorũ, non aliud significat, nisi esse in templo,

Matt. vlt.

Quomodo Christus habitet in Ecclesia.

Ioann 10.
Actor. 20.

templo, in ciuitate, & inter homines: quanquam, per sensum mysticum, Christus est in medio sanctorum, sicut cor in medio corporis, & cētrum in medio circuli. Quemadmodum enim omnes lineæ à circumferentia circuli ductæ conueniunt, & adunantur in centrum; extra centrum autem inuicem distrahuntur atque separantur: ita, licèt quantum ad multa, & ipsarum Ecclesiarum & sanctorum non par ua sit diuersitas; In Christo tamen vnum sunt, per vnam eius fidem, & spem, & caritatem, atque doctrinam.

DECIMASEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 13 *Vestitum podere, & præcinctum circa mamillas zona aurea.*

Andreas Cæsariens. 61 HÆc verba breuiter ac scitè Andreas Cæsariēsis Episcopus hūc in modum interpretatus est. Vocat, inquit, Iesum, non absolutè hominem, sed similem homini; quia non tantùm homo, sed simul etiam Deus erat. Vidit autem eum podere, hoc est talari veste indutum, vtpote Pontificem, secūdū Melchisedech in cęlestibus. Ad hæc vidit eum zona aurea præcinctum, non circa lumbos, vt cęteri mortalium solent ad comprimendas carnis illecebras atq; voluptates, istis enim diuina Iesu caro nullo modo fuit obnoxia: sed præcinctus erat ad pectus circa mamillas; tū vt hinc ostendatur opus nobis esse Dei clementia, quæ iustā eius iram, quæ tolerari alioqui non posset, cōtineat: tum ēt vt hoc quasi symbolo commonstretur veritas, quæ duo testamenta, per quæ fideles, tāquam per duo Domini vbera nutriuntur, vndequaque cingit. Dicitur autem zona ista aurea, ad designandam singularem illius excellentiam, eiusdemq; castimoniam, ab omni prorsus sorde, & adulterino fuco alienam. Hæc Andreas.

Sed nos supradicta Ioannis ver- 62
ba paulo distinctius, & enucleatius, pleniusque tractemus.

Græca vox ποδήρης significat vestem vsque ad pedes demissam, quę Latinè dicitur, tunica talaris: Erat autem vnum de vestimentis sacerdotum Hebræorum: de qua B. Hieronymus in epistola centesima vigesima octaua, quam scripsit ad Fabiolam de Veste sacerdotali, sic ait: *S. Hieronym.* Secunda vestis secerdotalis, est linea tunica, græcè appellata ποδήρης id est, talaris, duplici sindone; quā Iosephus appellat byssinam: hæc adhæret corpori, & tam arcta est, tamq; strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga, & vsq; ad crura descendat. Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptatas membris, & astrictas corporibus, vt expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia; dirigere iacula, tenere clypeum, ensem vibrare, & quocunq; necessitas traxerit. Ergo & sacerdotes parati in ministerium Dei, vtuntur hac tunica, vt habentes pulchritudinem vestimētorum nudorum celeritate discurrant.

Per istam porrò vestem mysticè 63 *Mysterium vestis talaris.*
significatur & sacerdotalis Christi dignitas, & mundissima eius caro, & inęstimabilis eius innocentia atque puritas. Quod autem illa vestis demissa erat vsque ad extremos pedes, significabat, ecclesiasticos viros, prætertim autem Prælatos, ab omnibus terrenis affectibus, qui per pedes denotari solent, puros esse oportere. Significatur ēt virtus perseuerantiæ in bono vsq; ad finem, de qua S. Gregorius in fine primi libri Moraliū hęc scribit: *S. Gregor.*

 In caſ-

In cassum agitur bonum, si ante terminum vitæ deseratur; quia & frustra velociter currit, qui prius quam peruenit ad metam, deficit. Hinc Ioseph, qui inter fratres suos iustus vsque in finem perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio, ante Dei oculos vsque ad vitæ nos terminum tegit. Hinc est, quod per Mosen iussit Deus caudam hostiæ in altari offerre, vt videlicet omne bonum quod incipimus etiam perseueranti fine compleamus. Hæc Gregorius.

Genes. 37.

Exod. 29. & Leuit. 3.

64 Iam verò cinctura aurea, symbolum est regiæ dignitatis, sicut scriptum est in Psalmo nonagesimosecundo: *Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Danieli visus est Angelus præcinctus auro circa renes: quo significabatur, expertem esse Angelum omnis concupiscentiæ carnalis: Præcinctum verò esse circa pectus, significat, habere omnes affectus, etiam rationales, & spirituales aureo caritatis vinculo constrictos. Duæ mamillæ denotant mentem, & voluntatem: vtraque debet esse cincta auro, illa quidem, auro sapientiæ, hæc caritatis. Duæ mamillæ lac præbent, tum doctrinæ per prædicationem; tum gratiæ per Sacramentorum administrationem.

Quid mysterij sit in aurea cinctura ad mamillas.

Daniel. 10.

65 Hinc apparet, qualis esse debeat Prælatus: tunica scilicet talari vestitus; vt omnibus in rebus castitatem corporis, & munditiam animi, & innocentiam vitæ, & à terrenis cupiditatibus, & curis alienationem & vacuitatem cordis præ se ferat. Habeat pectus auro præcinctum, plenum dico animum caritate, ex qua, & per quam agat omnia, & dirigat ad Deum. Duas præterea mamillas habeat, per quas lac præbeat, tum doctrinæ per prædicationem, vt dudum diximus; tum gratiæ, per frequentem, & fructuosam Sacramentorum administrationem.

66 B. Gregorius in libro 14. Moralium explanans verba illa Iob capitis quadragesimiquarti: *Sternit sibi aurum, quasi lutum:* exponit quinque significationes mysticas, secundùm quas nomen auri vsurpari solet in sacra Scriptura, nimirum pro diuinitatis claritate, pro splendore cœlestis ciuitatis, pro caritate, pro nitore gloriæ sæcularis, & pro pulchritudine sanctitatis: & omnes istas significationes mysticas nominis auri, idoneis ex diuina Scriptura productis sententijs comprobat atque illustrat. Verum omissis alijs, quæ ad rem præsentem non spectant, nomen auri pro caritate sumi declarans, ita scribit: Nomine auri caritas intimatur; Angelum enim quem sibi loqui Ioannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: quia nimirum supernorum ciuium pectora, dum pœnali nequaquam timori subiecta sunt, & à se inuicem nulla scissione soluuntur, ex sola caritate constringuntur. Zonam verò auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus, per solius iam amoris vincula restringere. Sic B. Gregorius.

S. Greg.

Quinque significationes mysticæ huius vocis (Aurum.)

†

DECIMASEPTIMA Disputatio.

Commemoratur pia quædam minimèque silentio inuoluenda super hoc loco Ioachimi Abbatis disputatio de differentia Zonæ aureæ, qua Christus ad mamillas præcinctus Ioanni visus est; & Zonæ pelliceæ, qua Ioannes Baptista circa lumbos præcinctus fuisse dicitur in Euangelio, sicut etiam Elias propheta, vt scriptum est quarto Regum libro, capite primo.

67 SVper eo, quod hic dicitur, Christum esse visum Ioanni præcinctum circa mamillas zona aurea, hunc in modum disputat Ioachimus. *Ioachimus Abbas.* Præcinctio zonæ aureæ ad mamillas, internæ custodiam castitatis designat, qua mens viri spiritualis constringenda est, ne luxuriæ fluxus eam per immundas atque illicitas cogitationes dissoluat. Digna profectò, & valde conueniens Saluatori nostro cinctura; de quo scilicet Apostolus scripsit, *Ad Hebr. 7* Talem habere nos decebat Sacerdotem, qui esset innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus: Tã sanctum videlicet, & purum, qui & corpus possideret virgineum, & internæ corruptionis maculæ fœditatem nesciret: sicut ipse de se dixit: *Ioann. 14.* *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Verùm hæc non propter ipsum tãtùm, sed propter nos etiam scripta sunt; vt exemplo magis ostẽderetur, quam verbis, qualis debeat esse vita, & conuersatio sacerdotis; non eius, qui versabatur in atrio exteriori comedens peccata populi: sed eius, qui ad interiora perducitur, vt degustet quàm suauis est Dominus. *Osee 4. Psalm. 33.*

Sciendum verò est, duplicem esse custodiam castitatis; quarum altera in Zona Christi designata est; 68 altera in Zona Ioannis Baptistæ; vterque enim Zonam habuisse legitur: sed Christus auream, & circa pectus atque mamillas: Ioannes verò pelliceam, & circa lumbos. Ioãnes mel siluestre & locustas comedit: Christus piscem assum cum fauo mellis. *Luc. 24.* Hæc diuersitas significat distantiam iustitiæ Iudaicæ, & terrestris, à iustitia Christiana & cœlesti. Omnis autem terrena iustitia exinanitur, & deficit, vbi cœlestis iustitia reuelatur. *Matth. 11.* Vnde Ioannes ipse, quo inter natos mulierum maior non fuit, sciens creditam sibi dispensationem mysterij, & quòd ipse iustitiam legis, quæ de terra est; Christus autem spiritualem iustitiam, quæ de cœlo est, designaret, dicebat; *Qui de terra est, de terra loquitur; qui autem de cœlo venit, super omnes est.* *Ioan. 3.* In Ioannis ergo Zona, & esca, Veteris Testamenti iustitia designata est: per Christi verò Zonam & escam, Noui Testamenti iustitia, quæ de cœlo descendit, significata est. Infirmorum ergo, & imperfectorum est, habere zonam circa lumbos pelliceam: quæ vtinam non deesset illis, quibus dictum est: *Sint lumbi vestri præcincti*: Perfectorum autem, maximè verò Monachorum est, habere Zonas aureas ad mamillas: quia illis aliquid est, si corpus impollutum seruẽt: istis autem hoc pene nihil est, nisi habeant & munditiam cordis. Sufficit illis cibus locustæ, qui raram, & interpellatam lectionem sacrarum scripturarum designat: istis necessaria est iugis lectio, quã significat piscis, animal scilicet in aquis nutritum. Rectè autem in locusta designatur lectio, & meditatio interpellata: Locusta enim à terra paulùm eleuata,

mox cadens deficit in volatu: piscis autem, maris aquas infatigabiliter peruolat. Mel quoque siluestre, qualemcumque circa res diuinas delectationem designat: mel autem domesticum, integram, & indeficientem iucunditatem. Solus enim ille sentit, quàm magna sit multitudo dulcedinis Dei sui, qui se per excessum mentis deserit, & fastidiens omnia, quæ mundi sunt, sola cœlestia concupiscit.

69 Præfertur etiam piscis locustę, & pretio, & mysterio; Locusta enim in sola terra residet, quod est infimum elementum: & vix, nisi compulsa, paululùm se tollit à terra, & mox iterum cadens, in terra manet. Similiter qui sanctarum Scripturarum notitiam, aut eas legendi consuetudinem non habent, terrenis desiderijs vehementer incumbunt. Quod si aliquando compelluntur surgere, diu in alto stare nō possunt: quia, quæ eos in alto sustineat, assiduam diuinarum Scripturarum tractationem non habent. In Zonis quoque maxima est distātia: quod enim inter Zonas pelliceas atque aureas interest, hoc differt inter corporis castitatem, & mentis: illic enim exterior homo, hic interior à carnalibus illecebris custoditur immunis. Zona igitur aurea, virtus est internæ munditiæ, firmum, & inconcussum habens perfectæ castitatis propositum. Longè autem dissimilis est Zona pellicea Zonæ aureæ, & in perseuerantia, & in colore, & in pretio; illa enim citò deficit, & consumitur vetustate: hæc autem in sui nouitate diutiùs cōseruatur, aurum quippe imputribilis est naturæ. Illa deformis, & vilis est: hæc inter pretiosa mundi, carioris est pretij. Sic, quantacumque sit corporalis castitas, & iustitia, comparata spirituali, vilescit: quia potest carere spirituali puritate, qui gloriatur in carnis munditia: non potest autem non habere corporalem munditiam, qui gaudet animi castitate: quamobrem Dominus non dixit: *Beati mundo corpore, sed Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Matth. 5. In pelle itaque splendor non est, in auro est: quia illis Deum suum videre conceditur, qui Zonis aureis circa pectora constringuntur, id est, qui fulgore sapientiæ qua pascuntur, ad cœlestia contemplanda, & amanda trahuntur; & quasi potestate regia, immundas à se ipsis cogitationes abijciunt. Præterea cinctum esse Zona pellicea, significat castum esse ex necessitate, vel timore pœnę; cinctum verò esse Zona aurea, denotat amore iustitiæ, atque æternæ gloriæ, virtutem spiritualis munditiæ toto studio, totisque viribus complecti, & tenere.

Cæterùm vt hoc vir fortis (nam 70 virili opus est fortitudine) strenuè, ac perseueranter præstare queat; necesse est, vt mens eius in sanctis cogitationibus, & Deo dignis meditationibus assiduè versetur. Aliter enim necesse est vt ruat, qui abraso interiori capite fortiter se agere posse, & in studio, cultùque castitatis pseuerare confidit. Abraso autem capite contra luxuriam bellum facere, est sine sanctarum meditationum assidua exercitatione propositum castitatis internæ, quod non parui est laboris, assumere. Hoc ne idiota quidē homo, cui donum castitatis ex aliqua parte conceditur, facere præualet: nam etiamsi litteras legere non nouit; illud tamen quod à Doctoribus, & Prædicatoribus audit, frequenter, & tacitè secum ruminare non cessat. Quemadmodum igitur Samsonis crinibus, tantum robur Dei munere, inditum erat, vt & ipse insuperabilis esset, & quoslibet hostes facilè superaret: illis verò abscissis, facilè captus ab hostibus est, ac miserabili addictus seruituti: Ita spiritalis viri fortitudinē ad vincendas immundas cogitationes, turpesque cupiditates, valdè cōseruat,

atque

atque sustentat assiduus & religiosus sanctarum meditationũ vsus: quem si non habeat, inualidus fit ad repugnandum obscenis tentationibus; sed facilè succumbens, carnalibus vitijs mancipatur. Hactenus est Ioachimi disputatio, non quidem ad verbum, sed ad eius sententiam à nobis exposita.

DECIMAOCTAVA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 14 *Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix: oculi autem eius tanquam flamma ignis.*

71 QVONIAM Christus in hac Visione inducitur tanquam Sacerdos, & rex, & iudex, idcirco inducitur cano capite, & capillis; in libro autem Canticorum inducitur tanquam Sponsus, quapropter dicitur caput eius aurum optimum, & comæ capitis eius nigræ quasi coruus. Albor autem capitis & capillorum, id autem est canities, senilem antiquitatem declarat. Licet enim Christus ob assumptionem Humanitatis, in nouissimis temporibus factus est homo; ob æternitatem tamẽ Diuinitatis, quæ est quasi caput eius, vt dixit Apostolus, est ante omnia tempora. Canities porrò senilis maturitatẽ prudentiæ, iudicij, consilij, & sententiæ significat. Oritur autem canities ex defectu caloris naturalis: similiter etiam maturitas iudicij, & prudentiæ non nisi restincto, vel certè multùm refrigerato passionũ animi ardore, contingit homini. Candor etiam capitis munditiam denotat intellectus, & voluntatis: vnde nascitur candor, & munditia capillorum, id est, cogitationum, & affectionum animi. Senectus item, ob longinquam experientiam, prudentiæ hẽt existimationem, ob idque fidem sibi & auctoritatem atq; reuerentiam conciliat: & huc spectat illud Scripturæ præceptum: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Nihil autem in hoc loco dicitur de canitie barbæ, sed de canitie tantum capitis, quoniam in capite potissimum requiritur senilis maturitas, & grauitas, in iudicio, in affectu, & in motu: huiusmodi n. est laudabilis senectus, de qua scriptum est: *Cani sunt sensus, hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.* Apud Danielem Capite septimo Deus Pater, & in hoc loco Christus Dominus inducuntur cano capite, quòd vtriusque vna sit diuinitatis antiquitas, siue, vt cõgruentius loquar, æternitas.

Cant. 5.

Mysterium Canitiei.

2. Cor. 11.

Locus Leuit. 19.

Sap. 4.

Ceterùm illud: *Tanquam lana alba, & tanquam nix*, minimè vacat mysterio. 72 Lana etenim candorem habet mediocrem, & tolerabilem visui; & applicata corpori, calorem præbet suauem, & commodè fouentem ipsum corpus: habet quoque lana molliciem tactus, per quam bene applicatur corpori: per hoc autẽ significatur, quemadmodùm Christus Dominus, cùm in terris versaretur, sese ad infirmitatem hominũ demiserit, & accommodauerit. Nix verò exuperantiam habet cãdoris, rigoremque frigoris, atq; vim purgandi sordes, & fœcundandi terrã: hæc autem mysticè interpretata & accepta, fuisse reperiuntur in Christi prædicatione, & doctrina.

Mysterium lanæ albæ ac niuis.

Sequitur illud: *Oculi autem eius, tanquam flamma ignis.* 73 Quæ verba Richardus de S. Victore hoc modo interpretatur: Flamma ignis lucet, & calorem tribuit, terrorem incutit, & exurit: Oculi igitur Christi velut flamma ignis sunt, quia electos respiciẽs, illustrat luce sapien-

Richardus. Mysterium oculorum flammãtiũ vt ignis.

sapientiæ, & calefacit amore iustitiæ: reprobos autem respiciens, terret ferocitate comminationis, & incorreptos exurit incendio dãnationis. Sic ille. Nos dicamus, illis verbis declarari exactam curã, perfectamque prouidentiam, quã Ecclesiæ suæ Christus habet. Oculi autem flammantes ad similitudinem ignis, tria denotant; & claritatem, & calorem, & vim exurendi atque consumendi. Claritas significat clarissimam Christi scientiam, & præscientiam omniũ quæ in Ecclesia fiunt, quęq; futura vnquam sunt: illuminat quoque, & clarificat Ecclesiam, docendo eam quæcunque scire ipsam expedit. Et quia omnia scit, & potest, conuenienter pascit, regit, ac tuetur eã: & per calorem Spiritus sancti fouet, & lætificat, & vegetat, & viuificat eam. Contrà vero improbos atque impios, tanquam ignis exurit atque consumit, omnia eorum dissipans consilia, omnèsque in nihilum redigens conatus, ac denique sempiternis eos mactans supplicijs.

DECIMANONA.
Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 15 *Pedes autem eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.*

74 HORVM verborum Andreas interpretationem tradit huiusmodi. Per pedes, Nazianzenus Christi secundum carnẽ, œconomiam esse significatam existimat. Sacrosancta enim Christi caro, Diuinitati illius, quasi pedum loco fuit, nam & per illam ad nos venit, & nostram quoq; salutem per eandem carnem perfecit. Sunt autem pedes isti similes chalcolibano. id est, thuri masculo, hoc enim cùm est incensum, iucundissimum odorem spargere solet. Quod si voces, vnde nomen hoc cõflatur, seorsum interpreteris; per æs humana Christi natura, per thus autem diuina eiusdem substantia denotatur: per vtrumque verò & fidei fragrantia, & inconfusa naturarũ inter se vnio atque coniunctio. Aut per æs, suauis prædicationis sonus significatur; per thus autem, Gentium ad Fidem conuersio, ad quam Sponsa in Canticis inuitatur. Alio etiam sensu Apostoli pedes Christi dici possunt, vt qui solida sint Ecclesiæ fundamenta, & ad Magistri exemplum, in tentationis camino egregiè probati, atque examinati. Hæc Andreas.

Nazianzenus.

75 Sed nos ante varietatem Lectionum huius loci declarèmus. Pro illo: *Similes aurichalco*, in Græcis libris legitur; *Similes chalcolibano*. Est autem chalcolibanus nomen compositum ex chalco, id est, ære, & ex Libano, qui est Syriæ mons finitimus Iudææ. Putat autem Aretha, isto nomine significari speciẽ quandam præstantissimi æris, quod in monte Libano, id temporis effodiebatur, atq; fabricabatur. Andrèas, vt ex supra memoratis eius verbis manifestum est, admiratur eo nomine denotari thus masculum, id est; potentissimum, odorisque fragrantissimi, ideòque appellatum æreum.

76 Variant etiam Latini codices: complures habent, *similes aurichalco*: nonnulli verò *similes orichalco*: quidam etiam vtrique nomini additum habent, *Libani*, siue *clibani*. Siue autem legas, *aurichalco*, siue *orichalco*, nihil interest ad sententiæ veritatem, atque congruentiam. De aurichalco, atque orichalco Sextus Pompeius primo libro de Verborum significatione ita scribit: Aurichalcum, siue orichalcum quidam putant compositum, ex ære, &

Sextus Pompeius.

aur o,

auro, siue quòd colorem habeat aureum: Orichalcum sanè dicitur, quia in montosis locis inuenitur, mons etenim græcè, ὄρος appellatur. Inter species autem æris præcipuæ commendationis & pretij fuisse aurichalcum, testatur Plinius libro 34. cap. 1. illis verbis: Mox vilitas præcipua æris, reperto in alijs terris præstantiore, maximè aurichalco, quod præcipuam bonitatem, admirationemque diu obtinuit. Iam verò pro illo, *In camino ardenti*, nunc libri græci habēt, *ardentes*; græcè πεπυρωμένοι: Noster autem interpres legit πεπυρωμένω. Secundum posteriorem lectionem istud refertur ad aurichalcum: æs quippe multo igni diu multumque ignescens, ad colorem auri perducitur. Secundum priorem lectionem istud refertur ad pedes Christi, qui dicuntur ardentes, siue igniti, quasi essent in camino ignis. Sed profectò posterior lectio multo congruentiorem atque commodiorem habet sententiam. Tyconius in prima Homilia earum decem & octo Homiliarum in Apocalypsim, quæ falsò inscriptæ sunt B. Augustino, cùm ex Tyconij Commentarijs in Apocalypsim consarcinatę sint, vt nos suprà ostendimus in nostris Prolegomenis, ob idque deinceps istas Homilias sub nomine Tyconij citabimus: Tyconius igitur locum hunc Apocalypsis ita legit, & citat: *Et pedes eius similes aurichalco clibani, igniti, vt in fornace ignis.*

Tyconius.

Mysterii pedum Christi similiū aurichalco ardēti, quatuor interpretationes.

77 Sed age, quodnam istiusmodi pedibus Christi lateat mysterium, aperiamus. Quatuor sunt istius mysterij apud Auctores interpretationes. Prima est Nazianzeni, vt refert hoc loco Andreas, Christi pedes interpretantis sanctam Christi carnem & Humanitatem, per quā scilicet diuinum Verbum ad nos venit, & nobiscum conuersatum mira edidit opera, nostramque salutem perfecit. Eandem Rupertus sequitur interpretationem hæc scribens: Per pedes, (quæ pars, finis est corporis) rectè intelligitur Incarnatio, & Humanitas Christi, quia Deus homo factus est in fine seculorum. Isti pedes, & ista Humanitas similis aurichalco rectè dicitur. Sicut enim aurichalcum multis ignium impendijs ex ære perducitur ad colorem auri: ita & illa Christi Humanitas per multas tribulationes, passionis & mortis perducta est ad gloriam diuinitatis, quæ per aurum figurari solet: vt sit iam & ipsa immortalis, & incorruptibilis atque impassibilis. Vnde significanter dictum est: *Tanquam in camino ardenti*: per hoc enim rectè intelligitur molestia passionis, qua oportuerat eandem Humanitatē conflagrare, sicut scriptum est: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Ad hanc ipsam interpretationem pertinet quod alij dicunt, per pedes significari Christi in terris conuersationem cum hominibus, secundum illud: *Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Fuit autem Christi cōuersatio similis aurichalco ardenti, plena scilicet ardentissimæ caritatis, & splendidissimæ sapientiæ, ac fortissimæ patientiæ.

Rupertus.

Luc. 24.

Baruch. 3.

78 Secundam interpretationem tradunt Andreas, & Aretha, qui pedes Christi, Apostolos interpretantur: hi namque Christi nomen per vniuersum terrarum Orbem portauerunt, sicut de Paulo dixit Dominus, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filijs Israel.* Fuerunt itē Apostoli pedes mystici corporis Christi, quæ est Ecclesia: Super eorum quippe fide, ac doctrina fundata est Ecclesia. In quos etiam bene competit, similes esse aurichalco, quia & splendorem habuerunt auri, id est, sapientiæ, & caritatis ardorem, & firmitudinem æris, propter inuictum virtutis robur, atque insuperabilem animi constan-

Locus Act. 9.

stantiam. Tertia interpretatio placuit maximè nostro Riberæ, qui per istiusmodi pedes Domini significari putat, inimicos Christi, & sanctorum eius, pedibus eius conculcandos esse, sicut ei promissum fuit à Deo Patre illis verbis: *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Hinc autem discimus, eos conculcatum iri eo modo, quo victi à victoribus cum indignatione conculcari solent: iuxta illud, quod per Isaiam dixit Dominus: *Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea.* Conculcandi prętereà dicuntur esse pedibus ignitis, quòd ęternis Inferni cruciandi sint ignibus.

Ribera. Psal. 109. Isa. 63.

79 Quarta interpretatio est Tyconij, quam complures alij præceteris approbarunt, Beda, Ambrosius, Haymo, Anselmus: per istos Christi pedes intelligi debere nouissimi temporis Fideles, in persecutione Antichristi vehementer afflictandos atque vexandos. Ponam hic verba Tyconij: In pedibus, inquit, ignitis Ecclesia intelligitur, quæ imminente die Iudicij, nimietate pressurarum probanda, & tanquam igne examinanda est. Et quia pes, nouissima pars est corporis, & pedes ignitos dixit esse; ideo in pedibus Ecclesia nouissimi temporis intelligitur, multis tribulationibus, velut aurum in fornace probanda. Ideo aurichalco similauit, quòd ex ære, & igne multo, ac medicamine perducitur ad auri colorem: Sic Ecclesia per tribulationes, & passiones purior redditur. Hæc ille.

Tyconius. Beda. Ambrosius. Haymo. Anselmus.

VIGESIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Vox illius tanquam vox aquarum multarum; & habebat in dextera sua stellas septem. VERS. 16

TANQVAM vox aquarum multarum, (ait Ioachimus Abbas) vox Christi esse dicitur: quia sicut pluuiæ mul æ sono multiplici concorditer sonant: ita cùm multa sint diuinæ auctoritatis eloquia, & tam multi, & tam diuersi, atque inuicem differentes sacrorũ voluminum tractatores, in quibus loquitur Christus; in vna tamen veritatis sententia, & in vno sermone caritatis, quæ est consummatio mãdatorum Dei, conueniunt. Et quẽadmodum sonus inundãtis pluuiæ, aut impetus fluuiorum per alta præcipitia ad loca humiliora defluentium, è longinquo auditur; ita prædicatio Christi etiam in vltimis terræ finibus exaudita est, vt testatur Psalmista de sanctis prædicatoribus Euangelij, dicens: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*. Hæc est illa pluuia voluntaria, quam segregauit Deus hæreditati suæ. De qua Paulus dixit: *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, benedictionem à Deo accipit; proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cui consummatio cum combustione erit.* Terra profectò quæ accepta pluuia pro herbis spinas profert, maledicto proxima est: quia accepta Christi prędicatione, & doctrina, fructum iustitię proferre negligit, restat vt accepta 80

Ioachimus. ad Rom. 13. Psalm. 18. Psalm. 67. Hebr. 6.

cepta verbi pluuia, grauius in fine iudicetur. Sic Ioachimus.

81 Vox itaque Christi comparatur voci, id est, sono aquarum multarum: quia prędicatio doctrinę Christi tam sonora fuit, vt in omnem terram exiuerit sonus eius; rectè autem dicitur: *Aquarum multarum*: aquę enim multę, vt Scriptura inquit, populi multi sunt: prędicatio enim doctrinę Christi, non in vno tantùm populo Hebręo, sicut prędicatio veterum Prophetarum cõclusa est: sed omnem terrarum Orbem peruagata, ad omnes Mundi gentes diffusa est. Ea porrò quatuor habuit aquę virtutes: vnam, restringendi sitim, & cupiditatem rerum temporalium: alteram, refrigerandi ardorem concupiscentię: tertiam, lauandi, & mundandi sordes atque maculas peccatorũ: quartam, irrigandi, & fęcundandi terram cordis humani, vt suaues, atque vberes virtutum fructus proferat; & huc pertinet illud Dauidis: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*.

Apoc. 17.

Quatuor virtutes aquę conuenientes prędicationi Christi.

Psal. 142.

82 Sed quid significant illę septem stellę in dextera Christi? Ipsemet paulò infra interpretatur, esse Angelos septem Ecclesiarum, ad quas hęc scribere iussus est Ioãnes. Angeli verò nominantur Episcopi, & rectores earum Ecclesiarum. Qui rectè comparantur stellis in cœlo fixis, atque inerrantibus: quales enim sunt naturales illarum stellarum proprietates ac virtutes, tales quoque oportet esse spirituales Episcoporum proprietates ac virtutes in docendo, pascendo, regendo, tuendoque Ecclesiam. Habent stellę illę perpetuum, & ordinatum motum; claritate illuminant, calore fouent, & viuificant, defluxuque virtutis suæ conseruant, & gubernant inferiorem hunc mundum: & quælibet earum visu notabilis, maior est vniuersa, præcipuumque earum munus est, lucere nocte, tanquam in remedium tenebrarum; nam die, solis luce lumen earum occultatur. Possunt hæc aptè, commodèque, si mysticè, ac spiritualiter interpretentur, applicari ad Episcopos, & rectores Ecclesię: in quos nēpe satis quadrat, quod scriptum est Danielis 12. *Qui erudiunt multos ad iustitiam, fulgebunt quasi stella in perpetuas ęternitates*. Posset etiam fortassè quispiam istas septẽ stellas interpretari septem planetas, & naturales eorum proprietates, atque virtutes ab Astrologis expositas, non inscitè ad Episcopos, secundùm mysticum sensum accommodare. Ioachimus Abbas bene longam disputationem ponit in eo, vt ostendat, per septem planetas, esse designatos viros septem virtute admodum insignes, qui diuersis in temporibus floruerunt: quorum primus, humani generis parens fuit Adamus: secundus, Noë: tertius, Abraham: quartus, Moyses: quintus, rex Dauid: sextus, Ioannes Baptista: septimus, qui sub finẽ mundi venturus est, Elias: & ad singulos istorum, proprietates & virtutes singulorum planetarum pulchrè aptari & accommodari demonstrat. Hanc verò disputationem tractat Ioachimus super illis verbis, quę sunt infra in hoc Capite: *Sacramentum septem stellarũ, quas vidisti in dextera mea.*

Cur Ecclesiæ Rectores comparentur stellis.

Septem planeta.

Ioachimus.

Sed quid est, Pastores, & rectores Ecclesię esse in dextera Christi? Dextera, quam sinistra, honorabilior est, & robustior, & vnde fit initium motus progressiui in homine, per quam fit benedictio aliorum. Omnes quidem electi sunt in manu Dei, de qua nemo potest eos rapere: sed principes Ecclesię, sunt in dextera Christi, id est, in pręcipua quadam, & singulari protectione ac directione, atque gubernatione Dei: & sicut in altiori dignitatis & honoris gradu locati sunt; ita quoque ampliorum honorũ participatione dedignantur, 83

Ioan. 10.

&

& quia omnia bona sua Deo referunt accepta, grato, & pio animo vsurpant illud Dauidis dictum: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Psal. 117.

VIGESIMA PRIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 16 *Ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.*

Mysterium gladij. 84 GLADIVS ex ore Christi exiens, significat verbum Spiritus, sicut dixit Paulus Ephesiis, capite sexto: *Sumite*, inquit, *gladiũ Spiritus, quod est verbũ Dei.* cuius maximã vim declarauit idem scribens Hebræis: *Viuus est*, inquit, *sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Appellatur autem gladius vtraque parte acutus, quia omni ex parte scindit, & ferit sermo Dei, omnique ex parte operatorius, & perefficax est, quocirca in libro Sapientiæ dicitur omnipotens esse Dei sermo. Nemo potest ei resistere, nemo eum impedire, aut vim eius euadere. Vel enim scindit hominẽ diuidens eum a vitijs, & iungens Deo: vel discissum & diuisum a Deo, iungit Diabolo, æternisque Inferni suppliciis. Duplex istius gladii, acies, est virtus miraculorum, & innocentia atque sanctimonia vitæ: acumen verò, est efficacitas veritatis diuinæ. Hebr. 4. Sap. 18.

85 Alij gladium istum interpretantur sententiam Christi iudicis in extremo iudicio. Exibit tunc ex ore Christi gladius anceps, quia extrema illa sententia vtramque partem hominum, & qui ad dexterã, & qui ad sinistram fuerint, pro meritis eorum efficaciter discindet ac diuidet, prorsus adeo, vt mali eãt in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam: & tunc inuicem separati, nunquam amplius congregari, & permisceri poterunt. Matth. 25. Audiat Lector Rupertum, qui hãc ipsam interpretationem pulchrè tradit his verbis: Gladius hoc loco vltimum significat iudicium: quemadmodum & in Cantico Deuteronomij Deus dixit: *Si acuero vt fulgur gladium meum, & quid hoc esset, mox declarans, adiunxit; Et arripuerit iudicium manus mea* Iste iudicij gladius vtraque parte acutus, tunc de ore Christi exibit, dexteram scilicet, & sinistram pro meritis efficaciter discernens, & diiudicans Exitus istius gladij ad dexteram, erit ille: *Venite benedicti Patris mei* Hoc namque dicto, gladius eius ita carnalitatem omnem deuorabit, vt sancti iam non sint caro, & sanguis, sed sint omnimoda carnis & sanguinis corruptione spoliati: miròque modo, permanente natura, in alteram gloriam permutati. Exitus porro istius gladij ad sinistram, erit horribilis illa sententia: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui praparatus est Diabolo, & Angelis eius.* Vtrimque sic erit efficax ille gladius iudicij, vt eant mali in supplicium æternum, boni verò in vitam æternam, & sic inuicem diuisi, nunquam amplius adunari, & permisceri queant, sicut nunc in Ecclesia mali permisti sunt bonis. Hæc Rupertus. Rupertus. Deut 32. Matth. 25. Ibidem.

Aliam quandam huius loci interpretationem tradit Ioachimus, 86 Ioachim. quæ est huiusmodi; Gladius acutus ex ore Christi exiens, ipse est gladius Spiritus, quod est verbum Dei. Dicitur autem ex vtraque parte acutus, quia sicut de eo piè quodammodo conqueritur Sanctus Iob: *Iustum, & impium ipse consumit.* Consumit enim iustum, ne de bono opere glorietur, & bonum quod operatur, de iustitia sua inaniter Ephes. 6.

Iob. 6. ter eleuatus perdat; vnde & per eundem Iob dicitur: *Propter superbiam quasi leænam capies me,*&c. consumit verò & impium, ne perseueret in malo, & de clementia Dei temporali, qua superbè abutitur, ad æternum rapiatur supplicium. Consumit porrò illos, quatenùs vel malè viuunt, vel malè viuere possunt, vt desinat in eis, quod malè sunt, vel esse possent: & maneat in eis, quod Dei est, rectitudo scilicet, & veritas. Debent quoque hoc ipsum imitari Doctores, & hi, quibus regiminis cura commissa est, diiudicantes non solum illos, qui malè viuunt, sed etiam illos, qui de bonis operibus suis lætari plusq; decet, aut præsumere deprehendũt: ne subrepat eis appetitus laudis, & virtutem ac meritum boni operis gloriando in semetipsis amittant: sed potiùs obtemperent salutari documento Apostoli dicentis: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, & causam huius reddens, subdit. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*
1. Corint. X. Hactenus ex Ioachimo.

VIGESIMA SECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 16 *Et facies eius, sicut sol lucet in virtute sua.*

Rupertus. 87 POST latam à Christo sententiam (ait Rupertus) quam diximus significari per gladium ancipitem ex ore eius prodeuntem, factamque in perpetuum bonorum a malis diuisionem; deinceps videbitur Christus in æternũ in sua claritate ab illis Beatis, quos in dextera sua semper habebit, videbitur, inquam, facie ad faciem, illa visione, quam pollicebatur ipse diligentibus se, præmium fore dilectionis suæ, dicens: *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Ioan. 14. & hoc ipsum significatur istis verbis, *Facies eius, sicut sol lucet in virtute sua. Facies eius* idest, præsentia & clara eius visio. *Lucebit in virtute sua,* id est, in maiestate sua, & in Isaia 25. suæ diuinitatis gloria: tunc complebitur illud Isaiæ vaticinium: *Et erit lux lunæ sicut lux solis: & lux solis* Locus Isaiæ cap. 30. *erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die, qua Dominus alligauerit vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit* Quænam est luna, quæ tũc lucebit sicut sol, absque varietatibus crementi, & decrementi, quibus nunc variatur in hoc seculo, nisi Ecclesia, quæ tunc erit similis Soli suo, Deo suo? *Scimus, inquit Ioannes, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum* 1. Ioan. 3. *sicuti est.* Ipsa porrò lux solis quanta erit? *Sicut lux,* inquit, *septem dierum.* quod est dicere, Quantæ claritatis Gen. 1. et 2. erat Deus Verbum, cum sex dieb. fierent omnia, & septimo die complerentur omnia per ipsum; tantæ claritatis in carne sua tunc erit apud Deum Patrem suum. Hoc enim & ipse orans dicebat; *Et* Locus Ioan. 17. *nunc clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset apud te.* Quid autem est dies illa, in qua alligabit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanabit, nisi illa visio faciei solis huius, quæ sanitas erit generis humani, & perfecta sanitas plagæ eius, qua omnes in Adam fuimus plagati, quæ duplex fuit mors: tum animi, tum corporis. Sic Rupertus.

Illud igitur, *facies, eius sicut sol lucet in virtute sua,* significat beatificam claritatem, æternamque felicitatis lucem, qua fruentur Sancti 88 viden-

videntes Christum in cęlis. Illud, *in virtute sua*, denotat meridiem, tunc enim maximè lucet sol hominibus, comparatione auroræ & vesperæ. Huc spectat quod scriptum est de Sole: *In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Tripliciter exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens, radijs suis excæcat oculos* Quid autem mirum si facies Christi luceat vt sol, cum ipse de iustis dixerit: *Tunc fulgebunt iusti sicut sol*: & in transfiguratione sua, cum dare vellet tantùm specimen quoddam gloriæ suæ, dicitur resplenduisse facies eius sicut sol. Ergo quod facit respectus Solis in terram, illuminare scilicet eam, & calefacere, & purgare, & fęcundare, & iuuare ad generationem, & accretionem, & perfectionem eorum omnium quæ nascuntur ex ea: hæc ipsa spiritualiter accepta, multoque plura, & ampliora præstat Ecclesiæ benignus Christi respectus in eam.

Eccle. 43. *Matth. 13.* *Matth. 17.*

89 Sciat porrò Lector, nomen faciei; præter vulgarem & vsitatam illius significationem, quatuor habere alias significationes in sacra Scriptura non infrequenter vsurpatas Primò significat claram notitiam, vnde est illud: Facie ad faciem videre. Deinde significat, beneuolentiam, fauorem, & misericordiam: quò spectat illud: *Ostende faciem tuam*: &, *Non auertas faciem tuam à me*: &, Deus *illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri* Tum significat singularem habere curam, & protectionem alicuius; vnde illa est orta locutio, Ponere faciem suam, & oculos suos super aliquem. Postremò significat potentiam, & gloriam status, & dominationis regiæ, quem ad sensum illud in Psalmo 131. scriptum est: *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui*. Christus itaq; sol est, & facies eius, est notitia ipsius: quæ ante Legem fuit lux solis vt in crepusculo: in Lege, fuit sicut in aurora: in primitiua Ecclesia tanquam in meridie: sub finem mundi ceu lux solis ad vesperam. Vix enim tunc aduèniens Dominus fidem reperiet in terra, & refrigescet caritas, & abundabit iniquitas multorum.

Huius nominis (facies) varia in sacris literis vsurpatio. *Psalm 79.* *Psalm 142.* *Luc. 18.* *Matth. 24.*

VIGESIMATERTIA Disputatio.

Exponitur pulchra quædam Ambrosii disputatio super octo Corporis Christi ornamentis, cum quibus ipse in hac prima Visione apparuit B. Ioanni.

DECEM ornamēta corporis Christi in hac prima Visione describi putat Ambrosius; quorum ipse duo reliquit intacta, quòd ea per semetipsum Dominus interpretatus sit: hæc autem sunt, septem candelabra aurea, in quorum medio Christus esse visus est, & septem stellæ, quas habebat in dextera sua. De reliquis autem octo ornamentis ità disserit Ambrosius, vt ostendat per septem priora, designari septem electorum hominum genera, qui in Ecclesia militanti ab initio Mundi vsque ad eius finem, per vniuersa temporum interualla, & fuerunt & futuri sunt; Per octauum autem ornamentum significari felicitatem Sanctorum in cęlis, maximè verò, quæ post resurrectionem futura est. 90

Est itaque primum ornamētum vestis talaris, quàm Latinus Interpres poderem appellauit, designās Electos, qui ab exordio mundi fuerunt vsque Diluuium. Secundum ornamentum, Zona aurea, præcingens pectus ad mamillas; per quam significantur Patriarchæ & Iusti, qui fuere post Diluuium, & ante Legem. Tertium ornamentum Canities

ties

ties capitis, & capillorum, significans ipsam Legem veterem, & Iustos, qui sub Lege salui facti sunt. Quartum ornamentum, Oculi sicut flamma Ignis; per quod designantur Prophetæ Veteris Testamenti. Quintum ornamentum, Pedes similes aurichalco in camino ardēti; per quod designati sunt Apostoli Christi. Sextum ornamentū, vox tanquam vox aquarum multarum; significans innumerabilem multitudinem gentium, quæ ad fidem Christi conuersæ sunt. Septimum ornamentum, Gladius ex ore Christi exiens vtraque parte acutus, denotans Electos in nouissimis Mundi temporibus futuros, & contra Antichristum fortiter pugnaturos. Octauum ornamentum. *Et facies eius sol lucet in uirtute sua*; quod significat felicissimum statum Electorum in cœlis, præsertim verò post gloriosam corporum resurrectionem futurum.

91 Sed iucundum, opinor, Lectori fuerit, hæc ipsa, quæ nos cursim, & strictim diximus, quemadmodū disertè ac luculentè declaret Ambrosius, ex proprijs eius verbis hic appositis cognoscere: Sic autem scribit: Si septem candelabra, & septē stellas, pro duobus ornamentis accipias, decem reperies ornamenta, quibus Domini corpus decoratum fuisse visum est. Sed quid septē candelabra, & septem stellæ significarēt, Dominus ipse per semetipsum exposuit. Quid autem octo quæ restant, ornamenta significent, perscrutandum nobis est. Sancta Dei ciuitas ex omnibus Electis cōstans, & ab initio Mundi vsque in finem tendens, si diligenter perspicias, diuisa est septem in partes, congruè septem ornamentis corporis Christi respondentes. Primum ornamentum fuit poderis, id est, tunica talaris, significans Iustos, qui ab initio Mundi fuerunt vsque ad Diluuium. Quæ vestis cuius coloris fuerit, non dicitur, eò quòd nullam aliam legem nisi naturalem illi habuerunt. Est autem lex naturalis, Creatorem suum diligere: & quod sibi quis fieri non vult, alteri non facere. Hanc legem nullus ratione præditus, ignorare permittitur. Secundum ornamentum (Zona aurea circa mamillas,) designat Patriarchas, & Iustos, qui post Diluuium, & ante Legem Mosis fuerunt: Hæc fuit aurea, quia multis illi tribulationibus, tanquam aurum in fornace probati sunt. Abraam de igne Chaldæorum erutus est: Iustum Loth Sodomitæ vehementer afflixerunt: Isaac cæcitatem pertulit: Iacob persecutione fratris, atque soceris vexatus est: Ioseph captiuitatem & carcerem sustinuit; Iob amissionem bonorum suorum, & diram corporis passionem tolerauit. Per mamillas verò à Zona constrictas duo Caritatis præcepta designantur: per quæ sanctos illos Patres Deo placuisse certum est. Tertium ornamentum, (Canities capitis, & capillorum ad similitudinem lanæ albæ, & niuis.) Canities capitis significat Legem Mosis, & antiquitatem eius: canities autem capillorum significat multitudinem illorum veterum Iustorum, qui sub Lege ab erroribus, & peccatis mundati, & salui facti sunt.

[Tob. 4.] [Gen 15. Infrà 19. & 2. Petri, 1. Gen. 27. Ibidē, & ad Gal. 4. Gen. 30. & 31. Infrà 39. 40.]

Quartum ornamentum: *Oculi tanquam flamma ignis*. Oculi cuncta, quæ circa se sunt, longè, latèque prospiciunt: & per istos oculos congruè designantur Prophetæ Veteris Testamenti, qui ea, quæ ventura erant, longè antè præuidere meruerunt. Dicuntur autem oculi similes flammæ ignis, quia Spiritu sancto illuminati, mysteria cœlestia contemplati sunt. Quintum ornamentum: *Pedes similes aurichalco in camino ardenti*. Per istos pedes designantur Apostoli, & ceteri qui ex Iudæis crediderunt in Christū, de quib. pedibus Propheta dixit: 92

[Isa. 52.]

Isa. 52. dixit: *Quam pulchri super montes pedes euangelizantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus.* Erant autem pedes similes aurichalco: æs namque in fornace quibusdam medicaminibus admixtis tamdiu ignescit, vsquedum colorem aureum accipiat, & tunc dicitur aurichalcum. Per æs, quod sonorum est, & vertitur in nigredinem, designantur Iudæi, qui Legem quidem secundùm litteram personare videbantur, sed velamine nigredinis mente obtecti, spiritualem intelligentiam, quæ in Lege latebat, comprehendere nequiuerunt. Æs igitur in aurichalcum est conuersum quando ex Iudæis electi sunt Apostoli. Per fornacem autem vel Mundum ipsum, in quo Christus aliquã diu conuersatus est; vel tribulationes quas sustinuit, licet intelligere. Apostoli ergo in huiusmodi fornace per doctrinam Euangelij splendorem auri accipere meruerunt. Sextum ornamentum: *Et vox eius sicut vox aquarum multarum.* Hoc denotat innumerabilem multitudinẽ gentium, quæ ad Christi fidem conversæ sunt.

93 Septimum ornamentum: *Gladius ex ore eius vtraque parte acutus exibat.* Per istum gladium, Electi, qui in fine Mundi nasci turi sunt, & contra Antichristum pugnaturi, designantur. Et quia maxima multitudo gentium, cultum Christi derelinquens, Antichristum, hominẽ impurissimum pro Deo adorabit; nõ incongruè illi, qui ad eorum errores concidendos progressuri sunt, per gladium designantur, qui duas acies habere visus est, quia Doctores illi duorum Testamentorum doctrinis eruditi, facilè hostes deuincent: Nam quòd de ore Domini ipse gladius procedere uisus est, illud significat, quod Dominus ipse dixit in Euangelio: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10 In his ergo septem ornamentis, omnis Electorum Ecclesia, quæ à nobis septẽ in partes diuisa est, comprehenditur. Sine eatum porrò septem partium consideratione, non videtur mihi quisquam librum hunc ordinatè posse intelligere. Restat octauum ornamentum pertinens ad cœlestem ac triumphantem Ecclesiã: *Et facies eius sicut sol lucet in meridie.* Per faciẽ, Ecclesia, sicut post resurrectionẽ futura est, designatur: & tunc Deum, sicut dixit Apostolus, facie ad faciem videbit. Sicut sol autem lucere visa est, quia vt Dominus dixit: *Tunc Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.* Matth. 13. Hæc ex Ambrosio, non omnia quidem ad verbum, sed quædam tantùm ad sententiam eius.

VIGESIMA QVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 16

Ego sum primus & nouissimus, & habeo claues Mortis & inferni.

ILLORVM verborũ: *Ego sum primus & nouissimus:* quatuor sunt 94 Interpretationes. Prima est, istis verbis insinuari æternitatẽ Christi, quæ principio caret durationis & fine: vt sit sensus: Ego & antiquior sum, & posterior omnibus. Nam etsi sunt nonnullæ res incorruptibiles, vt Angeli, & Animæ rationales; nihil tamen repugnat, cogitare, huiusmodi res, per absolutam Dei potentiam, desinere esse; Ambrosius. quod tamen cogitare de Deo impossibile est, vtpote manifestam cõtinens repugnantiam, & contradictionem implicans. Si Christus, (inquit Ambrosius) est primus omnium, quomodo Arrius dixit, ipsum

sum habuisse initium, Si enim habuit initium, non igitur ipse primus est, sed is, à quo initium accepit. Primus ergo, & nouissimus ipse est, quia sicut finem non habet, ita nec habuit initium.

Secunda Interpretatio: Christus est primus & nouissimus Saluator: primus quidem saluans à culpa, nouissimus Saluator in fine saluans, & liberans ab omni miseria corporis, & animæ. Tertia Interpretatio: Primus, quia ipse creauit omnia, etiam ipsa sæcula, atque ipsum tempus, Nouissimus autem, quia in fine seculorum, vt Paulus ait, vel, vt inquit Ioannes, in nouissima hora, restaurabit vniuersa. Quarta Interpretatio, Primus ob primatum, atque principatum gratiæ, & gloriæ, quem habet tanquam caput Ecclesiæ, atque omnium Electorum. Nouissimus autem, propter humilitatem, & vtilitatem passionis: ob quam de eo dixit Esaias: *Vidimus eum nouissimum virorum*, & Dauid in persona eius dixit. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Hoc quippe nomen, *nouissimus*, in Scriptura non tantum significat vltimum, sed etiam infimum, ac minimum; sicut videre licet in illis verbis Domini, quæ refert Marcus capite nono.

Hebr. 1. Infra 9. 1. Ioann. 2.

Esa. 53.

Psalm. 21.

Qui vult fieri primus inter vos, fiat tanquam nouissimus.

Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omniũ minister.

95 Sed quid est illud, *Habeo claues mortis, & inferni?* Qui clauẽ alicuius domus habet, Ambrosius inquit, quem vult, in domum intromittit & quem vult, ab ingressu domus, repellit. Per clauem ergo potestas Filij Dei intelligitur, Claues autem mortis & inferni Christus ipse possidet, quia quos vult, à damnatione mortis æternæ misericorditer liberat, & quos vult, in æternæ damnationis reatu, iusto iudicio remanere finit. Hæc Ambrosius. Videtur etiam idem significare hoc loco, habere claues mortis & inferni, atque illud, quod dixit Anna mater Samuelis prophetę in suo Cantico: *Ipse mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Atque hæc est Arethæ interpretatio. Rupertus ait, significari istis verbis potestatem quam habuit Christus dimittendi peccata, de qua ipse dixit Iudæis: *Vt sciatis quia Filius hominis potestatem habet in terra, dimittendi peccata*, &c. Peccatum enim hominem facit reum & mortis & inferni, vtrumque enim malum ex peccato permanauit ad hominem. Andreas Cęsariensis nomine mortis intelligit mortem corporalem; nomine autem inferni, mortem animæ, id est sempiterna inferni supplicia. Et hanc duplicem mortem corporis atque animæ indicauit Dominus illis verbis, quæ refert Matthæus, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in geennam.*

Quid sit, Christum habere claues mortis & inferni.

Ambrosius.

1 Reg. 2. Aretha. Rupertus.

Math. 9.

Andreas.

Matth. 10.

96 Ioachimus Abbas ait, Diabolum ante Christi aduentum duplex habuisse ius in homines, alterum quidem mortis, quãm nemo poterat hominum effugere; alterum vero inferni, quia omnes homines post mortem, descendebant ad infernum. Sed quia Diabolus Christum omnino innocentem, & in quem nihil ipse iuris habebat, impie occidi fecit; vtrumque ius, & mortis, & inferni, per Christum ei ablatum est. Quod autem Christus haberet claues mortis & inferni, primum ostendit in seipso, deuicta morte resurgens ad vitam immortalem, & beatam, nec solum ipse liber ex inferno exiẽs, sed etiam inde multa sanctorum millia educens, vt verè prædictum a Propheta fuerit, ipsum fore & mortem mortis, & morsum inferni. Idem ipsum manifeste ostendet in extremo iudicio, malos enim æterna morte damnatos perpetuo inferni carcere concludet, bonis ve-

Ioachimus Abbas.

Locus Osee. cap. 13.

rò cœlum aperiet ad æternam perfruendam felicitatem. Sed cur dixit se habere claues Mortis & Inferni, ac non potius dixit habere se claues Vitæ, & Cœli? Tū quia illud prius fit, & hoc sequitur ex illo: prius enim est, hominem liberari reatu Mortis, & Inferni, & sic ad ingressum cœli, & ad beatæ vitæ participationem admitti: tum quia sic magis apparet victoria Christi, quam de Morte, & de Diabolo Inferni possessore reportauit.

VIGESIMAQVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. vlt.

Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum; & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

79 CVM suprà, vndecim res in hac prima Visione sint commemoratæ, cur earum duas tantùm interpretari voluerit Dominus, septem videlicet candelabra, & septē stellas, alijs omnibus sine interpretatione præteritis; rationē reddens Rupertus, Cum, inquit, trinam scribendorum distinctionem fecerit, dicendo: *Quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.* secundum tātùm nunc aperit, id est, *Ea quæ sunt,* & quasi ingressuro, intelligentiæ ianuam pandit, vt tangendi conscientias eorum, qui tunc erant, vel præerant Ecclesijs, auctoritas homini non deesset. Nam sicut dixit; Sacramentum septem stellarum, & septem candelabrorum, est hoc, & hoc; ita dicere poterat, Sacramētum Filij hominis sic vestiti, & sic præcincti, & tale caput, talesq; oculos, & tales pedes habentis, hoc, vel tale est. Sed non adeò res exigebat, nec tanta negotij necessitas vrgebat. Qui enim tātùm docet quid teneat, vel quid tenere debeat catholica fides, non tanto præsidio diuinę auctoritatis, seu volūtatis opus habet, quāto is, qui corripit, & percutit mores hominum, qui de occultis hominum cōcupiscentijs seu vita, maximè priuata, tractat, & disputat, & legendas conscribit orationes: Illic namque suffragantibus Scripturarum testimonijs, etiā ignauus vitæ suæ moderator ad Fidem sponte consentit: Hic verò deficientibus occultæ conscientiæ arbitris, etiam strenuus Fidei decertator, indignatur se de propriæ vitæ statu reprehendi, cùm de foris facere videatur totum id, quod Ecclesiasticus facere debet: talis videlicet esse videbatur ille Angelus Ecclesiæ Sardis, cui iussus est Ioannes scribere illud: *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Opportunè igitur eorum quæ tunc erant, vel fiebant in Ecclesijs, intellectum signanter aperit, & per singula fidenter deducens, Hæc, inquit, Angelo illi, & hæc scribe Angelo illi. Sic Rupertus.

Cur h. duo tantū sint à Domino interpretata. Rupertus.

Nos autē breuiter dicamus; Quoniam prima hæc Visio præcipuè ac propriè spectabat ad institutionem & confirmationem, atque consolationem, nec non & ad correptionem atque correctionem illarum septem Ecclesiarum Asiæ, atq; eorum, qui tunc earum Ecclesiarum pastores, & rectores erant; idcirco Dominus præcipuè voluit aperire mysterium septem candelabrorū, significans septem illas Ecclesias, & mysterium septem stellarum, denotans illarum septem Ecclesiarum pastores atque rectores. Præsertim verò cùm ex harum duarum rerum interpretatione, minimè arduum esset futurum sagagis ingenij viro, ceterarum quoq; rerum mysticam significationem

atque intelligentiam solerter indagando reperire.

Qui sint Angeli Ecclesiarum.

98 Sed illud nonnullam habet dubitationem, quos intelligere oporteat Angelos Ecclesiarum per septem stellas significatos: veros ne Angelos, & incorporeos ac cęlestes Spiritus à Deo præpositos illis Ecclesiis; an verò Episcopos illarũ Ecclesiarum, metaphoricè appellatos Angelos, quod in munere suo episcopali similitudinem quampiã referant Angelorum. *Origenes.* Origenes certè in homil. 20. in librum Numerorum, & homilia XIII. in Lucam, istos Angelos Ecclesiarum censuit esse veros Angelos, qui singularũ Ecclesiarum præsides à Deo constituti sunt: quin etiam dicit, eos pro bene vel male factis eorum quibus præsunt, esse vel culpabiles, vel laudabiles, & vel mercede, uel pęna dignos. Id ipsum Ambrosius in caput secundum Lucæ, & in Epistola 21. Et Hieronymus in sextum caput Micheæ, & in cap. 18. Matthæi tradiderunt, magis opinor ad Origenis, quem legerant, sententiam, quam ex proprio sensu. *Ambrosius Hieronymus.* Andreas quoque idem significare videtur, etiam id Nazianzeni auctoritate confirmans: sic enim ait. *Andreas. Nazianzenus.* Singulis porrò, vt Dominus alicubi insinuat & Gregorius Theologus confirmat, dum præsens hoc caput edisseret; Angelus custos præpositus est: huiusmodi verò Angelos ob naturæ claritatem, vitæque sanctitatem atque puritatem, tropo quodam, stellarum vocabulo denominat.

Non esse veros Angelos.

Sed falsa profectò est ista sententia. Multa enim in istos Angelos Ecclesiarum dicuntur in secundo, & tertio capite huius libri, quæ ad veros Angelos, & cęlestes Spiritus nullo modo quadrant: huiusmodi est illud quod in capite secundo dicitur Angelo Ephesi: *Sed habeo aduersùm te pauca, quod caritatem tuã primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Cùm boni Angeli sint beati, videntes vtique faciem Patris qui in cęlis est, non possunt caritatem relinquere, nec mala opera facere, nec à statu rectitudinis excidere, nec facere aliquid, cuius pęnitere eos debeat. *Matth. 18*

Angelos esse dictos Episcopos, & cur.

Est itaque communis explanãtium libri huius interpretatio, estque vera & certa sententia, Angelos illarum Ecclesiarum metaphoricè appellatos esse, illarum Ecclesiarum Episcopos. 99 Septem Angelos (inquit Ambrosius) rectores septem Ecclesiarum debemus intelligere, eò quòd Angelus Latinè Nuncius interpretatur. Vnde qui verbum Dei populis annunciant, non inconuenienter Angeli sunt appellati. Et sicut per septem Ecclesias vna Ecclesia Catholica; ita per septem Angelos, siue rectores septem Ecclesiarum, omnes rectores Ecclesiæ Catholicæ designantur. Sic Ambrosius. Quæ autem in istos Angelos dicuntur, non ad Spiritus angelicos, sed ad Episcopos, & rectores Ecclesiarum pertinere, cum ex aliis, tum ex illis verbis, quæ dicta sunt Angelo Ephesinæ Ecclesiæ, manifestum est: *Scio, inquit, opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* *Apocalyp. 2.* Cur autem Episcopi appellati sint Angeli, multæ, satisque probabiles rationes possunt reddi. Primò quidem, quoniam Episcopi sunt Dei prouidentiæ, & gubernationis circa Ecclesiam primarij nuncij, & ministri visibiles, sicut Angeli sunt eiusdem diuinæ prouidentiæ circa vniuersum mundum inuisibiles ministri. Deinde, quia Episcopi tantum ijs quos regunt, sapientia, & virtute animi præstare debent, quantum Angeli hominibus antecellunt. Tum, quia Episcopi

erga populum sibi subditum habere & exercere debent triplicē illam virtutem angelicam, quam tradit B. Dionysius Areopagita, virtutem dico illuminandi, & purgādi, atque perficiendi. Adhæc, quia debēt Episcopi quoad possunt, participare, & imitari, & in seipsis habere omnes proprietates omnium Angelicorum ordinum: Exempli gratia, scientiæ plenitudinem sanctorum Cherubim, & caritatis ardorem beatorum Seraphim, atque itidem aliorum ordinum.

Dionysius Areop.

Ac licèt Episcopi non sint omnino boni, nec perfecta sit in qualibet Ecclesia virtus: propterea tamen, nec illi desinunt esse stellæ, nec Ecclesiæ desinunt esse candelabra aurea: vt patet in istis septē Ecclesijs, in quibus Dominus non pauca vituperat atq; reprehendit. Ecclesiarum Præsules, ait Rupertus, quamuis aliqui pro vita propria reprehensibiles sint, Angelos tamen, & Stellas appellare voluit, & Ecclesias omnes, quamuis in aliquibus multa sint obscura, Candelabrorū tamen aureorum pulchris nominibus, siue significatiuis imaginibus honestauit. Et rectè profectò: quia Sacerdotes & præsules, quamuis interdum in proprijs suis actibus sint obscuri; in suo tamen officio lucent, prædicando verbum Dei, & celebrando cœlestia Christi Sacramenta: atque ita quasi quędam stellæ sunt in signa, & tempora. Ecclesias quoque ipsas candelabra aurea esse, rectè dixit, propter eos videlicet qui in Ecclesijs Christum Lumen suum glorificant tam confessione vocis, quàm obsequio boni operis: Seruantes præceptum eius, qui dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Rupertus.

Matth. 5.



CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

VERS.1. ANGELO Ephesi Ecclesiæ scribe, Hæc dicit
qui tenet septem stellas in dextera sua, qui
ambulat in medio septem candelabrorum au-
2 reorum. * Scio opera tua, & laborem, & pa-
tientiam tuam, & quia non potes sustinere
malos, & tentasti eos, qui se dicunt Aposto-
los esse, & non sunt, & inuenisti eos menda-
3 ces: * Et patientiam habes, & sustinuisti
4 propter nomen meum, & non defecisti. * Sed habeo aduersum te, quòd
5 charitatem tuam primam reliquisti. * Memor esto itaque vnde excide-
ris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, &
6 & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris: * Sed
7 hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. * Qui habet
aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de li-
8 gno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. * Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ
9 scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit. * Scio
tribulationem tuam & paupertatẽ tuam: sed diues es, & blasphemaris ab
10 his qui se dicunt Iudæos esse, & nõ sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. * Ni-
hil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos
ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus de-
11 cem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. * Qui
habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non læde-
12 tur à morte secunda. * Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit
qui habet romphæam vtraque parte acutam. * Scio vbi habitas, vbi se-
des est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et
in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi
14 Satanas habitat. * Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic te-
a Num. 24 nentes doctrinam a Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum co-
3. 25. 2. 15 ram filijs Israel, edere, & fornicari: * Ita habes & tu tenẽtes doctrinam
16 Nicolaitarum. * Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam ti-
17 bi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. * Qui habet aurem, au-

diat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, &
dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod
18 nemo scit, nisi qui accipit. * Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ: Hæc dicit Fi-
lius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes
19 aurichalco. * Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & mini-
20 sterium, & patientiam tuã & opera tua nouissima plura prioribus. * Sed
habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit
prophetan, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de
21 idolothytis. * Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult
22 pœnitere à fornicatione sua. * Ecce mittam eam in lectum: & qui mœ-
chantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operi-
23 bus suis egerint. * Et filios eius interficiam in morte, & scient omnes
Ecclesiæ, b quia ego sum scrutans renes & corda: & dabo vnicuique ve-
24 strum secundum opera sua. * Vobis autem dico, & cæteris qui Thyati-
ræ estis; Quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt
altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud
25 pondus: * tamen id quod habetis tenete donec veniam. * Et qui vice-
26 rit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super
27 Gentes, * & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confrin-
28 gentur. * sicut & ego accepi à Patre meo, & dabo illi stellam matuti-
29 nam. * Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

b 1. Reg. 26. [illegible] Psal. 7. 10. Iere. 17. 10.

IN CAPVT SECVNDVM APOCALYPSIS DISPVTATIONES DECEM ET NOVEM.

PRIMA DISPVTATIO.

De septem Epistolis à Ioanne missis ad septem Episcopos Ecclesiarum Asiæ.

Victorinus. 1 VIctorinus Martyr, ait, iussu CHRISTI scripsisse Beatum Ioānem septē Epistolas ad septē Ecclesias Asiæ, siue ad septem Episcopos illarum Ecclesiarum. Verùm quia sunt quædam communia, & communiter in istis Epistolis dicta, ea sunt ante alia in hoc loco prænarranda. Primùm igitur per Angelos Ecclesiarū, ad quos scribuntur Epistolæ, intelligere oportet Episcopos earum Ecclesiarum, vt suprà ostensum est. Quamuis autem Epistolæ nominatim mittantur ad Episcopos, præcipuè tamen spectant ad ipsas Ecclesias, vt docet hoc loco Andreas ita scribens; Per Angelum, Ecclesiam ipsam perinde affatur, atque si quis per pædagogum verba faciat ad eum qui litteris ab eo instituitur, vel moribus imbuitur. Solent namque Præceptores, quæ discipulorum sunt, siue bona siue mala, in seipsos nonnunquam transferre. *Andreas Cæsariēsis.*

Deinde in principio cuiuslibet Epistolæ inducitur Christus se ipsum notificans & commendans ex vno aliquo eorum decem, quibus in corpore suo mirabiliter insignitus atque ornatus in superiori visione apparuit Ioāni; vel per aliquam sententiam earum quas suprà dixit loquens cum Ioanne. Exempli gratia; Initio primæ Epistolæ sic est; *Hæc dicit, qui habet septem stellas in dextera sua: qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* In secunda Epistola, *Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit;*

In ter-

In tertia Epistola, *Hæc dicit qui habet romphæam ex utraque parte acutam.* In quarta Epistola, *Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.* & idem in alijs Epistolis.

2 Adhæc, in qualibet Epistola, Episcopi vel Ecclesiæ ad quam mittitur, exponuntur opera tam laudanda, quam vituperanda, intermixta cohortatione ad agendam pœnitentiam, simulque comminatione, si pœnitentiam agere negligant: & ad extremum ponitur mercedis promissio ijs qui vicerint à Deo reddenda. In quo Rupertus magnificat Dei sapientiam & misericordiam, saluberrimo quodam temperamento miscentis laudationem cum correptione. Et ante reprehensionis austeritatem præmittit dulcedinem laudationis: & i erum post correctionis amaritudinem, ne nimis offendat & deterreat, subijcit suauitatem repetitæ laudationis. Magnum profectò est hoc, & dignũ imitatione magisterium Spiritus Dei, corrigere quidem quę indigent emendatione; sed inter corripiendum laudare, si qua sunt eius qui corripitur bona, vel dicta, vel facta: vt, quoad fieri possit, teneatur beneuolus qui corripitur, & non refugiat confusus aut exterritus, audire non sustinens. Quanquam autem in quinque Epistolis mixta sit laudatio cum vituperatione, in secunda tamen & sexta Epistola sola ponitur laudatio: in vltima verò Epistola, vituperatio tantùm ponitur.

Rupertus.

Salutare documentũ corripientibus alios apprimè seruandum.

3 Illud deniq; sciat Lector, quamlibet istarum septem Epistolarum concludi & terminari verbis illis: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.* Quibus verbis significatur, non omnes habere aures spirituales ad verbum Dei, sicut oportet, audiendum. Sicut Isaias de quibusdam dixit: *Quis est cæcus, & quis est surdus, nisi populus meus, qui apertos habet oculos, & non videt, & aures apertas, & non audit?* Matthæus quoque refert, Dominum nostrum clamando dixisse, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Interior porrò & spiritualis auditus tribus constat rebus: primùm applicatione & attentione animi ad verbum Dei, quod prædicatur audiendum & intelligendum: deinde, inclinatione intellectus ad id credendum: tum pia quadam affectione voluntatis, & propensione ad ipsum amandum & amplectendum. Illa verò sententia, *Qui habet aures audiendi audiat, &c.* incuriosum suæ salutis & negligentem animum vehementer commouet, surdum nimis hominem esse designans, qui tantæ comminationis vim intus non audiat, nec tanti iudicij seueritatem interiori sensu percipiat. Illud verò quod adiungitur, *Quid Spiritus dicat Ecclesijs*: satis indicat, licèt ea quæ in singulis Epistolis dicuntur, propriè ad vnam aliquam Ecclesiam essent scripta; ea tamen in vniuersum dici, & pertinere ad omnes Ecclesias.

Locus Isaiæ 24.

Locus Mat. 13.

Interior & spiritualis auditus ex quibus rebus sit constitutus.

SECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. VERS. 1.

4 Quæritur, quis fuerit id temporis Episcopus Ephesinæ Ecclesiæ. Lyranus ait, esse communem Expositorum sententiam, fuisse Beatum Timotheum discipulum Beati Pauli, & ab eo ordinatum Ephesi Episcopum; eùmque etiam cùm hæc scripsit Beatus Ioannes, tenuisse Episcopatum illum. Dionysius Carthusianus affirmat hoc quod

Lyranus.

An ille Episcopus Ephesi fuerit B. Timotheus.

Carthusianus.

quod Tyranus cunctis Expositoribus asignat, id se in nullo Expositorum legisse. Ego memini legere id apud vnum duntaxat Petrum Aureolum, qui hoc ait in sua Compendiaria, quã fecit vniuersæ Scripturæ, Explanatione, vbi tradit expositionem libri Apocalypsis.

Aureolus.

5 Lyrano autem probabilius fit, Episcopum illum Ephesinum non fuisse Beatum Timotheum, eo potissimum argumento, quòd reprehensio illius Episcopi, quæ hic ponitur, eiusmodi sit, vt nullo modo competat in Timotheum, virum plane sanctissimum; dicitur enim Episcopus ille reliquisse primam charitatem, & excidisse, & agere pœnitentiam debere, & prima opera facere: Sin aliter, venturum citò Dominum, & amoturum eius candelabrum. Idē quoque ob eandemque rationem arbitratur noster Ribera; id ipsum præterea affirmans ex ratione temporum, quod Timotheus mortuus fuerit vel sub Nerone, vt quibusdam placuit, vel vt tradit Metaphrastes, sub Domitiano; id autem est, priusquam Beatus Ioannes scripsit hæc ad Episcopum illum Ephesinum. Etenim ratio illa temporum quam Ribera secutus est, falsa est: Etenim Cardinalis Baronius in secundo Tomo Annalium, in Anno Christi centesimo & nono, bene coniectat, benèque argumentatur, Timotheum Beato Ioanni, qui mortuus est anno Christi centesimo primo, fuisse aliquot annis superstitem, & prope annum decimum Traiani, martyrium obijsse. Metaphrastes porrò nullam hac in re fidem meretur, cùm eodem illo in loco pugnantia inter se scribat. Is enim in die 22. Ianuarij, in quo agit, secundùm Martyrologium Græcorum, de Beato Timotheo, ait, ipsum esse mortuum sub Domitiano: sed ibidem addit, mortuum esse ipsum postquam Beatus Ioannes iam scripserat Euangelium: Atqui hæc pugnant inter se. Euangelium enim scriptum esse à Beato Ioanne post eius ab exilio reditum in Asiam, mortuo scilicet Domitianó, & alij grauissimi Auctores affirmant, & ipsemet tradit Metaphrastes in 27. die Decembris, vbi agit de Beato Ioanne Apostolo.

Ribera.

Metaphrastes.

Baronius.

In Metaphrastem.

Reprehensio autem illa Episcopi Ephesini, non tam ad ipsum pertinet, quàm ad eius plebem, sicut nos suprà ex Andreæ Cæsariensis sententia diximus. Nec ea quæ ibi vituperantur, tam fuere peccata Episcopi, quam subditorum; Vsu enim interdum venit vt peccata subditorum, propria ipsorum voluntate, nullaque rectorum culpa sint admissa. Reprehenditur autem de eiusmodi peccatis, quò excusatior ipse sit apud subditos, si eos reprehendat, tanquam ipsi peccata eorum imputanda sint, nisi ea reprehenderit, & quantum in ipso est, correxerit. Verùm dicat fortasse quispiam, cùm B. Ioannes & ante & post exilium suum rexerit Ecclesias Asiæ, & in his Ephesinam; quomodo eodem ipso tempore Timotheus eiusdem Ecclesiæ Episcopus & rector erat? Erat sanè, sed tanquam priuatus & proprius eius Ecclesię Episcopus; Ioannes verò tanquam Apostolus Christus, & generalis omnium earum Ecclesiarum Doctor & gubernator. 6

TER-

TERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 2. *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.*

7 A QVATVOR rebus laudatur hoc loco Episcopus Ephesinus, siue Ecclesia Ephesina: Primò, ab effectione bonorum operum; deinde à perpessione laborũ & tribulationum; tum, ab improbatione & detestatione Pseudapostolorum, denique ab odio Nicolaitarum: Et in his quatuor propemodum rebus plena cuiuslibet Ecclesiæ laus continetur, si tamen loco Nicolaitarum intelligantur Hæretici, qui diuersis in temporibus Catholicam Ecclesiam oppugnarunt atque infestarunt, vt hoc tempore Lutherani & Caluinistæ. De Nicolaitis porrò, quibus illi erroribus circa Fidem, & quibus quantisque flagitiorum sordibus contaminati & corrupti fuerint; & an Nicolaus ipse, à quo nomen hoc deriuatum est, verè fuerit in illis erroribus atque flagitijs, necne, copiosè doctèque Cardinalis Baronius disputat in primo Tomo Annalium in anno Christi sexagesimo octauo. *Baronius.*

8 Sed nobis pensitanda sunt verba illa, *Et non potes sustinere malos.* Hic profectò fuit semper insigniũ pietate seruorum Dei zelus, non posse sustinere malos, quod ostendam nonnullis, quæ sunt in Scriptura, illustrioribus exemplis. Moses, etsi mitissimus erat omnium hominum, zelo tamen diuini honoris incensus, tria & viginti millia Hebræorum ob crimen vituli à populo adorati occidi iussit: cuius admirabilem zelum satis declarant illa ipsa verba quę tunc dixit, *Si quis,* inquit, *est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui; quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ponat vir gladium super fœmur suum: ite, & redite de porta vsque ad portam, per medium castrorum; & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses, Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.*

Solemnis fuit magnis Dei seruis Zelus in peccatores.

Moses.

Exod. 32.

9 Phinees quoque, cùm vidisset nobilem quendam Hebræum publicè ingredi ad scortandum cum muliere Madianitide, ingenti cum dedecore ac dolore populi, & diuini nominis iniuria, Dei zelo inflammatus, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitam in lupanar, & fodit ambos simul in locis genitalibus: quod eius facinus quàm Deo placuerit, declarant illa Domini verba, *Phinees auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.*

Hunc zelum Phinees vnus quidam ex posteris eius Mathathias pater Iudæ Machabæi egregiè æmulatus est: ita enim de eo scriptum est: *Accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare Idolis super aram in ciuitate Modin secundum iussum Regis: Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius, secundum iudicium legis, &* *insiliens*

Mathathias.

1. Mach. c. 2

insiliens trucidauit eum super aram: Sed & virum quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit: & zelatus est legem sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi

David. 10 Iam verò sanctissimus Rex & Propheta Dauid, zelum suum aduersus peccatores pluribus in Psalmis suis luculentè declarauit, eius namque sunt verba illa; *Zelus domus tuæ comedit me; & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Et item illa: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Et alio loco, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Cuius illud est affine, Eodem spectat & illud, *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Quid ego dicam de ardentissimo Eliæ zelo, quo non accensus modo, sed etiam perustus, quadringentos & quinquaginta prophetas Baal, qui populum Israel à cultu veri Dei abstrahebant, ipso spectante populo interfecit; Et Deo dicenti, *Quid hic agis Elia?* respondit, *Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio: & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Ob tantum itaque eius ardorem zeli, scriptum de eo est, *Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum quasi facula ardebat.*

Psal. 68. *Psal. 100.* *Psal. 118.* *Ibidem.* *Psal. 138.* *3. Reg. 18.* *Baal.* *3. Reg. 19.* *Eccles. 48.*

11 Sed tria debet habere zelus iste aduersus peccatores, vt sit zelus secundum scientiam; & gratus Deo, & hominibus salutaris. Primo quidem, istum zelum non appetitus propriæ vindictæ ob acceptas iniurias & detrimẽta, sed amor iustitiæ ob diuini nominis honorẽ, & bonũ publicũ suscitet atq; incendat. Deinde iste zelus sit aduersus peccata ipsa hominũ, nõ aũt aduersus ipsos homines, vt peccata oderimus, homines aũt diligamus: Paris enim culpæ est, pariq. dignũ reprehẽsione, siqa peccata hominũ odimus, et homines ipsos oderimus: vel si, quia homines amamus, etiam peccata ipsorum diligamus. Tum, vt cum seueritatem correptionis, & animaduersionis acerbitatem foris ostendimus & exercemus, intus tranquillitatem mentis seruemus, & dilectionis ergà eos qui corripiuntur & puniuntur, dulcedinem animo retineamus: ne quorum odimus peccata, eos diligere nunquam desinamus. Qui tria hæc habuerit, eius profectò zelus aduersus peccatores, & bonus, & pius, & sanctus erit: talèque odium peccatorum vere iustum & perfectum est: & qui tali flagrat zelo, verè potest vsurpare illud, quod de peccatoribus dixit Dauid. *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.*

Tria debet habere zelus aduersus peccatores.

Locus Psalmi 138.

Quam Dauidis sententiam in Tertia Parte Curæ Pastoralis in Admonitione XXIII. explanans Beatus Gregorius ita scribit; Perfecto odio inimicos Dei odisse, est quod illi facti sunt à Deo, diligere, & quod illi fecerint, odisse, increpare mores prauorum hominum, premere vitia, & vitæ prodesse. Pensandum ergo est, quando ab increpatione quiescitur, quanta sit culpa, si pax cum pessimis teneatur: cum tantus Propheta hoc velut in hostiam Dei obtulerit, quod contra se, pro Deo, prauorum hominum inimicitias excitauerit. Admonendi sunt itaque, vt eandem pacem dilectione integra intrinsecus teneant, quam per increpationem vocis extrinsecus turbant. Quod se Dauid prouidè seruasse testatur cum ait: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: dum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Ecce loquens impugnatur: sed tamen impugnatus, erat pacificus; quia nec insanientes, increpa- 12

S. Gregorius.

Locus Psalmi 119.

re

re cessabat, nec reprehensos negligebat amare. Hinc etiam Paulus ait, *Si fieri potest. quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Nimirùm difficile erat, vt si malè agẽtes corriperent, habere pacem cum omnibus possent. Sed cùm temporalis pax in prauorum cordibus ex nostra increpatione confunditur, curandum est, vt in nostro corde inuiolata seruetur. Rectè igitur ait, *Quod ex vobis est*, quasi dicat, Quia pax duarum partium consensu subsistit, si ab eis, qui corripiuntur, expellitur, integra tamen in vestra, qui corripitis, mente teneatur. Hactenus ex Gregorio.

Locus ad Roman. 12

QVARTA Disputatio.

Super eisdem illis verbis:

Non potes sustinere malos.

An dignum laude sit, non tolerare malos.

Ambrosius 13

AMbrosius in Commentarijs suis in Apocalypsim explanans hunc ipsum locum, quęstionem ponit huiusmodi. Cùm diuina Scriptura iubeat non solùm tolerare homines malos, sed etiam diligere, atque eis benefacere: quomodo laudatur hic Episcopus Ephesinus, quòd non potuerit sustinere malos? Respondet Ambrosius, duo esse genera malorum hominum; & quosdam esse Catholicos, qui malè tamen viuant: alios verò esse Hæreticos, qui cum improbis moribus & factis falsam fidem & doctrinam habent coniunctam. Illi aliquando reprehendendo corrigendi sunt, cùm opportunè potest id fieri: aliquando sunt tolerandi, vt per patientiam & longanimitatem nostram prouocentur ad pœnitentiam: At Hæretici nullo modo sunt tolerandi, sed tanquam lupi procul à grege arcendi. Ambrosij verba sunt hæc: Cùm diuina Scriptura nobis præcipiat vt toleremus malos, cur hic laudatur, quod non potueris sustinere malos? Sed sciendum est, de Hæreticis hoc esse dictum. Nam proximorum mala aliquando reprehendendo corrigere debemus, tempore videlicet opportuno: aliquando expedit patienter eos tolerare, vt quos correptio non emendat, patientia prouocet ad emendationem. Sunt enim nonnulli, qui proximos reprehendere nesciunt nisi ira inflammati. Et horum aliqui tam diu iram in corde gestant, donec in actibus proximi aliquid videant, quod reprehendere possint: & tunc læti sunt, cùm reprehensionis vindictam proximo intulerunt: Quòd si viderint id displicuisse alijs, dicunt se Dei zelo id fecisse. Sed tu qui talis es, cur quæris fallere Deum, qui occulta cordium considerat? Si Dei zelus in te est, cur oculi tui per diuersa vagantur, more diabolico desiderans videre potiùs in proximo malum quod reprehendas, quàm bonũ vnde tu ædificeris? Sunt porrò alij non pauci, qui à quibus iniuriã aliquam acceperunt, eos pro minimis etiam delictis impatienter insectantur: eos verò quos ipsi diligunt, non solùm non reprehendunt, quamuis grauiter admodùm deliquerint, verùm etiam omni studio & contentione defendunt. O infelix amicitia, quæ amicum tacendo & defendendo perdit, & Diabolo tradit: eũ vero cui est iratus, acerbè insectando & reprehendendo Diabolo abstrahit, & ad emendationem adducit. Ergo illa est iusta correptio, quæ ex Dei zelo, & amore fraterno descendit: quæ non propter iram vindicandam,

Matth. 5. AdRom. 12 Ambrosius

dicādam, sed propter animam proximi seruandam profertur.

Cæterū, vt suprà dixi, hoc quod Præsuli Ephesino dicitur, *Non potes sustinere malos*, de Hæreticis debemus intelligere: omnis enim qui pastor est Ecclesiæ, societatem Hæreticorum quantùm potest, vitare debet, ne per occasionem familiaritatis eorum, corda simplicium veneno suæ perfidiæ corrumpat. Sicut enim lupus quietus inter oues, sine pernicie canum versari nō potest: ita nec Hæreticus inter simplices. Hactenùs ex Ambrosio.

Quādo laudabile sit tolerare malos, quādo non.

14 Nos autem breuibus ita dicamus; tolerare homines malos, a quibus nos priuatim, vel in corpore, vel in re familiari, vel in fama læsi fuimus, non solùm est laudabile, verùm etiam dominicis & Apostolicis præceptis atque documentis, exemplisque sanctorum hominum maximè consentaneum. Dominus etenim dixit, *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* Et Paulus ait, *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere*. Idemque scribens ad Corinthios de se, deq; alijs loquens Apostolis, *Maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus.* Memorabile admodùm est quod in veteribus monumentis de Socrate philosopho proditum est. Interroganti Socratem Alcibiadi, cur Xantippem vxorem mulierem valdè morosam, & iurgiosam, & perpetuò molestam atque acerbam, tam lento animo pateretur, ac non eam domo exigeret; respondit dignam Socrate sententiam: Quoniam, inquit, cùm illam domi talem perpetior, insuesco, & exerceor, vt ceterorum quoque foris petulantiam & iniuriam faciliùs feram. Cuius non est dissimile, quod Marcus Varro de officio mariti tradidit: Vxoris, inquit, vitium, aut tollendum aut ferendum est: Qui vitium tollit, vxorem commodiorem præstat: Qui fert, sese meliorem facit. Quod Varrò dixit de vxoris vitio, aut tollendo, aut ferendo, id ipsum commodè transferri potest ad homines improbos, quibuscum versamur; eorum namque vitia vel corrigenda sunt à nobis, vel patienter tolerāda.

Matth. 5.

Ad Rom 12

1. ad Cor. 4

Socratis sētētia, & patientia perquàm memorabilis. A. Gellius lib. 1 c. 17.

At verò homines malos, qui nocent bono publico, & quorum peccata in perniciem redundant plurimorum, qui populo cum auctoritate & potestate coercendi atque puniendi præsunt, nullo modo perpeti debent, sed quamprimùm vel emendare, vel è medio tollere, ne malitia eorum diu multumque amplificata & roborata, & ipsa existat immedicabilis, & exitialis fiat quāplurimis. Paulus certè Elymam magum prædicationi suæ pertinaciter obsistentem, & auertere Proconsulem Sergium Paulum à fide Christi impiè conantem subita cœcitate percussit. Illum quoque incestuosum Corinthium atroci sententia damnauit, supplicioq; puniuit. Notum etiam est illud in Ananiam, & Sapphiram Beati Petri seueritatis exemplum: Hæc enim, quòd pessimo bono publico futura erant, visa sunt Apostolis non dissimulanda, nec toleranda, sed quamprimùm punienda. 15

Locus Act. 13.

1. ad Cor. 5

Act. 5.

Quòd autem Scriptura in hoc loco Apocalypsis dicens: *Non potes sustinere malos*: non de quibuslibet malis hominibus loquitur, sed de Pseudapostolis, & Hæreticis, manifestum est ex verbis illis proximè sequentibus: *Tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces*. Et paulò infra: *Odisti facta Nicolaitarum, quę & ego odi.* Venturos porrò in Ecclesiam Ephesinam aliquando Pseudapostolos & Hæreticos, qui eam falsa dogmata prædicando perturbarēt, multosque deceptos à recta fide abducerent, Beatus Paulus Spiritu Prophetico prædixit maioribus natu Ecclesiæ Ephesinæ Mileti, vocatu eius congregatis, quibus inter 16

alia

Locus Act. 20. alia dixit hæc verba: *Ego scio quoniã intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex nobis ipsis exurgentes viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.*

Ioachimi dubitatio. 17 Ioachimus Abbas ponit hanc dubitationem; Videri contraria, & pugnantia inter se hoc loco dici de Episcopo illo Ephesino, Laudatur enim eius impatientia, quod non potuerit sustinere malos: laudatur etiam eius patientia, cùm dicitur: *Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Non posse sustinere malos, et sustinere, nec in sustinendo deficere, videntur cõtraria. Respondet, ista non esse contraria, quia nõ ad vnum & idem referuntur, sed ad diuersa. Non poterat ille sustinere malos, id est, Pseudapostolos & Hæreticos, sed eis falsam doctrinam prædicantibus acriter & constanter resistebat. Sed quia hác ob causam aduersus ipsum ab illis Hæreticis eorumque sectatoribus atque fautoribus magnæ persecutiones & tribulationes exortæ sũt, eas ille patiẽter sustinebat, nec animo deficiebat. Aliud itaq; est, non perpeti Hæreticos, & aliud est, mala & aduersa, quæ nobis ex impugnatione Hæreticorum accidunt, patiẽter tolerare, hoc enim est, persecutionem pati propter iustitiam. *Matth. 5.*

QVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 4. *Sed habeo aduersũm te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.*

18 Reprehenditur his verbis Episcopus Ephesinus, quod eius prima charitas multum deferbuisset, primusque ardor bene agendi, præsertim vero misericordiæ opera faciendi refrixisset. Non itaque reprehenditur, quòd non haberet charitatem, sed quòd primam charitatem non haberet, id autem est, non reprehendi priuationem charitatis, sed eius remissionem atque teporem. In viris enim qui in statu perfectionis versantur, & perfectæ vitæ & disciplinæ obseruantiam profitentur, non incusantur vitia vel peccata mortalia; sed in virtutũ officijs, & exercitio bonorum operum remissio, & incuria, & negligentia meritò reprehenduntur. In huiusmodi enim viris deficere ab eo quod erant, & non proficere vltra id quod sunt, vituperabile ac damnabile censetur, & vitio illis vertitur non solùm in via Domini regredi, sed etiam non progredi. *Quid reqratur ab ijs, qui versantur in statu perfectionis.* Diminutio autem charitatis dupliciter fit: vel quantùm ad intensionem, cùm minuitur eius feruor, & fit homo tepidus & piger in bene agendo, qui primo diligens & feruens fuerat: vel minuitur charitas quantùm ad extensionem, & hoc quadrupliciter: *Quomodo fiat diminutio charitatis.* Primo, quãtùm ad actus charitatis, quos non ita frequentat vt solebat; deinde, quantùm ad externa opera virtutum, quia nec tot facit, nec tã assiduè; tum, quantùm ad personas, qa benignitatẽ nõ ad oẽs extendit, et inimicos, sed ad paucos sibi notos, vel charos restringit; ac demũ, qa ꝑpetuũ benefaciẽdi et iuuãdi homines studiũ & conatũ omisit, nec in eo pseuerauit, sed breui defecit.

19 Cæterũ quæstio existit non aliena huic loco, cur ferè vsu veniat, vt qui magna alacritate animi, & ardore Spiritus Deo seruire cœperunt, paulatim ab illo spiritus feruore tepescant, & à primo illo gratiæ vigore & efficacia deficiant. *Cur ferè deficiãt homines in feruore Spiritus, quo cœperũt seruire Deo.* An id accidit ob instabilitatem atque mutabilitatẽ liberi arbitrij hominis in eodem statu, præsertim autẽ summo & perfecto, minimè ꝑmanentis? An quia nullum violẽtum, vt pro-

vt probant Philosophi, est perpetuum? Vt autem conseruetur feruor spiritus, multis in rebus vim sibi hominem afferre necesse est, ab stinendo a sibi iucundissimis & acerbissima sustinendo. Regnum enim cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. An quia gratia Dei cum sit donum quoddam & bonum supernaturale ac diuinum, in homine, qui in terris versatur, est tanquam in alieno subiecto, & quasi extra locum suum naturalē, vbi multiplex ei contrarietas obsistit, à carnis nempe concupiscentia, ab illecebris mundi, & a fallacijs Diaboli: Huic autem contrarietati perpetuò repugnare, atque eam superare, perarduū est, & paucorum hominum? An quia ea naturæ humanæ conditio in terris est, vt tradit S. Thomas in Prima secundæ quæst. 109. art. 9. vt quamuis per gratiam sanetur quantum ad mentem, remaneat tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dixit Apostolus: remanet, et quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, ob quam, vt idem dixit Apostolus, quid oremus sicut oportet, nescimus: Propter varios enim rerum euentus, & quia nos ipsos non perfectè cognoscimus, non possumus exactè scire quid nobis expediat, iuxta illud quod scriptum est in libro Sapientiæ, *Cogitationes mortalium timidę & incertæ prouidētię nostræ.* Quamobrem necesse est, à Deo nos protegi & dirigi, qui omnia nouit & potest.

Matth. 11

S. Thomas.

Ad Rom. 7

Ad Rom. 8

Locus Sap. 9.

An id accidit, quia vita spiritualis est tāquam colluctatio quædam cum aduersario, & quasi cursus ad brauium, & ceu nauigatio in aduerso flumine: in his autem rebus; vt assequamur quod cupimus, & necessaria est perpetua quædam contentio, & ista contentionis perpetuitas per quam difficilis homini est. Hoc ipsum elegantissimus, Poetarum declarauit pulchrè, illa similitudine.

Ad Ephes. vlt.
1. ad Cor. 9.

Sic omnia fatis
„ *In peius ruere, ac retrò sublapsa referri:*
„ *Non aliter quàm qui aduerso vix flumine lembum*
„ *Remigijs subigit, si brachia forte remisit,*
„ *Atque illum in preceps prono rapit alueus amne.*

Virg. Geor. 1.

An demùm, quia vita spiritualis proportione quadam similis est vitæ corporali? Homo enim recens generatus perfectum habet & calorem & humorem primigenium: verum hæc ipsa processu temporis impuriora fiunt in dies atque imbecilliora: Similiter fit in vita spirituali, in qua primigenio calori respondet humilitas spiritus, & deuotio mentis, & pietas animi, & quod tanquam pabulum est feruentis spiritus, assiduitas dulcissimæ contemplationis rerum cęlestium. Sed pergamus ad alia.

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

Sin autem, veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. VERS. 5

SICVT multa, inquit Rupertus, sacræ Scripturæ testimonia, ita & locus hic docet nos non esse præcipitandam sententiam contra Episcopos, vel quoscumque gradus Ecclesiasticos. Non enim dicit, Quia primā charitatē tuā reliquisti, idcirco venio tibi, & mouebo cādelabrū tuū de loco suo: sed grande posuit interuallū, magnumq; iniecit frenum currenti sententiæ, dicendo: *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Tunc demum subiungit: *Sin autem*; id est, si super ea, quæ

Ruperti documentum.

F habeo

habeo aduersum te, & super id, quòd reliquisti primam charitatē, & prima opera facere omisisti; etiam contemptum addideris; tūc veniam tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo Ordo iste iudicij Dei latè splendet in exemplis; sed exempli gratia duo tantum proponantur homines, Saul videlicet, & Dauid. Cumque de istis duobus latè disseruisset Rupertus, subdit hæc: Ergo, vbi cuiuslibet Ecclesiæ Angelus, id est, Sacerdos charitatem suam primam relinquit, non est iuris Ecclesiastici statim mouere candelabrum eius de loco suo, id est, auferre illi sacerdotium, vel Ecclesiæ regimen, vel Præsulatum: sed dicitur ei, *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Si audierit corripientem, is qui corripitur, lucratus ille est fratrem suum: Quod si neque adhibito alio, nec publico conuentus Ecclesiæ testimonio correxerit se, immo audire contempserit, tunc demum aufertur candelabrum eius, & alteri datur. Hæc Rupertus.

Matth. 18

Quid sit mouere cādelabrum de loco suo quatuor interpretationes Primæ interpretatio, quam sequuntur Rupertus. Richardus Haymo, Thomas Anglicus, Carthusianus. Lyranus. Apoc. 1.

22 Apparet igitur, moueri candelabrum de loco suo, non esse aliud hoc loco secundùm Rupertum, nisi remoueri à Sacerdotali, vel Episcopali munere & regimine Ecclesiæ, idque ad aliud transferri. Atque hæc interpretatio, vt est multorum communis, eam namque sequuntur Richardus, Haymo, Thomas Anglicus, Carthusianus, ita est admodum probabilis: nec ab ea Lyrani discrepat interpretatio; *Mouebo*, ait ille, *candelabrum tuum*, id est, obedientiæ tuæ subtraham subditos tuos. Sed sciendum est, secundum hanc interpretationem, aliter hic sumi nomen Candelabri quam supra in fine primi Capitis, vbi dictum est, *Septem candelabra, septem Ecclesiæ sunt.* hic vero nomen Candelabri non Ecclesiam significat, sed Ecclesiæ Præsulem, vel Præsulis munus & potestatem regendi Ecclesiam. Interdum porrò nomen Candelabri in Scriptura poni ad significandum virum insigni doctrina, & virtute lucentem alijs, satis ostendunt duo Scripturæ loci; alter Apocalypsis 11. vbi Enoch & Elias vocantur duo candelabra in conspectu Dei, Alter locus est Matthæi 5. *Nemo*, inquit Dominus, *accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.*

Secūda & tertia interpretatio. Victorinus Martyr. Andreas Cæsariensis.

Secunda interpretatio est Victorini martyris; *Mouebo*, inquit, *candelabrum tuum*, id est, disperdam plebem tuam. Hoc ipsum expressius declarans Andreas, Ecclesia, inquit, loco moueri non incommodè dicitur, cum diuina gratia denudatur. Præsidio enim gratiæ destituta per nequitiæ Spiritus, & homines sceleratos, efficacia Dæmonum ordinata & administrata, in fœdos errorum atque vitiorum fluctus atque tempestates conijcitur. Sunt tamen qui per Candelabri motionē intelligant sedis Pontificiæ, quæ in Ephesina ciuitate quondam erat, in regiam ciuitatem translationem Sic Andreas qui duas his verbis cō plexus est istorum verborum interpretationes.

Quarta interpretatio. Ambrosius Beda.

Quarta iterpretatio est Ambrosij, & Bedæ, moueri cādelabrū Epi de loco suo, interpretātiū, eū priuari mercede, quę Pastori, & Rectori Ecclesiæ debet pro labore & cura, a Deo ei pmissa, & in tpe reddēda. 23

Ambrosius.

Ambrosius q̄stiunē ponit, Si per candelabrū designat Ecclesia Ephesina, cur propter peccatū Pastoris Ecclesia locū suū perdere debet, cū Scriptura dicat, Non morientur patres pro filijs, neq; filij pro patribus, sed vnusquisq; in peccato suo morietur; Sed sciendū est, per locū de quo mouet candelabrū, significari mercedē, quæ Pastori Ecclesiæ pro labore & cura pastorali debetur: vt istorum verborum sit hic sensus Nisi pœnitentiam egeris, pro eo

Ezech. 18.

quod

quod charitatem tuam primam reliquisti, & nisi ad prima opera tua redieris, vt quod ore prædicas, etiam opere impleas, mercedem quæ tibi pro pastorali cura debebatur, subtraham. Sic Ambrosius.

Primasius. 24 Primasius arbitratur quæ hoc loco dicta sunt de Præsule Ephesino partim in laudem, partim vituperationem atque reprehensionem, ea non in vnum aliquem hominem tantum dici, sed ad diuersos, qui erant in Ecclesia Ephesina, homines pertinere, vt eorum quibusdã conueniant quæ laudantur, alijs verò quæ vituperantur & reprehenduntur: Explanans enim Primasius verba illa. *Sed habeo aduersum te pauca, quia charitatem tuam primam reliquisti:* sic scribit; Absit vt eum increpet, quem antè laudabat sed prædictam retinens regulam, mixtos optimis pessimos peregrinantem habere docet Ecclesiam. Alius igitur est, qui dilectionem deseruit incheatam, & alius, qui propter nomen Dei etiam circa malos dicitur seruare patientiam. Vni dicitur, *Patientiam habes, & non defecisti:* alteri dicitur, *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam & opera prima fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo:* Candelabrum se moturum dicit, quem ad pęnitentiam agendam inuitat. Quod est Angelus, siue Præsul, id ipsum est hoc loco Candelabrum: cuius partem dicit mouendam de loco suo, non autem auferendum significans eum, qui licet de Ecclesia non præcidatur, donec ventilabro vltimi iudicij separetur; is tamen propriam salutem, & omne candelabri lumen amisit: Et licet varijs charismatibus honoratus videatur, sibi tamen mortuus esse cognoscitur: nam quod in eo viuit, alienum est, non proprium eius. Hæc Primasius.

SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. VERS. 4.

VALET satis ad illustrã- 25 *Ambrosius Gen 2.*
dum hunc locum, quod in explanatione eius scriptam Ambrosius reliquit his verbis: Duo ligna erant in medio Paradisi, quorum vnum, lignum vitæ, alterum verò lignum scientiæ boni & mali vocabatur. Quorum virtus talis erat, vt si quis ex ligno vitæ comedisset, nõ moreretur in æternum: si quis autem ex ligno scientię boni & mali edisset, quamuis esset immortalis, mortalis tamen statim fiebat. *Quid significet hoc loco lignum vitæ.* Paradisus igitur Ecclesiam significat: Lignum ait vitæ in medio Paradisi Christus est in medio Ecclesiæ suæ: Lignum verò scientiæ boni & mali, q̃ ipsum et in medio Paradisi fuisse dicitur, Diabolum significat, qui inter fideles discurrere non cessat, vt quoscunque possit decipiat, *Circuit enim,* vt B. Petrus dixit, *tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret.* *1. Pet. 5.* Lignum igitur vitæ ad Electos pertinet, cuius fructum comedentes, viuunt Domino in æternum. Fructus verò ligni scientiæ boni & mali comedunt Reprobi, & moriũtur: quia fallacibus Diaboli suggestionibus, & falsa vitiorum atque voluptatum dulcedine pascuntur, vnde sibi æternam acquirunt damnationem. Et sicut primæ *Gen. 3.* mulieri delectabiliores fuerunt fructus ligni scientiæ boni & mali, q̃ fructus ligni vitæ: ita reprobis

delectabilior est gloria huius sæculi, quam oculis corporeis vident, quàm gloria cœlestis patriæ, quæ nisi oculis spiritualibus videri non potest. Dicitur ergo in hoc loco, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Ille vincit, qui vsque ad finem vitæ suæ in bonis operib' perseuerat. Christus enim præcepta sua vsque ad finem vitæ seruantibus immortalitatis suæ gloriam in cœlesti beatitudine secum ipsos habere concedet, vt cum ipso viuant in æternum, cuius præcepta in hoc sæculo positi seruare studuerunt, atque in finem perseuerarunt. Quòd autem in hoc loco Christus Patrem suum vocat Deũ suum, id ad Humanitatem eius pertinet.

26 Rupertus porrò, quia proximè dictum ante fuerat, *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac:* istud quod hic dicitur, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ,* interpretatur de victoria, quã quis agit de peccatis suis præteritis, dignam de illis pœnitentiam agens, & prima opera sua bona denuo faciens, & ad pristinum charitatis suæ feruorem rediens. Ruperti verba sunt hæc, *Rupertus.* Vincere, in hoc loco est corripienti acquiescere, & agere pœnitentiam, & prima opera bona facere. Primis autem hominibus, *Genes.3.* quia corripienti ipsos Deo non acquieuerunt, immò peccatum suum superba defensione excusantes magis auxerunt, lignum vitæ interclusum est, & ipsi de Paradiso eiecti sunt, & custodia Paradiso apposita, ne ipsum possent ingredi, & de ligno vitæ comedere. Quod igitur primo homini pœnitentiam non agenti interclusum est, pulchrè nunc repromittitur ei qui pœnitentiam egerit, vt edat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Sed nunquid vt resurgamus, & viuamus in æternum, de illo materiali ligno vitæ nobis edendum est? *Ioan.6.* Non vtique; sed *Qui manducat meam carnem,* ait Dominus, *& bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Verè namque Christus est lignum vitæ, cuius & in cœlesti Paradiso beatifica visione, & in præsenti Ecclesia Sacramentali corporis & sanguinis perceptione sanctę reficiuntur animæ. Illud autem materiale lignum vitę hominem morte animæ, id est, peccato mortuum, non viuificabat, sed carnem viuere fecisset in æternum: quod profectò esset infęlicissimum: Mortuus quippe homo in anima, si carne viueret in æternum, non recuperaretur in æternum, & esset æternaliter miser, vt sunt Dęmones. Hoc autem lignum vitæ, quod est Christus, dum corpore & sanguine suo nos reficit, & iam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnem nostram in nouissimo die resuscitabit. Sæpè autem is qui non vincit, id est, non egit pœnitentiam de peccatis quæ fecit, edit de ligno vitæ, manducans corpus, & bibens sanguinem Domini: Sed Christus illi non dat, verùm ipse sibi rapit; & ideò in mortem sibi manducat & bibit. *1.Cor.11.* Hæc Rupertus.

27 *Animaduersio in Rupertum.* Etenim hęc Ruperti interpretatio, illud, *Vincenti,* interpretantis solùm de agentibus pœnitentiam, non videtur probabilis: Nam & illud, *Vincenti* precisè & absolute positum, omnes victores sanctos, quocumque modo vincant, amplectitur: & paulò ante Dominus, non solum de agenda pœnitentia locutus est, verùm etiam de patientia in aduersitatibus & tribulationibus, & de non tolerandis Pseudapostolis, & prosequendis odio Hæreticis, pręcipuè autem Nicolaitis. Probabilius itaque dictũ fuerit, illud, *Vincenti,* comprehendere omnem Sanctorum victoriam, *Quatuor genera Victoriarum in Sanctis.* & quam Martyres cõtra Paganos pro fide Christi per acerbissimos cruciatus perque mortem ipsam adepti sunt; & quam

quam consecuti sunt sancti Pastores, & Doctores, Rectoresq; Catholicæ Ecclesiæ, fortiter obsistēdo Hæreticis, eorumq; falsa dogmata & errores profligando, & gregem suū vigilanter custodiendo, prudenter ac iustè gubernando, & spiritualibus alimentis pascendo & nutriendo: Et victoriam, quam religiosi viri compararunt de Mundo, Carne, Diabolo, & de seipsis, abdicando se bonis huius Mundi, & arctissimis Obedientię, paupertatis, & castitatis vinculis Deo se obstringentes: Quin etiam & victoriam, quam reportant peccatores de suis peccatis, dignam de illis pœnitentiam, dignosq; fructus facientes, vt suo ipsi lapsu cautiores & humiliores fiat, & ad seruiendum Deo alacriores in posterū & ardentiores existant.

Quibus Victoribus detur merces cœlestis.

28 Dominus igitur istis verbis, *Dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*: significare voluit mercedem à se promissam, & reddendam ijs, qui vel contra Paganos, & Hæreticos pro Catholica fide, vel contra pessimos Christianorum hominum mores & flagitia, qui nō solùm peccant ipsi, verùm sua etiam in alios infundunt vitia; vel contra graues Diaboli, Carnis, & Mundi tentationes fortiter dimicando victores extiterunt. Ea verò merces per quandam analogiam & similitudinem vocatur lignum vitę in Paradiso existens: Vbi duplex est similitudo; vna quidem cęlestis Patrię, in qua merces ista redditur Sanctis post hanc vitam, cum Paradiso terrestri; quē Deus fecit in principio Mundi. Altera similitudo est ipsius mercedis, id est, æternæ fęlicitatis, cum fructu ligni vitæ: illa enim & animę & corpori perfectam impassibilitatem atq; immortalitatē præstabit; quam aliquo modo præstitisset fructus ligni vitæ, si homo in statu innocentiæ permansisset.

29 Sciat porrò Lector, nomen Ligni vitæ præter primariam & propriā eius significationem, qua significat arborem in Paradiso terrestri positam, transferri per analogiam & similitudinem quandam ad alia quoque significanda. Nā in Libro Prouerbiorum Capite tertio, Dei sapiētia vocatur lignum vitæ; *Lignum*, inquit, *vitę est ijs, qui apprehenderint eā; & qui tenuerit eam, beatus*. Et Capite XI. quia vir iustus plurimum humanæ societati prodest, etiam de eo dicitur, *Fructus iusti, lignum vitæ*. Et Capite XV. lingua affabilis tollens dissensiones, iratosq; animos placans, dicitur lignum vitæ; *Lingua*, inquit, *placabilis, lignum vitæ*. Et Capite XI. adeptionem rei admodum desiderabilis appellat lignum vitæ; *Spes*, inquit, *quæ differtur, affligit animam: lignum vitę, desiderium veniens*. Et in vltimo Capite huius libri, cœlestis & æterna Sāctorum fęlicitas per similitudinem fructuum ligni vitæ describitur illis verbis, *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidū tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitę afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, ac folia ligni ad sanitatem Gentium*. Cùm autem hoc in loco nomen Paradisi, & nomen Ligni vitæ nō propriè, sed figuratè & per similitudinem quandam positum sit, non potest hinc quispiam argumētari, aut Paradisum illum terrestrem etiam nunc existere; qua de re copiosè nos disseruimus in Primo Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, in Libro tertio, & septimo; aut animas Sanctorum post mortem, ante diem Iudicij non admitti in cœlum ad videndā Dei faciem, sed ad Paradisum terrestrem deferri; atque inibi vsque ad extremi Iudicij diem detineri; de quo infrà dicturi sumus, cùm ad sextum Caput huius libri ventum fuerit.

Quintuplex significatio mystica ligni vitæ.

Loc.° Prou. cap. 3.

Nota hoc Lector.

* *

OCTAVA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 8. *Et Angelo Ecclesiæ Smyrnæ scribe, &c.*

30 Quæritur, quisnam fuerit iste Smyrnensis Episcopus, ad quem hæc scripta est Epistola. Petrus Aureolus putat fuisse Beatum Polycarpum, virum sanè apud Antiquos, tum eximia longissimæ vitæ sanctimonia, tum gloriosissima martyrij morte celebratissimum. Hoc ipsum tradit etiam Lyranus, & addit, istam esse communem Doctorum opinionem; quam ego tamen apud Explanatorũ libri huius (præter Aureolum) neminem legere memini. Equidem circa istam quæstionem quatuor esse video satis probata & confessa, vnum verò, vnde pendet maximè huius quæstionis explicatio, esse dubiũ atque incertum. Quæ videntur satis certa, nec in dubitationem vocanda, sunt huiusmodi: Vnum est Polycarpum fuisse auditorem & discipulũ Beati Ioannis Apostoli, & ab eo factum esse Smyrnensis Ecclesiæ Episcopũ. Alterum est, Beatum Polycarpum obijsse martyrium in anno Domini centesimo sexagesimonono, vt ex Eusebio colligi potest, & disertè docet Cardinalis Baronius in secundo Tomo Annalium in eo ipso anno Domini centesimo sexagesimo nono. Tertium est, Polycarpum conuersum esse ad CHRISTVM Anno Domini octogesimo tertio, & quindecim annis ante traditam Beato Ioanni Apocalypsim; eam nempe Ioannes accepit sub finem principatus Domitiani, id autem est, circa annum Domini nonagesimum octauum, vt supra ostendimus in nostris Prolegomenis. Quartum est, Polycarpum superstitem fuisse Beato Ioanni per annos sexaginta octo, ipse enim, vt dictum est, excessit anno Domini centesimo sexagesimonono, Beatus autem Ioannes mortem obijt anno Domini centesimo primo, vt supra dictum est.

Aureolus.

An iste Smyrnēsis Episcopus fuerit B. Polycarpus Lyranus.

Baronius.

Quòd autem Polycarpus factus 31
sit Christianus anno Domini octogesimo tertio, ex eo perspicuè intelligitur, quod ipsemet Polycarpus palam dixit Præsidi, à quo damnatus est, & eo ipso die, quo interfectus est, se Christo seruisse annis sex & octoginta: Nam Præsidi vehementer ipsum vrgēti, vt Christum abnegaret, atque in eum maledicta & conuitia diceret; respondens Polycarpus, Sex, inquit, & octoginta annis Christo iam inseruiui, & nullo me vnquam affecit incommodo: quo modo igitur in Regem meum, qui vsque adhuc me seruauit incolumem, contumeliosus esse possum? Si Polycarpus igitur in anno centesimo sexagesimo nono, quo mortuus est, exegerat in Christianismo & seruitute Christi octoginta sex annos; consequens est, ipsum esse factum Christianum in anno Domini octogesimotertio.

Quod porrò diximus circa hãc 32
quæstionem esse dubium & incertum, id est huiusmodi: Cùm Polycarpus factus sit Christianus quindecim annis ante traditam Beato Ioanni Apocalypsim, vt dudum diximus, & post traditam Apocalypsim, & reditum Beati Ioannis ab exilio, vixerit annis circiter septuaginta; obscurum est atque incompertum, vtrum factus sit Episcopus Smyrnensis ante Ioannis exilium, & scriptionem Apocalypsis, an post. Nam si ante factus est Episcopus, vera est sententia, ipsum

fuisse

fuisse Smyrnensem Episcopum, ad quem Beatus Ioannes scripsit hanc Epistolam. Sin autem post reditum Ioannis ab exilio factus est Episcopus Smyrnæ, falsa utique est ista opinio, Ioannes enim scripsit Epistolam hanc ad Episcopum Smyrnensem, qui tunc eam regebat Ecclesiā. Nisi quispiam fortasse dicere vellet, Ioannem spiritu prophetico scripsisse hanc Epistolam ad Polycarpum, non quidem tunc Episcopum Smyrnæ, sed postea futurum quod esset dilectissimus eius discipulus, & in functione Episcopatus & in mortis perpessione gloriosissimus esset futurus. Istam certè de Polycarpo, quam dixi, opinationē, valdè adiuuat, quod quæ scribit Ioannes hoc loco de magna persecutione & tribulatione futura in Ecclesia, & de odio & blasphemijs Iudæorum in Episcopum Smyrnensem, ea plane competunt in Ecclesiæ Smyrnensis persecutionem & tribulationem, factam tempore Polycarpi Episcopi eius Ecclesiæ, in qua persecutione & alij plures Martyres occisi sunt, & ipse interfectus est. Iudæos porrò fuisse Polycarpo & viuo, & mortuo infestissimos, licet intelligere ex Epistola, quæ a Smyrnensi Ecclesia scripta est ad Ecclesias Ponti, quam refert Eusebius libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ Capite XIIII. Ea verò Epistola scripta est ab ijs qui Polycarpum nouerant familiariter, & martyrij atq; mortis eius spectatores fuerant.

Eusebius.

†

NONA Disputatio.

Super illis verbis:

Et habebitis tribulationem diebus decem. VERS. 10

QVEMADMODVM intelligendus sit numerus iste dierum decē satis obscurū fecit multiplex istorum verborū interpretatio. Octo enim interpretationes ex libris huius Explanatoribus colligere licet, quas ego cursim hic percensebo, atque diiudicabo. 33

Octo Interpretationis quid sit habere tribulationem diebus decem.

Prima Interpretatio docet Numero istorum decem dierum significari omne tempus præsentis vitæ; quoad enim in hoc Mundo, & in hac mortali vita sumus, & obseruatione Decalogi obligamur: quasi dicatur, Nolite quærere in bello præsentis vitæ requiem, quandiu contra tegmenta inimici siue aperta siue occulta, decē præceptis tanquā milites armamini: Neq; enim gaudij locus est vbi vita hominis tota tentatio est. Hæc est interpretatio Primasij, Bedæ, Ruperti, Haymonis. etenim secundum istam interpretationem Beatus Ioannes ad Ecclesiam Smyrnensem nihil istis verbis scriberet nouum, nihil singulare, nihilque ad istam Ecclesiam proprie pertinens: præsentem enim vitam omnium piorum hominum expositam esse persecutionibus & afflictionibus, & res ipsa loquitur, idemque nos apertè docuit Apostolus, cum dixit, *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patientur.*

Prima Interpretatio Primasij, Beda, Haymonis. Ruperti.

Iob. 7.

2. ad Tim. 3.

Secunda interpretatio est Thomæ Anglici; verū quia auctor eius

Secūda Interpretatio.

Haymonis, & Thomæ Anglici.

fuisse videtur Haymo, referam hic eam proprijs eius verbis expositã. Potest hic denarius numerus, inquit Haymo aliter etiam intelligi: Liquet enim, tribus potissimum tẽtationibus primum hominem in Paradiso esse tentatum atque superatum, Auaritia, Vana Gloria, & Cupiditate. *Genes. 3.* His quoque tentationum modis Diabolum scimus tentasse secundum Adam, Christum Dominum nostrum, sed ab eo esse superatum. *Matth. 4.* Contra has principales tentationes Ecclesia perpetuò dimicat. Septenarius porrò numerus præsens tempus designat, quod septem diebus voluitur. Quia igitur trina ista tentatio in præsenti vita deesse non potest, ipsa verò pręsens vita per septem dierum curricula voluitur, rectè decem dierũ numero principalis Ecclesiæ tentatio exprimitur: hac enim trina tentatione septem diebus applicita denarius numerus adimpletur. Sensus igitur est, Quoad præsens vita finiatur, quæ per septem dies circumagitur, contra diuersas tentationes, quæ tamen in tribus maximè obtinent principatum, certamẽ habebitis. Sic Haymo. Sed in hanc interpretationem, quod in primã dixi, idem quoque dici potest; secundum prædictam expositionem, istud Beati Ioannis dictum non ꝓpriè ad Ecclesiam Smyrnensem, sed generaliter ad omnes Ecclesias & ad omnes iustos & pios viros pertinere. Et verò, vtramque supradictam interpretationem non litteralem sensum continere, sed mysticum, per se Lector intelliget. Tertia est Andreæ Cæsariensis Archiepiscopi, qui illud, *diebus decem*, positum existimat pro eo, quod est exiguo & breui tempore. Sed enim, decem dici pro paucis, locutio est inusitata in Sacris litteris: Quin potius contra res habet, frequens enim in Scriptura est, decem dici pro multis, & decies pro sæpe, vt nos paulo infra ostendemus.

Tertia Interpretatio. Andreas.

Quarta Interpretatio. Ioachimi Abbas.

Quarta interpretatio, quæ me- 35
moratur a Beda, Haymone, Lyrano, & compluribus alijs, & quæ solã Ioachimo placuisse videtur, est huiusmodi, Per decem dies significari decem generales Christianorum persecutiones, à Romanis Imperatoribus factas, à Nerone videlicet vsque ad Diocletianum. Verum hanc interpretationem illud satis infirmat, quod ex istis decem persecutionibus, iam duæ, quo tẽpore hæc Ioannes scripsit, præterierant: prima scilicet sub Nerone, & altera sub Domitiano; & octo duntaxat restabant: quare non dixisset Ioannes, *Habebitis tribulationem diebus decem*, sed dixisset, diebus octo. Quid, quod decem illæ persecutiones non proprie spectabant ad Smyrnensem Ecclesiam, sed in communi ad omnes Ecclesias, omnesque Christianos.

Quinta Interpretatio.

Quinta interpretatio comme- 36
moratur hæc à Lyrano; Quia numerus denarius perfectus est, & perfectionem denotat; ideò per tribulationem decem dierum, significari perfectam tribulationem id est, maximam, tam intensiuè, quam extensiuè, sicut loquimur in Scholis. Verum istiusmodi locutio valde impropria est, atque inuisitata in Sacris litteris. Sexta interpretatio, quæ Lyrano præ ceteris placet, est, vt in hoc loco dies positus sit pro anno, vt sensus sit, tribulationem illam Smyrnensis Ecclesiæ perseueraturam decem annis: Diẽ porrò vsurpari pro anno in Scriptura, ostendit vel vnus ille locus Ezechielis, vbi Deus hæc loquitur Ezechieli, *Assumes iniquitatem Iuda quadraginta diebus: diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*. Etenim non quia vno illo in loco Ezechielis nomẽ Diei positũ est ꝓ anno, licet in alijs Scripturæ locis etiã Diei nomẽ interpretari annũ, pręsertim autẽ cũ Dominus ipse aperte indicauerit, se diẽ dixisse ꝓ anno, cum ait,

Sexta Interpretatio Lyrani.

Ezech. 4.

Diem

Diem pro anno dedi tibi. Quòd autem hic etiam dies sit dictus pro anno, nec apertè indicatur, nec vllo modo significatur. Septima interpretatio est Ambrosij, quam Carthusianus assignat Beregando, qui Commẽtarios fecit in Apocalypsim minimè aspernabiles: Putant isti, cũ dicitur, tribulationem illam Smyrnensem fore decem diebus, hoc significari; licèt illa tribulatio futura esset diuturnior, eam tamen per decem dies fore acerbissimam & atrocissimam. Sed quia hoc sine vlla probabili ratione, & gratis tantùm dicitur, idcircò fidem non meretur.

Septima interpretatio Ambrosii.

35 Est octaua interpretatio, quam nos ceteris anteponimus, illud, *decem diebus*, dictum esse secundum phrasim Scripturæ non infrequentem pro multis diebus, siue multo tempore. Huiusmodi enim locutionis multa sunt & obuia in Sacris litteris exempla. In libro Genesis cap. 31. Iacob dixit queribundus socero suo Laban, *Immutasti mercedem meam decem vicibus*, id est, sæpenumerò. In libro Numerorum, cap. 14. *Iam per decem vices*, inquit, *tentasti me*, id est, sæpius. In libro 1. Regum cap. 1. dixit Annæ matri Samuelis vir eius; *Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* id est, quàm multi filij. Et Iob 19. *En decies*, inquit, *confunditis me*, id est, non semel, neque in vna tantùm re, sed sæpe, varijsque in rebus vultis me confundere. Et in libro Ecclesiastæ Capite septimo, *Sapientia*, inquit, *confortat virum super decem principes ciuitatis*, id est, Sapientia plus decoris atque præsidij viro tribuit, quàm ei multi & magni principes suis opibus atque honoribus largiri possint. Ergo similiter hoc loco dictum est, *Habebitis tribulationem diebus decem*, id est, non breuem, sed longam, & multo mansuram tempore.

Octaua interpretatio, quæ præ ceteris placet Auctori.

Decem pro multis sæpius vsurpatum in Scriptura.

DECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. VERS. 11

38 QVID sit hoc loco Mors secũda, duplex interpretatio est, quarum vna est Victorini, Andreæ, Bedæ, Ioachimi, Lyrani, qui mortem secundam interpretantur æternam hominis damnationẽ ad perpetua Inferni supplicia: & vocatur mors secunda, comparatione mortis corporalis, quæ illam antecedit. Valde adiuuat hanc interpretationem illa Domini sentẽtia, quam refert Matthæus capite decimo, *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hanc mortem secundam Scriptura declarare solet vocabulo Ignis æterni: Dominus etenim in extremo Iudicio pronuncians in peccatores æternæ mortis sententiam, dicturus est illis, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Hanc ego interpretationẽ longè verissimam esse censeo, maximèque loci huius germanam & propriam: Nempe, in hoc ipso libro Apocalypsis Mors secunda describitur per æternos Inferni cruciatus, sic enim est capite vigesimo, *Et Infernus & Mors missi sunt in stagnum ignis: hæc est Mors secunda. Et qui non est inuentus in libro Vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et in capite 21. *Timidis*, inquit, *& incredulis, & execratis, & fornicatoribus, et idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorũ erit in stagno ardẽte igne & sulphure, quod est mors secunda.*

Prima sent. Victorini, Andreæ, Bedæ, Lyrani, & Auctoris.

Quid sit mors secunda.

Locus Matthæi c. 10.

Matth. 25.

Haymo

Haymo.

39 Haymo hanc etiam interpretationem approbat, absque eo tamē, quòd æternam animæ damnationem vocari putat mortem secundam non respectu mortis corporalis, sed respectu mortis animæ, quæ fit per culpam & peccatū: sic enim scribit super hoc loco Apocalypsis, In Scriptura tres mortes sępe ponuntur; vna quidem peccati, altera carnis, tertia verò suppliciū ęternę damnationis, quę mors hic secunda, non tertia nominatur, quia de ijs tantùm agitur, quę nocent homini, vt est mors peccati, & mors æterni supplicij, ad quarum comparationem quę vulgo appellatur mors corporis, mors simpliciter dicenda non est: vnde & Apostolus, secundùm mortem corporis mortuos, appellauit dormientes, scribens Thessalonicensibus, *Nolumus vos ignorare de dormientibus*. Et Dominus de Lazaro iam mortuo dixit Discipulis suis, *Lazarus amicus noster dormit*. Mors itaque prima quę lędit, peccatum est; huic quę succedit mors etiam lędēs, nulla est alia, nisi ęterna damnatio: ideóque prętermissa media quæ non lędit, id est, morte corporis, alia debuit vocari secunda, quæ post peccatum lædit. Ergo sensus illorum verborum est hic, *Qui vicerit*, tentamenta videlicet Diaboli, & incentiua carnis suæ, *non lædetur à morte secunda*, id est, Qui mortem peccati in hoc tempore animas neçantem superauerit, ad læsionem secundæ mortis, quæ post præsentem vitam, & corpora & animas sine fine cruciat, non perueniet: hæc est illa mors, quæ semper occidit, & nunquam prorsus extinguitur. Sic Heymo.

Tres mortes hominis secundum Scripturā.

1. ad Thess. 4.

Ioan. 11.

Secūda sententia Ruperti & Alberti Magni.

40 Altera est interpretatio Ruperti & Alberti Magni, qui arbitrantur mortem secundam appellari hoc loco ipsum peccatum: Sicut enim per mortem corporalem separatur anima à corpore, ita per peccatum mortale anima separatur à Deo in sacris Scripturis peccatum mors appellatur animæ, gratia verò vita eius, quò spectat illud Pauli: *Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo*. Magnam porrò similitudinem, quæ est inter peccatum, & mortem corporalem, pulchrè ostendit Albertus Magnus in hunc modum scribens, Peccatum rectè nominatur mors ad similitudinem mortis corporalis: Sicut enim mors corporalis separat animam à corpore, à diuitijs, ab amicis, & ab omni vsu sensuum; ita peccatum separat mentem à Deo, ab Angelis & Sanctis, & diuitijs Spiritualibus, & à spiritualibus sensibus; habet enim Spiritus hominis iusti & sancti, etiā sensus omnes, proportione quadā respondētes sensibus corporalibus. In eo quoque cernitur magna similitudo mortis spiritualis cum morte corporali, eius namque qui moriturus est, primò, corpus distemperatur; deinde infirmatur; tum moritur; postea effertur ad sepulchrum; adhæc sepelitur: post hæc lapide operitur; ad extremum, à vermibus consumitur. Sic anima, cui ex peccato mors accidit, primò, distemperatur per inordinatas affectiones; infirmatur, per noxiam delectationem; moritur, per assensum praui operis; effertur, cùm interior consensus exit in praui operis effectionem; sepelitur, per consuetudinem malè agendi; lapide operitur, per obdurationem mentis in malo; & vermibus atque igni bus gehennæ in fine consumitur sine fine. Sic Albertus.

ad Rom. 6.

Similitudo peccati cū morte corporali ex Alberto.

Rupertus ponit hanc dubitationem, Si mors animæ ex peccato, prior est quàm mors corporalis, vt patet in Adamo, & in omnibus ferè hominibus, qui prius peccant, quàm moriantur corporaliter, deberet profectò mors animæ ex peccato, vocari mors prima; & mors corporalis dici mors secunda: cùm tamen hoc loco mors quæ accidit ex peccato, vocetur mors secunda. 14

Rupertus.

Respon-

Respondet Rupertus, mortem ex peccato dici secundam non ordine temporis, vel causalitatis, sed quantùm ad notitiam & experimentum hominum: Adam enim tunc verè agnouit se per peccatum in anima fuisse mortuum, cùm sensit obnoxium se morti corporali, & corpus suum resolui, & ad interitum redigi; quod Deus præminatus ei fuerat, tanquam pœnam peccati sui. Ita Rupertus, Cuius vera quidem est sententia, sed parum congrua & apta huic loco: hic enim per mortem secundam non intelligitur peccatū, sed hominis post hanc vitam damnatio ad æterna inferni supplicia, vt supra dictum est.

Gen. 2. & 3

VNDECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 12

Et Angelo Pergami scribe, &c.

De Sanctis Martyribus, Carpo, & Antipa.

42 HÆc est tertia Epistola, quam B. Ioannes scribere iussus est ad Episcopum Pergamensis Ecclesiæ, quem Aureolus & Lyranus existimant fuisse B. Carpum, qui regebat eo tempore illam Ecclesiam, atque inibi posteà martyr factus est; & hoc aiunt isti ab Eusebio tradi in libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. Verùm non ita est, vt dicunt isti: ait quidem Eusebius eo loco, Carpum Pergami martyrem esse factum, sed fuisse eum Pergami Episcopum non ait. Immò verò Romanum Martyrologium in decimotertio die Aprilis, in quo signat obitum Carpi, apertè dicit fuisse eum Thyatirensem Episcopum, non autem Pergamensem, quamuis Pergami martyr sit factus.

An iste Episcopus fuerit Beatus Carpus, qui occisus est Pergami. Aureolus. Lyranus.

Dicendum etiam nonnihil est de 43 glorioso Christi martyre Antipa, cuius fit mentio in hac ipsa Epistola in versu 13. illis verbis: *In diebus illis Antipas testis meus fidelis* (supplendum est) extitit (vt monet Ambrosius) *qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat.* Ex quibus verbis satis apparet, clarissimum fuisse hunc Martyrem, vt quem in tanta aliorum martyrum multitudine, & solum nominare, & tam præclaro laudis testimonio commendare Deus voluerit. Andreas Cæsariensis hęc de eo scribit, Quidam, Antipas nomine, fortissimus & constantissimus Christi martyr fuit, cuius ego martyrium olim legi. Fit autem hic peculiaris eius Martyris mentio, tum quò fidelium Pergamensium in confessione nominis Christi virtus & constantia nota fiat omnibus: tum etiam quò persecutorum, qui eadem in ciuitate versabantur, immanem crudelitatem aduersus fideles ob oculos nobis ponat. Simeō Metaphrastes, qui de eius martyrio scripsit, ad extremam peruenisse cum senectutem ait; & cùm res Christiana ob sæuissimam Domitiani persecutionem magno esset in discrimine, sæpiùs intrepidè in publicum prodijsse, & captum, inter atroces crudelium tortorum minas interritum doctrinam et laudes Christi liberrimè constanterq; prædicasse: fuisse quoque magno Dęmonibus terrori, fateri coactis se ab illo fugari, & sacrificijs suis priuari. A Præfecto vrbis captus, tractusque ad Dianæ templum, & in bouem æneum multo igne candentem coniectus, vitam in gratiarum actione, precibusque finiuit. Locus autem martyrij eius, in hodiernum vsque diem, miraculis claret, plurimorum ibi per inuocationem nominis eius & reliquiarum venera-

Antipas martyr.

Andreas.

Metaphra.

venerationem, morborum curatione facta. Hæc summatim ex Metaphraste delibata hic ponere libuit.

Onuphrius 44 Onuphrius in suo Chronico Ecclesiastico facit Antipam martyrem in principatu Vespasiani; at *Baronius.* Cardinalis Baronius in Primo Tomo Annalium in anno Domini nonagesimo tertio putat eum obijsse martyrium sub Domitiano, circa decimum Imperij eius annum, quo concitata ab illo est contra Christianos persecutio: Et hoc similius vero fit, idque significatur his verbis, *In diebus illis Antipas occisus est apud vos*, in eo videlicet tempore, quo atrox Domitiani persecutio in Christianos sæuiebat, tum alibi, tum maximè in Asia, in qua Antipas cum alijs plurimis occisus est, & Ioannes ipse captus in Asia, ductusque Romam, in feruens oleum demissus est, indeque relegatus in exilium. Beati Antipæ natalem diem in vndecimo die Aprilis notant Martyrologia. Videat Lector Romanum Martyrologium, & doctas in ipsum Illustrissimi Baronij notas.

DVODECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 17 *Vincenti dabo manna absconditum.*

Quid sit manna absconditum. 45 Ponam breuiter celebriorum libri huius Explanatorum varias horum verborum Interpretationes. *Victorinus.* Victorinus, Manna, inquit, absconditum, immortalitas est. *Primasius.* Primasius ait, *Dabo ei manna absconditum*, id est, Panem inuisibilem, qui de cœlo descêdit, qui ideò factus est homo, vt panem Angelorum manducaret homo; cuius fuit figura illud in eremo manna, quod qui manducauerunt, ideò mortui à Domino perhibentur, quia increduli permanserunt. *Ioan. 6. Exod. 16. Psalm. 77.* Hoc autem absconditum & spiritale manna, immortalitatem fidelibus pollicetur: Nam qui etiam illo corporali manna spiritaliter pasci potuerunt, eadem valuerunt immortalitate potiri, vt Moses, Aaron, Iosue, & ceteri. Eundem enim illi cibum spiritalem, docente Apostolo, manducauerunt: *1. Cor. 10.* non enim obfuit manna visibile spiritaliter vtentibus cibo illo corporeo; sicut nec hominibus præsentis temporis proderit spiritale manna comedere, si illud indignè suscipiant, quia iudicium sibi manducant & bibunt. *1. Cor. 11.* *Andreas.* Andreas Cæsarensis, Manna, inquit, absconditum, est cœlestis vitæ panis, qui nostri causa de cœlo delapsus manducandum se nobis præbuit. Quin etiam æterna illa bona in cœlo reposita Sanctis, Manna appellantur; vt quæ de cœlo veniant, nec nisi in cęlo hominibus plenè contingant. *1. Cor. 2. Esa. 64.* Rectè autem dicitur Manna absconditum; Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec mens humana comprehendit, quæ, & quanta in futuro æuo præparata sunt iustis. *Ambrosius* Ambrosius, Legimus, ait, in Veteri Testamento, quòd populum Hebræum, quoad versatus est in deserto, *Exod. 16.* Dominus cœlesti cibo, qđ vocatum est Manna, pauit, vsquedũ veniret ad Terram promissionis. *Iosue 5.* Per Manna intelligi potest Dei Sapientia, quæ Christus est: ipse enim est Panis viuus, qui de cœlo descendit. *Ioan 6.* Hoc pane aluntur omnes electi in deserto, atque in itinere huius seculi positi, vsquedum venient ad Terram promissionis, id est, ad cœlestem beatitudinem, a Deo promissam diligentibus ipsum. Abscõditum autem ideò dicitur, quia Dei sapientia superbis absconditur, & humilibus reuelatur; sicut ipse dixit in Euangelio, *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abscondisti* *Matth. 11.*

scondisti

scondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Beda sic exponit: Qui carnis illecebras contempserit, iure dulcedine panis inuisibilis, qui de cœlo descendit, saturabitur. Istud mãna, inquit Haymo, quod hic promittitur fidelib⁹, nunc quidem accipitur per fidem, aliquando autem in veritate per speciem percipietur; & quod nunc manet absconditum, tunc erit illis manifestum. Qui itaque vicerit proprias cupiditates, & Dœmonum tẽtamenta, dabo illi manna absconditum, id est, post finitos huius vitę labores, beatam mei ipsius contemplationem atque visionem, vt nunc verè cum Psalmista dicere possit, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Manna etenim interpretatur, *Quid est hoc?* Nos autem non dicimus, Quid est hoc? nisi de re, quam anteà nunquam vidimus. Nostrum autem hoc diuinum manna nunc manet absconditum, iuxta illud quod ex Isaia dixit Apostolus, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Rupertus, Quid est, *Vincenti dabo manna absconditum?* Vincere est hic doctrinam Balaam, de qua dudum locutus fuerat, id est, fornicationes, primum in semetipso, per virtutẽ continentię destruere, deinde in alijs per virtutem sciẽtię profligare. Qui autem sic vicit, ille Sacramentum corporis & sanguinis Domini dignè accipit, & munditiam corporis atque cordis custodiens, panem verum, panem viuum, panem de cœlo missum, manna cum dulcedine mentis, & spirituali fructu percipit. Dicitur porrò manna absconditum, quia in hoc Sacramento aliud oculis cernitur, & aliud fide intelligitur. Ricardus Sancti Victoris sic interpretatur: Arcana Diuinitatis dicuntur manna propter suauitatem ac dulcedinem, qua Beati Deum videntes perfruuntur, iuxta illud, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* Vocatur autem absconditum, respectu pręsentis vitę, in qua Deum non vidit vnquam; &, vt Mosi dixit Deus, *Non videbit me homo, & viuet.* Sanctus Bernardus in Libro de Conuersione ad Cleros Capite 21. Manna absconditũ interpretatur inenarrabilem dulcedinem, quę à Sanctis, in rerum cœlestium contemplatione, cui toto vacant affectu, percipitur.

Beda. Haymo. Psalm. 16. Exod. 16. 1. Cor 2. Esa 64. Rupertus. Ricardus S. Victoris. Psalm. 35. Ioan. 1. Exod. 33. S. Bernar.

Ex supradictis aliorum Auctorum interpretationibus loci huius satis apparet, manna absconditum figuratè dictum esse dupliciter; Vel ipsum scilicet Dominum Iesum Christum, qui & fidelibus suis in pręsenti vita seipsum in Sacramento dat inuisibiliter gustandum & manducandum, & post hanc vitam in cœlo seipsum Beatis videndum clarè, & iucundè fruendum exhibet. Vel per manna absconditum significantur cœlestia bona, ęternęque fęlicitatis dulcedo, pro mercede laborum & benefactorum Sanctis promissa, & in cęlo reddenda; & hoc quidem posterius congruentius huic loco, & probabilius videtur. Describi enim videtur hoc loco ęterna fęlicitas, Sanctis promissa tanquam merces laborum, & bonorum operum, per tria mortalibus optatissima bona: Manna enim denotat inenarrabilem ęternę beatitudinis voluptatem & dulcedinem: Calculus candidus incomparabilem diuitiarum, id est, rerum pretiosarum copiam: Nomen autem nouum, inęstimabilem famæ & glorię claritatem. Et iuxta hoc est illud, quod dixit Dauid, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos;* & illud, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* 46

Sũma omnium interpretation͂u, & Auctoris sententia.

Locus Psalmi 35.

Sed cur istud Manna videatur absconditum? Sic profectò est, maxima quęque Dei bona & dona Sanctis viris data vel promissa, omnibus, nisi solis ipsis, ignota sũt, atque

Quæ Dei sũt, esse abscondita mortalib⁹, nisi quibus ab eo reuelata sunt.

atque adeò etiam incredibilia. Licet hoc cernere & in Christi doctrina, & in gratia, & in gloria: Et ad comprobandum hoc, atq; illustrandum valent complures, quæ in Sacris litteris leguntur, atque illustres sententiæ, cuiusmodi sunt illæ, *Verè tu es Deus absconditus.* *Ibi abscondita est fortitudo eius.* *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus.* *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* *Vita vestra, abscondita est cum Christo in Deo.* *Absconditus cordis homo.* *Qui in abscondito Iudæus est: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Cùm igitur omnia sanctorum hominum bona abscondita sint, & vt dixit Dauid, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, quid mirum est, ea bona ab illis, qui ea non habent, nec magnifieri, nec desiderari, nec cognosci?

Esa. 45. Habac. 3. Matth. 11. infrà 13. Ad Colos. 2. Ad Rom. 2. Psalm. 44.

DECIMATERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

Et dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.

Exponuntur variæ horum verborum interpretationes ab alijs traditæ.

Victorinus.

47 Victorinus pro calculo candido, legit gemmam albam; quam interpretatur adoptionem. hominis in filium Dei: Nouum autem nomen, est nomen Christiani, quo cultores Christi appellantur. Similia Victorino scribens Primasius, Calculus, inquit, candidus, est adoptio in filium Dei. Nam calculus, est gemma pretiosa, quæ ad morem illius margaritæ, quam negociator inueniens, venditis omnibus comparauit, intelligenda proponitur. Alia deniq; translatio, pro calculo candido, margaritam posuit. Sic ille. Quanto autem in pretio circa illa tempora Beati Ioannis essent margaritæ, copiosè diserteque ostendit Plinius libro 9. cap. 35. Vnde peti multa possunt, quibus similitudo illa Euangelica regni cœlorum cum margarita, luculentè declarari queat. Omissis porrò cæteris, illa tantùm Plinij verba hic adscribam: Dos, inquit, omnis margaritarum est in candore, magnitudine, orbe, læuore, ac pondere; haud promptis rebus, in tantum, vt nulli duo reperiantur indiscreti: vnde nomen Vnionum Romanæ imposuere deliciæ, nam id apud Græcos nõ est, nec apud Barbaros quidem inuẽtores eius, aliud est, quam margarita.

Primasius. Matth. 13. Plinius de præstantia margaritarum.

48 Beda sic interpretatur hunc locum: *Dabo illi calculum candidum*, id est, corpus in Baptismo candidatum, postea vero resurrectionis gloria refulgens. *Et in calculo nomen nouum scriptum*, vt filij Dei nominemur, & simus. *Quod nemo scit, nisi qui accipit*, quia, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*, non enim hypocrita gustat quàm suauis est Dominus. Eadem Bedæ scribit Rupertus, addes præterea, propterea dici nouum nomen; quia à nouo homine Christo, per sanguinem eius redemptis, & dignè in ipsum credentibus datur, sicut etiam Ioannes dixit, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius.* Vetus autem nomen ex veteri homine nobis hæreditarium erat, vt diceremur scilicet, & essemus natura filij iræ. Huius porrò nominis scientiam, nõ alienum extrinsecus documentum, sed proprium intrinsecus efficit experimentum.

Beda. 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 2. Psal. 33. Rupertus. Ioan. 1. Ad Ephes. 2.

mentum. Inflati & tumidi sciant, vt sibi scire videntur, quantum volunt, siue quãtum possunt; huius tamen nominis scientiam consequi non possunt: Scriptum enim est, *Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia illorum, & nescierunt Sacramenta Dei.*

Sap. 2.

Aretha.

49 Aretha, Calculum candidum interpretatur claritatem nominis, & famæ splendorem. Ait verò vsum esse Dominum similitudine calculi candidi, quòd illo in tempore vsus illius calculi esset notus ijs qui in theatris & stadijs certabant, cuius certaminis victoribus tradebatur. Nomen autem nouum, quod alijs dicitur esse ignotum, est id quod prædictum fuit ab Isaia illis verbis: *Et vocabunt eos Populus sanctus, redempti à Domino.* Et paulò infrà: *Et seruos suos vocabit nomine alio, In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo, Amen.* Haymo ait, istum calculum candidum esse lapidem pretiosum, qui a Latinis appellatur Carbunculus, eo quod in tenebris, tanquam carbo ignitus fulgeat: per hũc autem lapidem ipse Christus intelligitur, qui inter huius seculi tenebras refulsit, quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Eadem est Ansberti Interpretatio. Sed fallitur Haymo: nam pro calculo candido est hic Græcè ψῆφος, quæ vox apud Græcos non significat lapidem pretiosum appellatum à Latinis Carbunculum, is enim ἄνθραξ dicitur Græce, sed simpliciter calculum. Quanquam istam Haymonis interpretationem adiuuare videtur sententia Beati Hieronymi, quam, vt præsenti disputationi conuenientem, referam hoc loco.

Esa. 62. & 65.

An iste calculus cãdidus sit lapis pretiosus, qui vocatur carbunculus. Haymo. Ioan. 1. Ansbertus.

50 B. Hieronymus in Epistola centesima quadragesima tertia, quam scripsit ad Damasum Papam, explanans illa verba Isaiæ cap. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, &c.* vbi pro illa voce *calculus*, apud Septuaginta Græcè est ἄνθραξ, Latinè carbo, siue carbunculus; hæc, inquam, verba explanans Hieronymus, Calculum candidum, nominatum in hoc loco Apocalypsis, interpretatur diuinũ sermonem, qui est potentissimus, & prorsus insuperabilis: Hęc sunt Beati Hieronymi verba, in Hebræo pro carbone, quem posuerunt Septuaginta, legitur calculus, cæteris quoque Interpretibus super hoc consonantibus. Videtur autem mihi sermo diuinus calculi appellatione signari: Sicut enim calculus genus est lapidis durissimi & rotundi, & omni politate lęuissimi; ita sermo Dei, qui neque Hæreticorum, neque omnium aduersariorum potest contradictionibus cedere, calculus dicitur. De hoc calculo Sephora filium suum circumcidit, & Iosue populum purgat à vitijs, & in Apocalypsi Dominus vincentibus pollicetur calculum cãdidum, & in eo scriptum nomen. Videntur autem Septuaginta, transferentes in hoc loco ἄνθρακα, idem sensisse quod ceteri, ἄνθραξ quippe, quem nos carbunculum interpretamur, genus est lapidis fulgidi atque nitentis, quem etiam in duodecim lapidibus inuenimus. Siue igitur calculum, siue carbunculum lapidem accipimus, in calculo diuini sermonis veritas, & rigor, in carbunculo lucens doctrina & manifesta ostenditur: *Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne probatum terra, purgatum septuplum.* Et alibi: *Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos.* Hactenus ex B. Hieronymo.

S. Hieronymus.

Exod. 4.

Iosue 5.

Locus Psal. 11.

Psal. 18.

51 Ponam denique loci huius duas Ambrosij interpretationes, quarũ priorem tradit his verbis, Per calculum, qui lapis paruus est, & à calcando appellatus, Euangeliũ Christi possumus accipere. Sicut enim Antiqui istis modi calcu'orũ multitudinem sibi congregabant, ad partiendos & diuidendos numeros: ita Doctores Ecclesiæ, multa

Ambrosius.

verba

verba Euangelij congregant in cordibus suis, quorum obscuritates, & spirituales intelligentias, atque vtilitates, dum auditoribus suis aperiunt, quasi numeros suos diuidunt & partiuntur. Nomen verò nouum in calculo scriptum, est illud, à quo Ioannes exorsus est suum Euangelium, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Hoc autem nomē nemo scit, nisi qui accipit, quia æternitatem, & omnipotentiam, & diuinitatem Filij, & æqualitatem eius cum Patre, nemo scire potest, nisi cui tradita fuerit Euangelij doctrina. Altera horum verborum interpretatio, quam tradit Ambrosius, est huiusmodi; Potest, inquit, per calculum, nomenque in eo scriptum, beatitudo cęlestis patriæ designari: vt per calculum significetur cœlestis patria; per nomen autem in calculo scriptum, beatitudo cœlestis patriæ figuretur. Hoc igitur nomen nemo scit, nisi qui accipit: quia quanti sit illa cœlestis beatitudo, nemo scire valet, nisi qui ad cœlestem patriam peruenire meruit, sicut Isaias dixit, *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Hęc Ambrosius.

Ioan. 1.

Esa. 64. 1. Cor. 2.

DECIMAQVARTA Disputatio.

Super eisdem verbis:

Explicatur Auctoris sententia.

31 IVuat etiam me de isto Calculo candido, & Nomine nouo nonnihil hoc loco dicere. Ac nomine quidem Calculi candidi non significari hoc loco lapidem aliquem pretiosum, vel Margaritam, vt Primasius putauit, vel Carbunculum, vt Haymo dixit, satis manifestum est, vt suprà diximus, vel ex ipsa propria significatione vocis Græcæ, quæ hic ponitur. Calculorum autem apud Veteres sextuplex fuit vsus. Primus quidem & antiquissimus eorum fuit vsus ad computandum: huc enim spectat vetus illud peruulgatumque prouerbium (Ad calculos reuocare) dictum in eos, qui nimio plus subtilem exigūt computationem, exactamque nimis subducere rationem volunt. Alter calculorum vsus fuit in iudicijs, ad significandam absolutionem vel condemnationem: absolutio enim albo lapillo notabatur; atro autem, damnatio; Tertius calculorum vsus erat in Comitijs, & in ferendis suffragijs pro creatione magistratuum; nam cui fauebant & suffragabantur, eius nomine signatus calculus candidus dabatur. Quartus vsus fuit ad notandos dies lætos & faustos: nam quo die valdè lætum quippiam & prosperum eis contingebat, eum candido lapillo Veteres notare consueuerant. Cuius originem consuetudinis Plinius à Thracibus repetit in quarto capite libri septimi, hunc in modum scribens; Thraciæ gens calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in vrnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat. Quintus calculorum vsus, secundùm Aretham, fuit in theatris atque certaminibus, vbi calculus candidus victori tradebatur, tanquam symbolum & victoriæ ab eo partæ, & præmij, quod strenuè certando & vincendo promeritus fuerat. Sextum denique calculorum vsum Sixtus Senensis in libro secundo Bibliothecæ sanctæ in vocabulo (Calculus) commemorat, atq; hisce verbis declarat; Constat etiā, apud veteres Ethnicos, Victoriarum dies publicis Fastorū tabulis insculptos, consueuisse candido lapillo pnotari, quò clariùs à cęteris diebus

Sextuplex vsus calculorū apud Veteres.

Plinius.

Sixtus Senensis.

diebus discernerentur. Ad quem morem alludens Zoenzonius poeta Christianus, triumphalem Saluatoris nostri diem celebrans, inter alia sic ait.

» *Hunc signa niueo quotannis*
Musa lapillo.

Atque hæc de multiplici calculorum candidorum apud Veteres vsu cursim dicta sint.

53 Non est dubium, quin Dominus hoc loco nominans calculum candidum, Victoribus à se dandum, voluerit nos animum & cogitationem referre ad supradictos calculorum vsus, illo Beati Ioannis tempore satis frequentes; atque omnibus notos: Cum istis enim, præsertim verò cum secundo, & quarto, & quinto, atque sexto calculorum vsu pulchram habet ceu analogiã & similitudinem quandam æterna beatitudo, quæ post mortem datur a Deo Sanctis, Mundi, & Carnis, atque Diaboli victoribus. Exempli causa, Secundus calculorum vsus supra expositus apte potest applicari ad illud extremum & generale iudicium, in quo Christus Dominus iudex omnium, lætissimam in Sanctos, tanquam absolutionis sententiam pronuntiabit, declarans eos verè iustos & benedictos, à Deo Patre suo, & dignos accipere regnum æternum. Quintus etiam calculorum vsus belle quadrat ad cęlestem Sanctorum felicitatem: hæc enim vocatur in Sacris litteris Corona iustitiæ, quæ redditur strenuè in hac vita certantibus atque vincentibus, de qua scilicet Apostolus dixit, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* De sexto autem calculorum vsu itidẽ dici potest. Nec verò cum quarto calculorum vsu non habet similitudinem cęlestis Sanctorum felicitas; post mortem enim Sanctorum victoriæ ac triumphi in cęlis celebrantur in die illo æternitatis felicissimo, in quo Sancti omnibus cumulati bonis, beati sempiterno ęuo perfruuntur.

Quomodo æterna beatitudo similitudinem, habeat cũ supradictis calculorũ vsibus.

2. ad Tim. 4.

Nomen porrò nouum interpretor, & dici, & esse filium Dei, &, quod est necessario consequens, hæredem bonorum Dei, in quo est complexio bonorum omnium, & summa felicitatis humanæ. De hoc nomine dixit Beatus Ioannes, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & alio loco, quasi admirabundus, simulque exultabundus dixit, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Charissime, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est* Quemadmodum autem virtutem & præstantiam huius nominis, atque adeò bonorum cęlestium, etiam doctissimus Theologus non cognoscat, licet de eis acute, docteque disserat; alius vero Theologiæ ignarus, ea bene cognoscat & suauiter degustet, declarari potest similitudine Solis, quem qui nunquam vidit, neque pulchritudinem eius, neque voluptatem & gaudium, quod ex eius aspectu lucis capitur, æstimare potest. Vera etenim illa est Philosophorum sententia, Deficiente sensu alicuius proprij sensibilis, necesse est, scientiam quoque illius sensibilis deficere. 54

Quid sit nomen nouũ.

Ioan. 1.

Locus 1. Ioa cap. 3.

Sed Ambrosius ad hoc ipsum 55 declarandum atque comprobandum, aptissimam atque pulcherrimam affert similitudinem. Declarans enim verba illa huius loci, *Quod nemo scit, nisi qui accipit*, hoc modo scribit: Sed dicet aliquis, Quomodo litteratus quispiam, & in diuinis Scripturis eruditus, mysterium nominis Christi nescit, si diligat seculum, & voluptuosè viuat? Huic ego duorum hominum mel multum possidentium similitudinem opponam: ex quibus vnus mel edere solitus erat;

Ambrosius clara simili tudo.

alter verò ab eius esu quadam de causa, omnibus modis abstinebat: vter istorum duorum videtur tibi mellis saporem melius cognouisse? Vtique respondebis mihi, quòd is qui mellis dulcedine perfrui solitus erat; & tamen, si vtrosque interrogasses de melle, cuius esset saporis, vterque dulcissimum esse, sine dubitatione vlla responderet. Sed posterior diceret, quod ab alijs audierat; prior autem ille, quod expertus ipse fuerat: illius lingua loqueretur, quod fauces ignorabant; huius autem, quod delectatio gustus eum docuerat. Ille igitur, qui mel non ad comedendum, sed ad emolumenta sua exaggeranda possidebat, eos homines significat, qui ex scientia diuinarum Scripturarum gloriam temporalem, plusquam æternam capessunt: Ille verò, qui mel possidebat, vt eius dulcedine frueretur assiduè, eos significat, qui mandata Dei non pro gloria temporali, sed pro Dei amore discere student, vt per eorum operationem ad gloriã æternam peruenire mereantur. Illis itaque mandata Dei, quamuis prædicentur, dulcia non sunt, quia nõ dulcedinem cœlestis patriæ, sed dulcedinem terrenam, quæ generat amaritudinem, diligunt; his verò mandata Dei spes cœlestis patriæ, dulcia facit; sicut Propheta dixit, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua; super mel ori meo*. Illi ergo soli sciunt nomen Dei qui custodiunt mandata Dei: qui verò sęculum diligunt, & vitijs seipsos mancipant, & desideria carnis suæ perficiunt; hi nesciunt nomen Dei, quia timorem & amorem eius à mentibus suis abijciunt. Hactenus ex Ambrosio.

Locus Psal. mi 118.

DECIMAQVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe.

VERS. 18.

HÆC est quarta 56 Epistola, quam B. Ioannes scripsit ad Episcopum Thyatirensis Ecclesiæ. Duplex autẽ se offert nobis sup verbis supradictis quæstio: altera, num Ecclesia Thyatirensis in tempore B. Ioannis iam esset fundata; altera verò est, An Episcopus istius Ecclesiæ, ad quem Ioannes scripsit hanc Epistolam, fuerit B. Irenæus & martyr, & Episcopus Lugdunensis. Fuisse quosdam, à quibus liber Apocalypsis repudiaretur, non modo tanquam Scriptura minime canonica & diuina, sed etiam tanquã falsa & mendax, videre licet apud Epiphanium, vbi disputat contra Hæresim quinquagesimam primã: Aiebant n. illi, nullam fuisse Thyatirensem Ecclesiam tempore Beati Ioãnis, sed multò post obitum eius fuisse constitutam. Quam calumniã discutiens Epiphanius, fatetur, tẽpore B. Ioannis nondũ fuisse Thyatirensem Ecclesiam, sed Ioannem prophetico spiritu præuidisse, eam multis post annis futuram, & deceptum iri à prophetissis Cataphrygarum, Montani sectatricibus, Priscillam dico, & Maximillam, & Quintillam, quas hoc loco B. Ioannes designauit nomine Iezabelis; seruos Christi seducentis. Tradit autem Epiphanius, Ecclesiam Thyatirensem ab erroribus Cataphrygarum suo tempore fuisse repurgatam.

An tẽpore B. Ioannis fuerit Ecclesia Tyatirẽsis.

Epiphani⁹.

Sed

57 Sed ego ęgrè admodum Epiphanio assentior: Non enim fit mihi verisimile, cùm Beatus Ioannes in hac Epistola Thyatirensem Episcopum alloquatur, partim laudans eũ de ijs, quæ antea egerat, & túc agebat; partim vituperans & incusans de ijs, quæ in Ecclesia sua fieri patiebatur; non, inquam, fit mihi verisimile, Ioannem scripsisse hæc nõ ad Episcopum, qui túc viuebat, sed ad eum, qui longo pòst tempore victurus, & Thyatireſem Ecclesiam, multo post tempore fundandam, gubernaturus erat. Libentiùs igitur negauerim, Ecclesiam Thyatirensem nullam tempore B. Ioannis fuisse: nullum enim ad id probandum affertur argumentum. Et fieri potest, vt tempore Beati Ioannis fuerit Ecclesia Thyatirensis, sed post eius obitum, vel ob graues & diuturnas persecutiones, vel alias ob causas, dissipata & inde sublata fuerit, posteà verò ibidem sit reparata & instaurata, & Cataphrygarum erroribus infecta, & ab ijs Epiphanij tempore mundata sit.

An Episcopus iste Thyatirensis fuerit B. Irenæus Aureolus.

58 Altera quæstio est, Quis fuerit Episcopus ille Thyatirensis ad quẽ Ioannes hanc scripsit Epistolam. Aureolus fuisse ait Beatum Irenæum & martyrem, & posteà Episcopum Lugdunensem factum. Aureoli verba sunt hęc: Sciendum est, istum Episcopum Thyatirensem fuisse Irenæum, qui fuit egregius Polycarpi discipulus, & præ cæteris excellentioris doctrinæ. Sicut enim Polycarpus excessit omnes discipulos Beati Ioannis; ita omnes Polycarpi discipulos excessit Irenæus. Fuit autem Irenæus primò Episcopus Thyatirensis; deinde incensus publicandæ Fidei zelo, per multas regiones discurrens, & docens, & ad Gallias vsque discurrẽs, Lugduni Archiepiscopus resedit, & sedem illam fundauit, plurimosque libros scripsit, sicut videre licet in libro 4 & 5. & 6. Historiæ Ecclesiasticæ. Hic martyrium obiuit Lugduni, sub Imperatore Seuero, in quinta persecutione, quæ ab eo contra Christianos exercita est. Ac licèt Irenæus non fuerit contemporaneus Beati Ioannis; in Spiritu tamen prophetico Ioannes de ipso & cum ipso loquitur, tanquam túc viuente, quod omnibus futuris Thyatirensis Ecclesię Episcopis excellentior futurus esset. Hæc Aureolus.

Aureolus refellitur.

59 Sed ista Aureoli sententia nullam veri habet similitudinem. Principiò fuisse Irenæum in Asia, & auditorem ac discipulum Polycarpi, & tradit Eusebius, & ipse ait: Fuisse autem eum Thyatirensem Episcopum, à nullo est vnquam, nisi ab Aureolo proditum, nec vllum in Ecclesiasticis historijs istius rei extat vestigium. Deinde, Beatus Ioannes Apocalypsim scripsit circa annum Domini nonagesimum octauum, vt suprà ostensum est: Irenæus verò martyrio coronatus est circa ducentesimum quartum Christi annum: id autem est, septẽ & centum annis post Apocalypsim à Ioanne scriptam. Dicere porro, Ioannem scripsisse ad eum, non tunc viuentem, sed vno pòst futurum sęculo, qui potest credere, credat. Adijce, quod non est credibile, Irenæum, virum nempe sanctissimum, & Christianæ disciplinæ obseruantissimum, ea fieri passurum fuisse in Ecclesia sua, de quibus acriter Episcopum illum Thyatirensem Ioannes accusat. Lyranus quoque super hoc loco Apocalypsis istam de Irenæo Aureoli, tacito tamen eius nomine, opinationem confutat.

†

DECIMASEXTA Disputatio.

Super eisdem verbis:

VERS. 20 *Permittis mulierem Iezabel, quæ se propheten dicit, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.*

60 Iezabelis, quæ vxor fuit Achab Regis Israel, nota est historia ex tertio & quarto libro Regum. Cuius mulieris maximè fuit detestanda improbitas atque impietas: Non solùm enim cultrix ipsa fuit Idolorum, sed eorum cultum inducere in populum Dei quoquo modo conata est. Deinde atrocissimo insectata est odio veros Dei Prophetas, præsertim autem Eliam, obnixè cupiens, illis de medio sublatis, & veri Dei religionem abolere, & suorum Deorum cultum firmare, atque propagare. Adhæc, virum innocentem Naboth, summa circumuentum iniquitate necari iussit; quo agrum eius marito suo potiendum traderet. (3. Reg. 21.)

Quanam fuerit ista quã Ioannes vocauit hic Iezabelem. Sed quænam fuit illa mulier in Ecclesia Thyatirensis, quam Ioannes hoc loco Iezabelis nomine insigniuit? Variant Explanatorum sententiæ. Quidam dixerunt, eam fuisse illius Episcopi Thyatirensis vxorem. *Albertus.* Albertus quidem certè tradit in quibusdam libris hunc locum sic legi: *Permittis vxorem tuam Iezabel, &c.* Sed istius rei nulla est probatio, & Ioannes acriùs atque vehementiùs Episcopum illum reprehendisset. Alij putant, non vnam aliquam fuisse mulierem, sed vniuersam Pseudapostolorum sectam. Nonnulli arbitrantur, istis verbis propriè significari sectam & hæresim Nicolaitarum, quam Interpretationem sequitur Andreas: *Andreas Cæsariẽsis.* Nicolaitarum, inquit ille, hæresis propter impiam impuramque lasciuiam, per tropum, hoc loco Iezabel appellatur. Pro hac interpretatione facit, quòd, quæ hoc loco illi Iezabeli tribuuntur, de fornicatione, & Idolothytorũ esu, eadẽ ipsa Victorinus attribuit Nicolaitis. Nicolaitæ, ait Victorinus, erãt illo tpe homines ficti & pestiferi, qui sub noĩe Nicolai fecerunt sibi hæresim, vt delibatũ exorcizaretur, & sic manducari posset: & quicumq; fornicatus esset, octauo post die pacẽ acciperet.

Epiphanius contra Hæresim 61 quinquagesimam primam, & Aureolus hoc loco, referunt hoc ad hæresim Cataphrygarum, id est, ad Montanum, qui se iactabat Paracletum esse, & ad eius mulieres, Priscillam & Maximillam, quæ appellabantur Prophetissæ. Istæ malo agitatæ spiritu, in similitudinem vatum, tanquam à sensibus abstractæ, dicebant multa quasi prophetico afflatæ Spiritu, rectæ fidei, & Christianæ disciplinæ planè contraria. De istius Hæresis ortu & progressu legẽdus est Eusebius in quarto Historiæ Ecclesiasticæ, & Cardinalis Baronius in secundo Tomo Annalium in Anno Domini centesimo septuagesimotertio. etenim, duabus de causis non videtur Beatus Ioannes ista dixisse hoc loco, de Cataphrygarum hęresi; loquitur enim de hæresi quæ tunc vigebat: Cataphrygarum autẽ hæresis plus septuaginta annis post Ioannis obitum excitata est. Et verò, istius hęresis placitis minimè congruunt, quæ hic dixit Ioannes de fornicatione: illius enim sectatores hæresis, magnam simulabant castimoniam, prorsus adeò, vt etiam secundas nuptias, similiter vt fornicationem, esse fugiendas docerent. (*Epiphan. Aureolus.* *Eusebius. Baronius.*)

Auctoris sententia. Mihi procliuius creditu videtur, istam Iezabelem fuisse in ciuitate 62

ista Thyatirensi vnam quampiam mulierem, nobilitate, diuitijs, & potentia præpollentem: sed hæreticæ, vt creditur, Nicolaitarum doctrinę sectatricem, & acerrimam Catholicæ Fidei cultorum insectatricem & hostem. Hæc mulier simulabat propheticum Spiritum, vt, quæ dicebat, ea diuino afflata Spiritu dicere videretur, quò plures de rudioribus & ad vitia propensioribus decipere posset, persuadens eis, nec fornicari, nec Idolothyta comedere, nefas atq; illicitum esse. Quod nos diximus de ista muliere, idem sensit Ambrosius, hunc ipsum locum explanans: Hæc, inquit, mulier, quę Iezabeli impijssimæ cõparatũ, ideò se prophetem mendaciter affirmabat, quò faciliùs, sub Religionis nomine, falsam doctrinam in Dei populum introduceret, & sicut illa Iezabel, Dei populum à cultura veri Dei separare, & ad Idolorum venerationem traducere nitebatur; ita hæc mulier Thyatirensis veros Christianos à fide recta separare per prauam doctrinam conabatur: Fornicatur enim anima, quæcumque à Dei creatoris sui cultu recedit. Idolothytum autem vocat, quod Idolis erat immolatum: docebat enim mulier illa, nihil nocere Christianis, si Idolis carnes immolatas comederent. Hæc Ambrosius. Ex cuius verbis intelligere licet, ipsum per fornicationem hoc loco dictam, non carnalem, sed spiritualem, quæ fit per recessum a veri Dei cultu rectaque fide, intellexisse: sicut contrà, quæ hic vocantur Idolothyta, proprie accepisse. Idem quoque Beda & Rupertus de illa muliere Thyatirensi tradunt.

Ambrosius

Beda.

Rupertus. 63 Sed Rupertus benè ponderans verba illa, *Quia permisistis Iezabelem*: Quid, inquit, illum Episcopum volebat Deus agere, cui dicebat, *Quia permisistis, &c* Volebat nimirũ, vt ille Spiritum fortitudinis indueret, & zelo Domini spiritualiter illud faceret, quod Elias corporaliter fecit. Elias enim cùm redarguisset populum duas in partes claudicantem, & signis euidentibus effecisset, vt adorantes dicerent, *Dominus ipse est Deus*, comprehendere iussit prophetas, ita vt ne vnus quidem ex illis effugeret, eosque iuxta torrentẽ Cyson interfecit. Hoc vir sanctus, qualis erat Angelus ille Thyatirensis Ecclesiæ, sic debebat imitari, & facere, vt non sola salute sua contentus esset, quoniam Angelus erat, & secundùm hoc nomen, alijs qualiter soluentur, nunciare debebat: sed & gladium verbi Dei accipiens, redargueret populum, eò quòd claudicet, hinc communicans corpori & sanguini Christi, & inde iuxta doctrinam istius mulieris, fornicans, & Idolothyta manducans; cùm dicat Apostolus, *Non potestis participare mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum*. Istos ergo talia docentes teneat is, cui hæc scribuntur, tanquam prophetas Baal & Iezabelis, & gladio verbi Dei, quod est in ore eius, separet ab Ecclesia, damnatos proprio iudicio, ne quis eis communicet, neque simul cum illis cibum sumat, neque cuipiam illorum dicat Aue, neque in domum suam recipiat illum: sic enim spiritualiter aget illud, quod gladio corporali egit Elias, cùm prophetas Baal occidit. Hæc Rupertus.

Locus 3. Reg. 18.

1. ad Cor. 10.

1 ad Cor. 5.

64 Sed cur Beatus Ioannes perinde Idolothytorum esum reprehendit, quasi crimen esset grauissimum? cùm ea res per se mala non sit, quin etiam pro nihilo ducatur ab Apostolo: *De escis*, inquit, *quæ Idolis immolantur, scimus, quia nihil est Idolum in mundo*. An istud tam seuerè reprehensum est a Beato Ioanne, propter scandalum perueniens ad simplices & infirmos Christianos, qui ea ratione facile perducebãtur ad cultum Idolorum? aut comedebant illa idolothyta cõtra conscientiã? nam cùm persuasum haberent, esse peccatum vesci Idolothytis, nihilo-

Locus 1. ad Cor 8.

Cur Ioãnes tantopere esũ Idolothytorũ reprehẽderit.

nihilominus tamen vescebantur: de quibus Apostolus supradicto loco loquens, *Sed non in omnibus*, inquit, *est scientia. Quidam autem cum conscientia vsque nunc Idoli, quasi Idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cùm sit infirma, polluitur: Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolo recumbentem, non ne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum Idolothyta? Et peribit infirmus propter tuam conscientiam, frater, propter quem Christus mortuus est?* Idem super eadem rescribẽs ad Romanos, *Omnia, inquit, sunt munda. sed malum est homini, qui per offendiculum manducat*. An Beatus Ioannes reprehendit talem esum propter decretum & præceptum Apostolorum, factum in Concilio Ierosolymitano, de non edendis Idolothytis, quo Gentes omnes ad fidem Christi conuersas obligari voluerunt? Narrat hoc Lucas in Capite XV. Historiæ suæ Apostolicæ: quietiam refert, Paulum & Barnabam, varias peragrando regiones, huius præcepti Apostolici obseruationem commendasse omnibus Ecclesijs. Sed enim Aretha putat, nomen Idolothytorum hoc loco positum, non propriè, sed figuratè accipiendum esse. sic enim scribit, Per esum eorum, quæ immolata sunt Idolis, videtur alias quoque distiones connectere, quæ & ipsæ pios inuadebant, qui sanè tropus solet accidere: siquidem Nicolaitæ non proponebant edenda Idolothyta, sed alia tamen habebant, quæ vel cogitare, extremæ sit ac detestandæ fœditatis atque impietatis. Quæ autem illa sint, dictum frequenter à nobis est, a Beato Epiphanio demonstrari ea in suo Panario.

Rom. 14.

Act. 15.

Aretha.

DECIMASEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Vobis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ estis Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudinem Satanæ, quemadmodùm dicunt, non mittam super vos aliud pondus; tamen id quod habetis, tenete donec veniam. VERS. 24

Enarrantur variæ horum verborum interpretationes, ab auctoribus traditæ.

PRoximè antè locutus 65 est Dominus de Hæreticis seducentibus, & de seductis per illos: hæc autem verba loquitur Dominus ad simpliciores homines illius Ecclesię Thyatirensis in hanc sententiam: Quandoquidẽ, inquit, aduersùs homines adeò astutos & malignos, propter simplicitatẽ vestram pugnare nõ valetis, vtpote profundarũ Satanę fraudum, vt ipsi asseritis, ignarij; nõ exigã a vobis verborũ pugnam, sed fidam tantùm, rectæ fidei & doctrinæ, quam accepistis, custodiam: donec tandem vos istinc ad me assumpsero. Hæc est loci huius Andreæ Cæsariensis interpretatio. Andreas.

66 Ambrosij autem explanatio est huiusmodi: Quod istis verbis dicitur, id videtur mihi non ad doctrinam illius mulieris Iezabelis, sed ad falsos Apostolos pertinere, qui docebant Gentibus ad Christũ cõuersis necessariã esse carnalem circumcisionem, & obseruantiã legis Ambrosius.

Mosaicæ

Mosaicæ secundum litteram. Et quia post Euangelium datum, obseruantia veteris legis secundum litteram, nihil est aliud quam seruitus Diaboli; possumus per altitudinem Satanæ, ipsam legem carnaliter acceptam & obseruatam intelligere. Ergo istorum verborum huiusmodi est sententia: Vobis dico, qui in fide perstitistis; Quicumque non habent doctrinam hanc, id est, Qui non receperunt doctrinam illius pessimæ mulieris, & qui non cognouerunt altitudinem Satanæ, quemadmodum illi dicunt, id est, Qui legis Mosaicæ carnaliter intellectæ iugum non susceperunt, quemadmodum falsi Apostoli docent necessario esse suscipiendum; *Non mittam super vos aliud pondus.* Id est, Qui permansistis in fide, & falsos Apostolos non recepistis, non onerabo vos obseruantia Legis Mosaicæ, præter pauca illa quæ vobis Apostoli præceperunt, vt abstineatis vos a fornicatione, & à suffocato, & sanguine, & a comedendo ea, quæ Idolis sunt immolata. *Verumtamen id quod habetis, tenete, donec veniam.* Hoc perinde est, ac si diceret, Quia paruuli estis, & lac vobis est opus, non autem solidus cibus, fidem rectam, quam didicistis, tenete donec veniam, vt inspirationis meæ gratia ad altiora opera virtutum agenda vos prouocem & promoueam. Sic Ambrosius.

Act. 15.

67 Est & alia complurium Auctorum interpretatio huius loci, vt Primasij, Bedæ, Haymonis, Ioachimi, Ruperti, aliorumque; Hi altitudinem Satanæ hoc loco dictam interpretantur sublimitatem eius, qua & in cælo similis esse Altissimo concupiuit; & de cælo deiectus, in terris nihilominus eandem similitudinem Dei superbè affectans, ab hominibus, quos ipse seduxit, exigit, vt in simulacris sacrificia sibi, tanquam Deo, faciant; & ipse responsa illis reddit, edítque oracula. Hanc Satanæ altitudinem sine superbiam fideles Thyatirenses non cognouerant, id est, non approbauerant, quia nec sacrificare Idolis, nec de ijs quæ fuerant Idolis immolata comedere voluerant.

Primasius. Beda. Haymo. Rupertus. Ioachimus. Esa. 14.

Aliud verò pondus, quod dicit 68 se non missurum super eos, interpretantur isti, obligationem seruandi legem veterem. *Et illud quod habetis tenete,* significat, vt tenerent onus, & iugum legis Euangelicæ, quod acceperant, & erat leue & suaue, sub quo iubet eos perseuerare vsque in finem. Alij ista ipsa verba sic exponunt, Non patiar vos tentari supra id quod potestis. Alij sic, Quia istos Hæreticos toleretis per metum magis, quàm per consensum, & ex infirmitate potiùs, quã ex malitia, non vos alijs pœnis affligam; satis enim malorum vobis est quod ab istis Hæreticis infestamini atque vexamini.

Matth. 11. 2 ad Cor. 1

Non est prætermittenda hoc loco interpretatio Lyrani, quæ ita se habet; *Non cognouerunt altitudinem Satanæ,* Id est, Non approbauerunt superbiam Ebionis & Cerinthi, qui superbia elati, dogmatizauerunt contra reuerentiam personæ Christi, æternitatem & diuinitatem eius abnegantes, propter quod Beatus Ioannes in exordio sui Euãgelij diuinitatem eius asseruit, vt dicitur in Libro illustrium virorum. *Quemadmodum dicunt: non mittam super vos aliud pondus.* Hic tangitur, ait Lyranus, vitatio alterius erroris, scilicet Pseudapostolorum, qui dicebãt, simul cũ Euangelio necessariã esse obseruationẽ legalium, quod Beatus Petrus vocauit pondus siue onus importabile, vt dicit Actorũ decimo quinto. Et idcirco Beatus Ioannes, vel potius Angelus apparens ei, & loquens in psona Christi, ait, *Quemadmodum dicunt* (Pseudapostoli videlicet) *Non mittam super vos aliud pondus,* id est, obseruationem legis, quod Pseudapostoli dicunt vobis esse imponendam. *Tamen id*

69 *Lyranus.*

quod habetis, id est, veritatem euangelicam, per veros Apostolos vobis prædicatam, *Tenete donec veniam*, id est, Firmissimè custodite vsque ad diem iudicij, in quo manifestabitur omnibus, qui fuerint veri & falsi prædicatores doctrinæ meæ, & qui veri ac falsi cultores ac sectatores mei; & vtrisque, pro meritis eorum, condigna fiet retributio.

DECIMA OCTAVA Disputatio.

Exponitur de supradictis Interpretationibus Auctoris iudicium.

70 EGo quoque de germana loci huius Interpretatione paucis aperiam quod sentio. Ac primò quidem videntur mihi verba illa, *Altitudinem Satanæ*, siue, vt Græcè est, in plurali numero, *altitudines Satanæ*, quemadmodum legit hoc loco Beda, verba hæc commodè intelligi non posse de Superbia Diaboli, vt multi sunt interpretati: Illa enim vox (altitudo) non significat hoc loco sublimitatem, vt per metaphoram accommodari queat ad significandum superbiam Diaboli, de quo Iob dixit, *Omne sublime videt, ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* (Iob 41.) Sed illa vox (altitudo) significat hoc loco profunditatem. Latini enim altum vsurpant pro profundo, dicentes altum puteum, & altum mare, & Poeta dixit,

Manet alta mente repostum. (1. Æneidi)

Hoc autem patet ex Græco textu huius loci; in quo non est Græca vox ὕψος, propriè significans sublimitatem, sed est vox βάθος, siue in plurali, τὰ βάθη, id est, profunditatem, siue profunditates. Hanc porrò vtramque vocem Græcam in eadem sententia posuit Apostolus scribens ad Ephesios in illis verbis, *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum.* (Locus ad Ephes. 3.) vbi pro illa voce (sublimitas) Græcè est ὕψος; pro illa verò voce (profundum) Græcè est βάθος. Neque verò sicut apud Latinos altitudo duplicē habet significationem & sublimitatis & profunditatis, ita quoque apud Græcos, vel ὕψος, vel βάθος, duplicem istam significationem habet, sed vnam tantùm. Ergo altitudo, siue altitudines Satanæ non significant hoc loco sublimitatem & superbiam eius, sed profunditates ipsius, id est, astutias, callidaque consilia, occultas artes, & insidiosas rationes decipiendi & perdendi homines.

Equidem primam horum verborum interpretationē suprà expositā, quæ est Andreæ Cæsariēsis, iudico simplicissimā & planissimā, & sniæ verborum B. Ioannis maximè inherentem, & congruentissimam huic loco, atque ob has ipsas causas multò probabilissimā. 71 Nec tamen mihi displicet eorum opinio, qui verba illa, *Altitudinem Satanæ, quemadmodùm dicunt*, referenda esse putāt ad Hæreticos illos Thyatirenses, & illius mulieris Iezabelis sectatores. Hi enim suam in vulgus iactātes & venditātes sapientiā, dogmata disciplinæ suæ vocabāt altitudines, siue profunditates, quasi doctrinam cōtinerent profundissimā, & omnibus, nisi solis ipsis, aut quos ipsi eam docere vellent, prorsus incomprehensibilem. Adiuuat interpretationem hanc illud quod proximè adiungitur, *Quēadmodùm dicunt*, quibus verbis significatur, illos doctrinæ suæ dogmata altitudines siue profunditates appellare consueuisse. Non est tamen putandum, appellasse eos doctrinam suam altitudinem Satanæ: non enim videri eam volebant profectam esse à Satana, sed a Deo. Beatus tamē Ioannes, qui

nes,qui

nes, qui hæc in persona Christi loquebatur. addidit nomen illud (Satanæ) quò significaret dogmata illorum Hæreticorum, nec esse, nec appellari debere altitudines siue profunditates simpliciter & præcise, sed cum adiunctione (profunditates Satanę) id est, profundæ astutiæ ac malitiæ Diaboli consilia & commenta, inspirata ministris eius Hæreticis, ad deceptionem & perditionem hominum.

Mos Hæreticorũ, doctrinã suã gloriosè prædicantiũ, graphicè à B. Gregorio declaratus.

72 Morem autẽ Hæreticorum, doctrinam suam laudantium, tanquã profundam & admirabilem, & ipsis duntaxat à Deo patefactam, & alijs Catholicæ disciplinæ sectatoribus incognitam, graphicè depinxit Beatus Gregorius in libro 5. Moralium, cap. 18. explanans verba illa Iob capitis quarti, *Porrò ad me dictum est verbum absconditum*. Verbũ absc̃oditum, inquit Gregorius, audire se simulant Hæretici, vt auditorum mentibus quandam prædicationis suæ reuerentiam obducant: inde & latenter prædicant, quò eorum prędicatio tantò sanctior, quãtò & occultior videatur. Communem autem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur. Occulta vel noua semper exquirunt, quæ dũ alij nesciunt, apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ singularitate gloriantur, & occultam esse doctrinam suã insinuãt, & quò mirabiliorem ostendant, latenter se hanc percepisse affirmãt: vnde apud Salomonem mulier Hæreticorum speciem tenens dicit, *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, et panis absconditus suauior*. (*Prou. 9.*) Videat cetera Lector, quæ inibi Beatus Gregorius ad hanc sententiam piè disertèque disputat. Illorum porrò verborum, *Non mittam super vos aliud pondus, &c.* probo interpretationem Ambrosij suprà commemoratam; sed lubentius sequor & amplector explanationem, quam suprà retulimus, Andreæ Cæsariensis.

DECIMANONA Disputatio.

Super illis verbis:

Vincenti dabo stellam matutinam. VERS. 28.

ET aliàs sępe verborũ loco Andręas Cæsariẽsis copiosam & doctam atque luculentam horum verborũ explanationẽ tradit 73
his verbis: Aut stellam matutinam vocat eam hoc loco, de qua Esaias dixit, *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* (*Esa. 14.*) quam stellam sub credentium pedibus proculcandam Dominus alicubi promisit, & Romanis Paulus scribens ait, *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom. vlt.*) Et Dauid figurata oratione hoc ipsum significans, *Super aspidem*, inquit, *& basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* (*Psal. 90.*) Aut in hoc loco de ea stella est sermo, quam Beatus Petrus in cordibus fidelium, veluti Luciferũ nasci scribit; (*2. Pet. 1.*) quæ nihil aliud est, quam lux quædam à Deo in suorũ fidelium corda dimanãs. Quinetiã Ioannes Baptista & Elias Luciferi nomine à quibusdam appellantur, nec sane iniuria; Ioannes etenim priorem Solis iustitiæ ortum antecessit, Elias verò posteriorem eiusdem exortum & aduentum antegredietur. Horum socios, & consortes, & gloriæ participes fore Dominus hoc loco promittit eos, qui strenuè pugnando Diabolum vicerint. Neque mirum videri debet, si idem nomen ad res inter se diuersas transferatur, cùm manifestum sit ex Sacris litteris, & Christum & Antichristum; alia tamen,

Andreas. Quid sit stella matutina.

&

& alia ratione, idem nomen sortiri; vterque enim appellatur Leo, sed ille ex tribu Iuda, hic autem ex Basan. Dies quoque futuri sæculi, in quo præsentis vitæ tenebræ discutientur finemque facient, & Angelus, qui diem illum annunciaturus est, Orientis vocabulo alicubi designantur: vterque enim iustitiæ Solem qui Sanctis apparebit, præsensque vitæ huius obscuritate dissipabit, antecedet. Cuius radijs vtinam etiam nos illustrari contingat, accedente huc bona Patris voluntate: cui cum Spiritu sancto, sit gloria in sæcula sæculorum, Amen. Hactenus ex Andrea Cæsariensi.

Victorinus.

74 Victorinus Matutinam stellam interpretatur primam resurrectionem: illa enim noctem fugat, & Solis lucem prænunciat, & diei facit initium. Lyranus Stellam matutinam vocari ait corpus gloriosum, claritatis dote præfulgens. Gagneius indicari putat claram diuinarũ rerum intelligentiam, quam etiam Beatus Petrus vocabulo, & similitudine Luciferi stellæ denotauit. Ioachimus Abbas, Stella, inquit, matutina proximam diei lucem, & Solis claritatem præcurrit. Quid autem in stella matutina designatur, nisi præscientiæ donum, per quod intelliguntur inuisibilia Dei, quæ aliquando clara luce visuri & cognituri sumus? Hanc spiritualẽ gratiam præfigurauit stella illa, quę in Domini nostri natiuitate apparuit; hæc enim primò quidem in Oriente, nouissimè autem in Occidẽte Magis apparuit, quę & pergẽs in suo motu, ante celebrat eos, quousque veniret & staret supra vbi erat puer. Ricardus stellam matutinam interpretatur gloriam cœlestem solius animę, quę post mortem Sanctis datur. Ea dicitur Stella, propter claritatem visionis beatificę: vocatur Matutina, quia est inchoata, & non plenè consummata claritas, sicut erit post gloriosam corporum resurrectionẽ: tunc enim excrescet tanquam in claritatem Solis, sicut dixit Christus, *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum.*

Lyranus. Gagneius. Ioachim'. Matth. 2. Ricardus. Matth. 13.

75 Sed illa, vt multorum, ita probabilis admodum est Interpretatio, Stellam matutinã appellari ipsum Christum, qui suæ gloriosę claritatis manifestationem & visionẽ promittit strenuè certantibus in hoc Mundo & vincentibus. Cur autẽ vocetur stella matutina, volo ex proprijs Auctorum verbis, quę hic subijciam, Lectorem cognoscere. Primasius, Stellam, inquit, matutinam & Christum intelligi, & resurrectionem primam conuenit accipi: quia & ille apparens errorum tenebras repulit, & resurrectione aduenіante, mundanę noctis tenebrę fugabuntur: Hęc enim stella, sicut noctis finem, ita diei prębet initium. Ambrosius: *dabo illi stellam matutinã*, id est, meipsum: Christus enim stella matutina est, de qua dicit Scriptura, *Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israel, & percutiet duces Moab.* Dominus enim percussit duces Moab, quando omnes fabricatores errorum destruxit; Moab enim interpretatur (Ex patre:) & fabricatores mendaciorum atque errorum ex patre Diabolo sunt; Ipse enim, vt Dominus dixit, pater mendacij est.

Christus stella matutina, & cur. Primasius. Ambrosius Loc' Num. 24. Ioan. 8.

76 Beatus Gregorius illa verba Iob capitis trigesimi octaui, *Nunquid produces luciferum in tempore suo?* de Christo Domino interpretatur, eãque interpretationem confirmat ex Libro Apocalypsis, in quo vocatur Dominus stella matutina: Sic autem scribit Gregorius: Deus Pater Luciferum in tempore suo produxit, quia quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Dei quippe Filius ex Virgine natus, tanquam Lucifer, inter tenebras nostrę noctis apparuit: quia peccati obscuritate fugata,

B Gregor. ad Gal 4.

gata, æternum nobis mane nunciauit. Luciferum autem se demonstrauit, quia diluculo ex nocte resurrexit, & fulgore sui luminis mortalitatis nostræ caliginem pressit. Qui bene per Ioannem dicitur stella splendida & matutina; viuus quippe apparens post mortem, matutina nobis stella factus est, quia, dum in semetipso exemplum resurrectionis nobis præbuit, quæ lux sequatur, indicauit. Sic Gregorius. Beda, Christus, inquit, est Stella matutina, qui transacta sęculi nocte, lucem vitæ Sanctis promittit, & pandit æternæ. Rupertus: *Dabo illi stellam matutinam*, id est, Pro labore, quo in præsenti vita, quasi in nocte laborat, sollicitus & peruigil in animarum sibi commissarũ custodia, manifestabo meipsum, qui sum stella splendida & matutina.

Apocal. 22. *Beda.* *Rupertus.*

77 Sed hanc ipsam explanationem pluribus verbis, & satis apposite, sciteque tractat Haymo, hunc in modum scribens: Stellam matutinam, quantum ad litteram, appellat Luciferum, qui ortu suo vicinum Solis demonstrat aduentum. Spiritualis verò stella matutina Christus intelligitur, qui surgens a mortuis, tenebras huius sęculi fugauit, & luce fidei totum repleuit Mundum, & fulgore sui luminis illuminauit tenebras nostræ mortalitatis. De hac stella Petrus fidelibus illa verba scripsit, *Donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Diuina porrò Scriptura, cũ stella matutina numero singulari dicitur, per hanc hominem Christum significat; Cùm verò plurali numero astra matutina memorantur, eo nomine designantur Angelici Spiritus, quò spectat illud Iob Capite trigesimo octauo, *Cùm me laudarent astra matutina.* Cùm verò simpliciter ac sine additamento, stellæ nominantur, Ecclesiæ Doctores nonnunquam exprimuntur; vnde est illud apud Danielem Capite duodecimo, *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut stella firmamenti.* Christus itaque apparens viuus post mortem suam, matutina nobis stella factus est; quia dum in semetipso exemplum nostræ resurrectionis præbuit, quæ lux sequeretur, indicauit. Stellam ergo matutinam vincentibus daturum se promittit, id est, semetipsum, & gloriam futuræ resurrectionis; quod tunc implebitur, quando qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & cõfiguratum corpori claritatis suę corpus humilitatis nostræ reformabit: Mortalitatis etenim tenebris fulgente resurrectione depressis, quasi quidam Lucifer apparebit, qui perfectum æternitatis diem demonstrabit. Hæc Haymo.

Haymo. *Mos Scripturæ obseruandus.* *Ioan. 5.* *Ad Philip. 3.*

In hanc ego interpretationem preno feror assensu, non solùm quòd eam tot, tantisque viris placuisse video, sed eò maximè, quòd ipsemet Christus appellauit se Stellam matutinam, sicut in Capite vigesimo secundo huius libri scriptum est illis verbis, *Ego sum radix, & genus Dauid. Ego sum stella splendida & matutina.* Quas porrò ob causas Christus Dominus ritè nominatus sit Stella matutina, ex Interpretationibus suprà expositis Lectori manifestum esse potest.

Auctoris sententia.

CAPVT TERTIVM.

1 ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc di-
cit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem
stellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd
2 viuas, & mortuus es. * Esto vigilans, &
confirma cetera, quæ moritura erant. Non
enim inuenio opera tua plena coram Deo
3 meo. * In mente ergo habe qualiter accepe-
ris, & audieris, & serua, & pœnitentiam
age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua
4 hora veniam ad te. * Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non in-
quinauerunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia
5 digni sunt. * Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis; & non dele-
bo nomen eius de Libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre
6 meo, & coram Angelis eius. * Qui habet aurem, audiat quid Spiri-
7 tus dicat Ecclesiis. * Et Angelo Philadelphiæ scribe: Hæc dicit San-
ctus & Verus, qui hēt clauē Dauid: qui aperit, & nemo claudit, claudit:
8 & nemo aperit: * Scio opera tua, Ecce dedi coram te ostium apertum,
quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti
9 verbum meum, & non negasti nomen meum. * Ecce dabo de synago-
ga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur: Ecce
faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & scient quia ego
10 dilexi te, * quoniam seruasti verbum patientiæ meę, & ego seruabo
te ab hora tentationis, quæ ventura est in Orbem uniuersum tentare ha-
11 bitantes in terra. * Ecce uenio cito: tene quod habes, ut nemo acci-
12 piat coronam tuam. * Qui uicerit, faciam illum columnam in templo
Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen
Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouę Ierusalem, quę descendit de
13 cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. * Qui habet aurem, audiat
14 quid Spiritus dicat Ecclesiis. * Et Angelo Laodicię Ecclesiæ scribe:

Hæc

Hæc dicit : Amen , testis fidelis , & uerus, qui est principium creatu-
15 *ræ Dei. * Scio opera tua: quia neque frigidus es , neque calidus: uti-*
16 *nam frigidus esses , aut calidus: * Sed quia tepidus es, & nec frigi-*
17 *dus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo: * Quia dicis: quòd*
diues sum, & locupletatus , & nullius egeo: & nescis quia tu es miser,
18 *& miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. * Suadeo tibi emere*
à me aurum ignitum probatum ut locuples fias, & uestimentis albis in-
duaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge ocu-
19 *los tuos ut uideas . * Ego quos amo, arguo & castigo. Aemulare er-*
20 *go , & pœnitentiam age. * Ecce sto ad ostium , & pulso: Si quis au-*
dierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœ-
21 *nabo cum illo , & ipse mecum. * Qui uicerit , dabo ei sedere mecum*
in throno meo : sicut & ego uici , & sedi cum Patre meo in throno eius.
22 ** Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis .*

IN CAPVT TERTIVM APOCALYPSIS DISPVTATIONES VIGINTINOVEM.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe.

Quis fuer'i Episcopus illo Sardẽsis. 1

HÆc est quinta, Epistola quæ scripta est à B. Ioanne ad Angelum, id est, Episcopũ, Sardẽsis Ecclesiæ. Hunc Episcopum putat Aureolus fuisse Beatum Melitonẽ, virum doctissimum, ac sanctitatis nomine in Ecclesiasticis Historijs satis celebrem. Quintam Epistolam, inquit Aureolus, scripsit Beatus Ioannes Melitoni Episcopo Sardensi, hortando ipsum ad gnauiter & strenuè, ac perseueranter operandum: vel potiùs sub nomine illius alloquitur Ecclesiam illi subiectam; Constat enim ex libro quinto Historię Ecclesiasticæ capite 13. (legi debet cap. 23.) Melitonem circa illa tempora fuisse Episcopũ Sardensem, & Beato martyrio consummatum, in illa ciuitate requiescere. Sic Aureolus.

Aureolus.

Eusebius.

2 Cuius opinionem (tacito tamẽ eius nomine) Lyranus ita confutat: Dicunt aliqui Expositores istũ Episcopum Sardensem fuisse Beatum Melitonem, qui tempore illo fuit Episcopus Sardensis, & tandem in ea ciuitate martyrio coronatus est: Et ad hoc allegant Historiam Ecclesiasticam ex libro quinto cap. 24. Sed, salua eorum reuerentia, hoc non dicitur illic: sed illud tantùm, quòd fuerit Eunuchus propter regnum cęlorum, castita-

Aureolum confutat Lyranus.

Matth 19. castitatem conseruando: & quòd plenus Spiritu Sancto in ciuitate illa Sardensi requiescat, expectans aduentum Domini: Et dato, quòd non solum fuerit sanctus, sed etiam martyr; hoc magis facit contra ipsos, quàm pro ipsis. Nã illud, quod de isto Episcopo dixit Beatus Ioãnes, *Nomen habes quod viuas, & mortuus es*, non videtur de tam sancto Episcopo & martyre verificari posse; neque etiam de populo ei subdito, quia culpa subditorum redundat in Prælatum: & tempore sancti Prælati, solent in populo ei subdito vitia magis deuitari. Quocirca satius est dicere, quod iste Sardensis Episcopus non fuerit Melito, sed alius qui non fuit tantæ auctoritatis: & illo tempore frequenter Episcopi mutabantur.

Auctor eis refellit Aureolum. 5 Aureoli præterea sententiam ratio temporum aperte refellit: Ioannes enim scripsit Epistolam hanc ad Episcopum Sardensem qui tunc eam regebat Ecclesiam, vt indicat verba ipsa, quibus in hac Epistola Ioannes agit cum isto Episcopo, de nonnullis eum reprehendens. etenim sanctum istum Melitonẽ ex historijs Ecclesiasticis patet post obitum Beati Ioannis non minus septuaginta annis floruisse. Videat *Baronius.* Lector Cardinalem Baronium in secundo Tomo Annalium, in anno Domini centesimo septuagesimo secundo, vbi de isto Melitone copiosè disserit. Martyrem porrò *An Melito fuerit martyr.* fuisse istum Melitonem, Aureolus quidem ait, sed id nemo quisquam veterum prodidit: quin etiam verba illa Polycratis peruetusti scriptoris, quæ refert Eusebius in libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. isti sententiæ Aureoli refragantur. Sunt autem eiusmodi: *Polycrates* Quid attinet dicere de Sagari Episcopo & martyre, qui Laodiceæ mortem oppetijt? Quid porrò Beatum Papyrium & Melitonem Eunuchum recenseam, qui Spiritus Sancti instinctu afflatus, totum vitæ suæ tempus piè sanctèque exegit; qui Sardis tumulo conditus est expectans Christi è cęlo ad vniuersam carnem visitandam aduentũ, in quo ex mortuis & ipse resurget? Hæc Polycrates, referente Eusebio: cuius verbis non obscurè significatur, Melitonem non martyrio, sed quieta morte, & in pace vitam finiuisse. Vocauit autem Polycrates Melitonem Eunuchum, non corporalem significans Eunuchismum, sed spiritualem, fuit enim de numero eorum Eunuchorum, qui sicut Dominus noster dixit, castrauerunt se propter regnũ cęlorum, castitatem perpetuo colens. Quocirca Sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & vbi agit de Polycrate, supradicta eius verba referens, nõ vocat Melitonem simpliciter Eunuchum, sed in Spiritu sancto Eunuchum.

Quomodo dicatur Melito fuisse Eunuchus. Matth 19. S. Hieronymus.

SECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

Esto uigilans & confirma cetera quę moritura erant. VERS. 2.

HVNC locum Apocalypsis B. Gregorius explanauit in tertia parte Curæ Pastoralis, in Admonitione XXXV. in hunc modum scribens; Admonendi sunt qui inchoant bona minimè consummant, vt cauta circumspectione considerent; quòd, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cępta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc 4 *S. Gregorius.*

quippe

quippe mundo humana anima qua si more nauis versatur, contra ictũ fluminis ascendentis, quæ vno in loco consistere non permittitur, sed ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis manus operantis ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio, contra hoc quod operatum est, pugnat. Vnde per Salomonem dicitur, *Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.* Qui enim cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum dissipantis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ Angelo dicitur, *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant: Nõ enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Quoniam igitur opera eius coram Deo plena non fuerant inuenta, moritura reliqua etiam, quę erãt gesta, prædixit. Si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc viuum tenetur. Hæc Gregorius. Secundum Gregorium itaque confirmare cetera quæ moritura erant, non est aliud, nisi bona opera quæ inchoata sunt non omittere, sed prosequi quoad consummentur; si enim omissa fuerint, indubiè moritura sunt: bonũ enim & meritum quod habere cęperant, omissione operantis, atque opere ipso deficiente, prorsus amittent.

Locus Pro. cap. 18.

5 Non est dissimilis Andreæ interpretatio existimantis Beatum Ioãnem, his verbis hortari Sardensem Episcopum & Ecclesiam ad excutiendum socordiam atque ignauiã ne per desidiam & torporem priora bona & bene gesta corrumpantur & pereant. Non enim, inquit, bonorum operum exordium coronat operarium, sed absolutio, & perfectio. Ambrosius refert hæc verba ad charitatem ex qua nisi proficiscantur opera quæ facimus, ea sunt apud Deum tanquam mortua, & quasi pro nihilo, sicut Apostolus dixit, etiam haberet omnem fidem, & scientiam, & propheticam, charitatem autem non haberet, nihil se esse: & quamuis distribueret in pauperes omnem substantiam suã, & corpus suum traderet igni, & charitatem tamen non haberet, nihil ea sibi fuisse profutura. Ergo moritura sunt opera, etiam quæ genere suo fuerint optima, nisi per charitatem viuificata & confirmata fuerint. Primasius & Beda referunt ad pastoralem gregis curam, quasi diceretur Episcopo Sardensi, Nisi vigilanter, & assiduè insistas pascendo, regendoque, ac tuendo gregi tuo, vt multi iam perierunt, ita reliqui perituri sunt. Horum persequens Lyranus vestigia, sic exponit hunc locum, *Nomen habens quod viuas*, apparentem videlicet sanctitatem, ac famam apud homines: *Sed mortuus es*, spiritaliter nimirum propter occulta peccata, & coram Deo. *Esto vigilans*, ad cognitionem defectuum tuorum & gregis tui. *Et confirma cetera*, verbo nempe, & exemplo subditum tibi populum a malo remouens, & in bono confirmans. *Quæ moritura erant.* Populus enim facilè ad peccata delabitur, nisi exemplo & verbo Prælatorum sustentetur.

Andreas.

Ambrosius

1. ad Cor. 13.

Primasius. Beda.

Lyranus.

Rupertus occultum peccatum, 6 propter quod Episcopus ille Sardensis mortuus esse dicitur coram Deo, coniicit fuisse peccatum aliquod carnale; sic enim scribit: Secretum & occultum est peccatum eius, qui nomen habet quod viuat, immo si prius virtutis & sanctitatis opinionem habuit, clarescentibus postea operibus eius mortuis, opinionem illam & nomen amittit, & infamatur quod mortuus sit: Ergo quo ad istum Episcopum, cuius peccatum tale erat, vt malo exemplo publicum non faceret Ecclesię scandalum, sed intus malè agens, foris, vbi illum pro officio prædicare oportebat, bonam retinebat opinionem, rectè priuatim dicitur, *Esto* vigi-

Rupertus.

vigilans, & nec occultum eius peccatum publica correptione inuulgauit: sed cum eo seruauit Dominus regulam illam Euangelicam, quam ipsemet præscripserat: *Si peccaueris in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*. Licet porrò conijcere, quòd istius Episcopi, qui mortuus fuisse dicitur, mors fuerit peccatum carnis; Nam paulò infrà dicit ei Dominus, *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, qui & ambulabis mecum in albis*. Et reuera nonnunquam contingit, vt Sacerdos, siue, Episcopus, bonæ opinionis vir, secretò peccatū aliquod carnis admittat, per quod mortuus fit sub nomine viuentis. Tali ergo dicitur, *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant*. Esto, inquit, vigilans, seruans illud Domini præceptum de custodia castitatis, & frequenti bonorum operum effectione, *Sint*, inquit, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Et verò, cura hæc seruandæ castitatis, & recuperandæ salutis, assiduis vigilijs, & magna indiget sollicitudine. Dicens autem, *Confirma cetera quæ moritura erant*, satis indicauit etiam in illo qui mortuus erat, nō omnia fuisse mortua, sed aliqua fuisse viua; viuebat enim in illo pastorale officium prædicandi Verbum Dei, & ministrandi Sacramenta; viuebat erga illum plebis eius reuerentia & obedientia: Verùm hæc etiam moritura erant, id est, illi auferenda, si ipso pœnitentiam non agente, Deus peccatum eius publicaret, & indignum esse tali munere, ac dignitate demonstraret: tunc enim legali seueritate ab officio deponendus erat futurusq; tanquam Ethnicus & publicanus. Hactenus ex Ruperto.

Locus Matthæi 18.

Luc. 12.

Matth. 18.

7 Mihi præ cæteris placet Primasij ac Bedæ interpretatio, quam suprà commemorauimus; Dominus enim manifestè his verbis Sardensem illum Episcopum arguit notabilis incuriæ ac negligentiæ circa gregem suum, qua factum iam fuerat, vt multi è grege eius perijssent, vel seducti ab Hæreticis, vel grauissimis criminibus obstricti & corrupti. Prædicit autem fore alios etiam, qui nondum perierant, esse perituros, nisi vigilantior in posterum, & attentior ipse sit ad gregem suum erudiendum, & corrigendum, tuendumque, atque in rectæ fidei, & Christianæ morum disciplinæ obseruantia confirmandum.

Auctoris sententia

TERTIA Disputatio.

Expenditur Interpretatio quædam huius loci, quæ est apud Haymonem, & disputatur an bona opera, facta in peccato mortali, viuificentur per subsequentem pœnitentiam.

DVAS loci huius Interpretationes tradit Haymo: quarum posteriorem nos priori loco referemus; est autem ea huiusmodi. Sunt multi, qui vitam suam ab omni crimine mundam seruant, & virtutes colunt, sed humanam tamen laudem, & fauorem expetunt atque requirunt. Sed quia in cogitatione eorum recta nō procedit intentio, prauum est opus omne quod inde sequitur in executione. Per bonum itaque opus, quod ex eriùs præcedit in publicum, viui, id est, boni & sancti apud homines existimantur: per prauam autem intentionem, quæ in eorum mente latet interius, mortui apud Deum, id est, peccatores censentur. Vnde ad illiusmodi corrigendos pia in hoc loco admonitio adhibetur, cum dicitur, *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant*, quasi diceretur, Si 8

Haymo.

vis viuere, caue ne tuorum bonorum operum laudem ab hominibus requiras, ne intentionem operis elatio vitiet fauoris; Quocirca (Matth. 6.) in Euangelio dicitur; *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.*

9 Altera eiusdem Haymonis interpretatio sic habet, Dicens hoc loco Dominus, *Non habes quod viuas, sed mortuus es;* satis indicauit, istum partim habuisse occulta peccata, ob quæ mortuus esset coram Deo; partim exterius habuisse opera bona, ob quę nomen haberet quod viueret, id est, bonus & laudabilis ab hominibus existimaretur. Isti ergo dicitur, Ideo te putas viuere, quia nonnulla facis opera bona, cum peccatis interius sis inquinatus: Sed opera bona te apud Deum commendare non possunt, si apud eum interiora peccata te reum faciant, testante Apostolo Iacobo, *Quicumque seruauerit totam legem, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Ad eum itaque qui talis erat, benigna dirigitur exhortatio, cum dicitur ei, *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant;* perinde quasi diceretur. Si vis in illis quæ bene gessisti, viuere, ab ijs quæ male gessisti, per pęnitentiam euigila: quia si in his mortuus permanes, in illis nullatenus Psalm. 33 viues, dicente Psalmista, *Declina à malo & fac bonum.* Si quis enim a peccati somno per pęnitentiæ lamentum perfectè euigilet, ne illa quidem, quæ cum mortuus esset, bene gessit, post viuens, opera amittit, atque eo ipso opera illa viuificat, quod ipse a peccati somno euigilat. Sic Haymo.

10 Arbitratur itaque Haymo, opera ex suo genere bona, quæ quis egit, cum mortuus esset, id est, cū esset in peccato mortali, ea opera per subsequentem pęnitentiam viuificari atque ei prodesse: quod tamen esse talium, & ratio demonstrat, & Scholasticorum Theologorum contra sentientium auctoritate comprobatur. Sed quo facilius hoc intelligatur & credatur, scire conuenit, opera bona quæ quis facit dum est in peccato mortali, ea vocari a Theologis opera mortua; sed alia tamen ratione, quam mortalia peccata vocantur opera mortua. Peccatum enim dicitur opus mortuum effectiue, quia est causa spiritualis mortis animæ, secundū illud Apostoli dictum, *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis:* Ad Heb. 9 huiusmodi autem opera mortua, per subsequentem pęnitentiam, tantum abest vt viuificentur, vt contra potius destruantur atque deleantur. At verò opus bonum factum sine charitate ab homine peccatore, mortuum dicitur priuatiue, quia caret vita spirituali, quæ prouenit a charitate, per quam anima viuit spiritualiter ex Deo & in Deo; sicut ex anima naturaliter viuit corpus hominis. Hæc igitur opera bona, quæ quoniam facta non sunt ex charitate, vocantur, vt diximus, mortua, non possunt per subsequentem gratiam digna pęnitentia recuperatam viuificari, ita vt sint Deo accepta, & condigna merita vitæ æternæ. Huius rei hanc licet rationem reddere: Si gratia subsequens opera illa mortua viuificaret, vel id præstaret subsequens gratia efficiendo vt opera illa quæ non erant facta ex charitate, & ideo erant mortua, facta essent ex charitate, & ideo viua essent: Sed hoc impossibile est; nulla enim est potentia ad præteritum, nec fieri potest, vt quod factum non est ex charitate, sit factum ex charitate, & quod est cōsequens, quod fuit opus mortuum, fieret postea opus viuum. Aut id pręstaret subsequens gratia, efficiendo, vt opera illa facta prius in peccato lethali, & idcirco mortua, prorsus eadem numero fierent ab homine, qui recuperauit gratiam pœnitentia, fierent,

rent, inquam, ex charitate, ob idq; viuificarentur: Sed hoc etiam impossibile factum est; cùm enim opera illa facta sine charitate iam transierint, & desierint esse, non possunt eadem numero redire: quod enim semel corruptum est, idem numero regenerari non potest. Homo igitur, qui per pœnitentiam recuperauit gratiam, potest quidem ex charitate facere opera similia eorum, quæ fecerat sine charitate, cùm erat in peccato mortali; sed eadem tamen numero facere nullo modo potest. Ad comprobandum hoc ipsum valet illa Beati Pauli sententia, qua affirmat, nec erogare bona sua in pauperes, nec tradere igni corpus suum, quicquam sibi profuturum, si charitatem non haberet: Si autem duo ista opera commemorata ab Apostolo, quæ inter opera ex genere suo bona, sunt præstantissima, nihil profuissent illi sine charitate; quantò minus reliqua bona opera prodesse possunt? Etenim si bona opera facta sine charitate ab homine dum est in peccato mortali, posteà cùm ille recuperat gratiã, viuificarentur, & digna fierent vita æterna; proculdubio opera bona facta sine charitate, non, vt dixit Apostolus, nihil prodessent; sed plurimum homini prodessent, vtpote quæ per dignam pœnitentiam viuificarentur, & mererentur vitam æternam.

1. ad Cor. 13.

†

QVARNTA Disputatio.

Super illis verbis:

Exponuntur duo ex hoc loco ducta, minimèque hic prætereunda documenta.

Ex illis verbis, quæ dicta sunt Sardensi Episcopo, *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant*, licèt colligere, prædestinationem multorum hominum Sanctorum cooperatione ita iuuari & compleri, vt sine ea non fuissent illi qui prędestinati sunt, æternam salutem & gloriam consecuturi. Ecce, dicitur Sardensi Episcopo; *Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant.* Ergo, si vigilaret ille, atque confirmaret subditos suos, non erant illi perituri, sed salui futuri: nec futuri essent salui, nisi essent prædestinati, soli enim prædestinati saluantur. Quòd si ille non vigilaret, neq; confirmaret suos, erant illi morituri, atque perituri. Pendebat igitur aliqua ex parte prædestinatio illorũ, quantum ad effectum saluationis ipsorum, à vigilantia & confirmatione Pastoris eorum. Et hanc quidem doctrinam atque sententiam firmare licet verbis Beati Gregorij ex octauo capite primi libri Dialogorum huc transpositis; ea verò sunt huiusmodi, Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata sunt, vt precibus obtineantur: Nam ipsa quoque æterni regni prędestinatio ita est à Deo disposita, vt ad hoc electi pro labore perueniãt, quatenus postulãdo mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuerit donare.

11 *Prædestinationẽ iuuari & compleri aliquãdo precib. & cooperatione hominum.*

S. Gregorius.

Hoc etiam ex sacra Scriptura ostẽdi potest: Ad Abraham enim dixit Dominus, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Cum etiam dixit: *Patrem multarum gentium constitui te. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & arenam maris.* Ex quo apertè constat, quòd Deus semen Abrahæ per Isaac multiplicare prædestinauerat: & tamen scriptum est, *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eò quòd esset sterilis, & dedit conceptum Rebecca.* Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuerat, cur sterilem cõiugem accepit, cui Deus per eius preces conceptum daret? sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur, quandoquidem is, per quem Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit. Hæc Sanctus Gregorius.

Gen. 21. 12.

Gen. 25.

12 Verùm meminisse Lectorẽ oportet eorum, quæ super hac ipsa re disputans Beatus Thomas docet in prima parte quæst. 23. artic. 3. ait enim, in Prædestinatione duo esse consideranda, quorum alterum est diuina præordinatio hominis ad vitam æternam; quæ cùm sit æterna, non potest vllis precibus hominum iuuari, non enim potest quispiam vllo modo efficere, vt vel ipse, vel alius fuerit ab æterno electus, & preordinatus à Deo ad vitam æternam. Alterum verò est ipsius prædestinationis effectus, vt est hominis sanctificatio, & glorificatio: & hac ratione per sanctorum hominũ preces, & cooperationem iuuari & expleri potest prædestinatio. Prouidentia etenim, cuius pars est prædestinatio, sic prouidet effectus, vt ad eos producendos etiam ordinet causas secundas, sicut videre est in causis naturalibus. Quocirca sub ordine prædestinationis non solum cadit effectus & finis, sed etiam media & causæ ad eos consequendos ordinatæ, inter quæ media sunt Sanctorum preces & cooperatio. Neque verò Deus ad explendam prædestinationem, & prouidentiam suam vtitur cooperatione hominum & causarum secundarum propter indigentiam; sed vt seruetur pulchritudo ordinis in rebus, & vt creaturis etiam potestatem & dignitatem causandi communicet. Quoniam verò causæ particulares & secundæ nõ possunt transgredi ordinem vniuersalis & primæ causæ, sed ipsum exequuntur: ex eo fit, vt prædestinatio per homines adiuuari possit, impediri autem nullo modo possit. Hactenus ex Beato Thoma.

S. Thom. ar

13 Ad huius quoque loci Apocalypsis tractationem non ineptè, neque incommodè applicari posset illa Theologorum sententia, Opera bona facta ex charitate, per subsequens peccatum mortale mortificari quidem, non prorsus tamen mori ac perire, sed per subsequentẽ deinceps dignam pœnitentiam reuiuiscere, quæ, nisi secuta esset digna pœnitentia, erant moritura. Quod ex hoc ipso loco Apocalypsis licet etiam cognoscere: Hortatur enim Dominus illum Episcopum, vt agat pœnitentiam & vigilet, *Pœnitentiam,* inquit, *age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescis qua hora veniam ad te.* Dicitur ergo illi; *Esto vigilans,* expergiscendo videlicet à peccati somno. *Et confirma cætera quæ moritura erant.* Bona enim opera quæ prius ex charitate fecisti, & ideò viua opera fuerunt, per subsequens peccatum tuum, ob quod es mortuus coram me, licèt nomen habeas quod viuas, hæc, inquã, opera mortificata sunt, & plane moritura erunt, nisi tu dignam agendo pœnitentiam viuificaueris atque confirmaueris.

Opera bona per peccata mortificata reuiuiscere per dignam pœnitentiam.

14 Verùm, dicet quispiam, Ista opera bona transeunt & desinunt esse; quomodo igitur postea per subsequentem pœnitentiam possunt viuificari, cùm tunc non existant? Verùm scire conuenit, illiusmodi opera

opera non esse viua, nec habere vim perducendi hominem ad vitam æternam ex eo solùm, quòd actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, eandem vim habent, prout remanent in acceptatione diuina: Deus autem opera illa, etiam postquam sunt per peccatum mortificata, quantum in ipsis est, approbat, & accepta habet ad vitam æternam, & Sancti de illis gaudent in cœlo. Quod autem & homini in peccatum lapso, qui ea fecerat, non sint tunc efficacia ducendi eum ad vitam æternam, accidit ex impedimento superuenientis peccati, ob quod homo ille factus est indignus vita æterna: Sublato autem peccati per pœnitentiam impedimento, opera illa recuperant efficaciam suam perducendi hominem ad vitam æternam; & hoc est, ea reuiuiscere: & ex mortificatis fieri viua. De huiusmodi operibus per peccatum mortificatis, & per pœnitentiam reuiuiscentibus, de quibus egimus in hac, & in proximè superiori Disputatione, videat Lector Beatum Thomam in 3. parte quæst. 89. art. 5. & 6.

QVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 2.

Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.

Quæ dicantur opera non plena, dict. interpretationes.

Victorinus. Primasius. Andreas.

15 QVID est opera hominis nô esse plena? Victorinus & Primasius interpretatur esse sicut arborem frôdosam & floridam, sed infructuosam: talis enim est speciosa Christianæ Religionis ac disciplinæ professio, sed sterilis bonorum operum. Andreas ait significari, non esse constantem, nec perseuerantem in bene agendo. *Ambrosius* Ambrosius, facere quidem magna, & in speciem præclara, sed nô ex charitate, & idcirco inania atque inutilia. Non erant, inquit Ambrosius, opera illius plena, sed inania, quia non replebantur charitate: quapropter & quinque Virgines fatuæ à contubernio Sponsi cœlestis repulsæ sunt, quæ oleum charitatis in vasis suis habere noluerunt. *Matth. 25.* *Haymo, & Ansbertus.* Haymo & Ansbertus, Opera, inquiunt, plena vocat, quæ licèt genere suo bona sint, non tamen benè, nec recta intentione facta sunt. *Beda.* Beda dici putat hoc de Episcopo, quem non satis est bonû esse, sed præterea oportet vigilantem & diligentem esse in pascendo & regendo, tuendoque grege suo. *Rupertus.* Ibi plena, ait Rupertus, sunt opera ministerij sancti, vbi salutarem habent effectum, & fiunt non ad iudicium, & condemnationem, sed prosunt ad remissionem peccatorum. Cum hac autem plenitudine non fiunt ab eo, qui malè operando mortuus est. *Haymonis altera interpretatio.* Haymo dicit non fuisse plena, quia nô omnia opera eius erant bona: Nam erant bona multa, sed pluribus alijs malis mixta & contaminata. *Carthusianus.* Carthusianus, Operari non plenè, est, inquit, negligenter & remisse, ac tepide operari.

16 *Ioachimus* Ioachimus explanâs verba hæc, Notandum, inquit, est, non dixisse Dominum isti Episcopo, Non inuenio bonum in operibus tuis; vel, Non habes opera bona: sed dixit ei, *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Hypocritæ enim habent opera, quæ ostentant hominibus, sed non habent opera plena, quæ probentur à Deo: habent lampades ornatas, sed oleo sinceritatis & charitatis vacuas. *Matth. 25* Sic plerumque testa nucis vacua est pinguedine nuclei: sic etiam malè lætæ segetis tristis cumulus aliud se esse simulat, & aliud curiosè exploranti agricolæ demonstrat. Et quia scriptum

1. Reg. 16. est, *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Cum dixisset, *Non inuenio opera tua plena*, proximè adiecit, *Coram Deo meo*. Vnde 1. ad Cor. 10. & per Apostolum dicitur, *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Hinc etiam per semetipsum Dominus noster quibusdam qui se extollebant de vacuis, & vanis operibus, dixit, Luc. 16. *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, DEVS autem nouit corda vestra: quia quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Verè nutrix amoris, & radix dilectionis est humilitas. O qui sentiret in palato cordis sui, qualis, & quantæ suauitatis sit dicere *Deus meus*. Hoc quia primus Angelus dicere noluit; gaudia internæ iucunditatis superbia deprauatus amisit. Miro autem modo in vno horum nominum, quod est, Deus, ostenditur inuocantis humilitas; in altero, quod est, *meus*, dilectionis demonstratur integritas; neque enim vera esse potest charitas subditi, si careat radice humilitatis. Quoniam autem omnes hypocritæ humanam quærunt gloriam, & tantùm quisque recedit à veritate, quantùm vicinior est mendacio; Idcircò arguens Dominus istum Episcopum, cuius opera non erant plena, id est, erant vana, & fucata, & aspernanda, addidit protinus, *Coram Deo meo*, vt quam longè ab hoc vero bono recessisset, vel tacita obiectione & correptione stimulatus sentiret. Qui enim vult ex illis esse, de quibus dictum est, Psalm. 38. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius*, non pro appetitu vanæ gloriæ operari debet quod bonum est, vt videatur ab hominibus, sed vt æternam consequatur hæreditatē, quod est videre ipsum met Deum. Ita Ioachimus.

Auctoris sententia. 17 Ergo, secundùm varias interpretationes Auctorum suprà expositas, dicere possumus opus hominis appellari non plenum tripliciter, vel solidè, vel intensiuè, vel extensiuè. Solidè, quia non est intus solidum, sed inane, id est, vacuum, vel charitate, vt dixit Ambrosius, vel recta intentione, vt Ansbertus, vel sinceritate, vt Victorinus & Primasius: Intensiuè, quia remissè ac tepidè fit, vt interpretatur Carthusianus: Extensiuè, vel quantùm ad tempus, quia non constanter & perseueranter vsque ad finem benè agitur, vt dixit Andreas; vel quātum ad vniuersalitatem operum, quia non omnia sunt bona, sed bonis mala sunt mixta, & inquinata, vt exposuit Haymo: vel quantùm ad personas, quia bonum opus non extenditur vsque ad omnes, etiam inimicos, sicut Christiana charitas exigit: vel quantùm ad plenitudinem muneris & officij pastoralis, quia non satis Prælato est bonum esse sibi, sed bonū etiam alijs oportet esse, vt munus suum cum eorū quos regit vtilitate obeat, atq; perficiat, vt locum hunc interpretatus est Beda.

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 4. *Sed habet pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

MAGNA laus paucorum, ait Primasius, inter multos & inquinatos, iugi virtutum pudore, immaculatos vestibus permanere. 19 Primasius. Ambrosius explanans hunc locū, Ambros.

Ecce,

Ecce, inquit, Pastori negligenti præponuntur discipuli, vt sancta eorum contemplatione, atque imitatione proficeret. Sed mirum cur paucã nomina habere dicatur, & nō paucos homines: Sed hoc ad excellentiam magnam alicuius Sancti pertinet, cùm eum Deus nominatim scire dicitur, sicut Moysi perfecto viro dixit, *Noui te ex nomine*, & Dominus in Euangelio ait, *Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas*. Isti ergo pauci, qui Dei ore laudari meruerunt, *non inquinauerunt vestimenta sua*, id est, munditiam, quam in Baptismo perceperunt, sordibus vitiorum non inquinauerunt. Sic Ambrosius.

Exod. 33.

Ioan. 10

19 Scriptura itaque hoc loco, secūdùm Ambrosium, nomina dixit pro viris nominatis ac famosis, qui ob eximias virtutes claraque facta, magni nominis & famæ erãt in Ecclesia. Etenim verò magna virtus & laus istorum fuit, stolam innocentiæ per Baptismū acceptam, nullum postea mortiferi peccati fœditate inquinauisse: Similis phrasis ponitur in Capite primo Historiæ Apostolicæ; vbi Lucas ita scribit, *Erat turba nominum simul ferè centum viginti.* Dixi, *nominū*, quia Græcè est, *τῶν ὀνομάτων*. Putat Beda, & quidam alij, per nomina significari Electos & Prædestinatos, scilicet horum duntaxat nomina scripta sunt in cœlo, & in Libro vitæ.

Sicut igitur nemo magni est nominis, quòd homo est; sed quia eximiè prudens, vel iustus, vel fortis, vel munificus est: ita nemo apud Deum nomen habet, quia Christianus est, sed quia innocens, & pietate præstans; & ardens charitate, & in virtutibus perfectus est. Et quéadmodum vnusquisque hominum duplex habet nomen, alterum cōmune omnium hominum, propter humanæ naturæ communionem, quod est dici hominem; alterum verò propter singularem & indiuiduam naturam, & personæ proprietatem, vti est nomen Petri vel Pauli, quod clariorem facit cuiusque hominis notitiam: Sic etiam commune iustorum hominum bonum, quæ est charitas, dat iustis commune quoddam nomen, vt dicantur iusti, & sancti, & filij Dei; eximia verò quædam & excellens charitatis & gratiæ participatio, tanquam speciale quoddam nomen tribuit homini apud Deum, vt is dicatur nominatim, vel ex nomine proprio notus, Deo charus, & apud Deum gratiosus, sicut Moysi, viro nimirū perfectissimo Deus dixit, *Noui te ex nomine.* Ergo ad egregiam Sardēsium laudem pertinet, quòd a Domino non homines appellati sint, sed nomina. Quanquam nos in Primo tomo nostrarum selectarum Disputationum in Disputatione quadam super Capùt sextum Exodi, copiosè ostēdimus, phrasim esse peculiarem, & familiarē Scripturæ, vsurpare nomen alicuius rei pro illa re, q̄ eo nomine appellatur, idq; tam in bonam, quam in malam partem.

Exod 33.

Sed quid est illud, *Qui non inquinauerunt vestimenta sua*? Hoc Aretha sic interpretatur, Vestimenta, inquit, non inquinata, sunt corpora Sanctorum: sicut etiam Iacob, vaticinando de sanguinolenta Christi passione; dixit; *Lauabit in vino stolam suam*; corpus eius significās perfusum sanguine, quem pro salute hominum profudit. Et apud Esaiam dicitur; *Quare rubra sunt vestimenta tua tanquam à calcato torculari*. Et de vestimentis quidem ita dicere dignum est, vt munditia eorum, puritatem corporis designet. Sic Aretha. Carthusianus istiusmodi vestimenta tripliciter interpretatur: Primò vestem innocentiæ in Baptismo acceptam, quam incontaminatam seruat, qui nullum postea facit, mortiferum peccatum: Deinde, virtutes infusas, & dona Spiritus Sancti, quibus mens ornatur, & contra frigora vitiorum, & ardo- 20

Quid sit nō inquinari vestimēta. Aretha.

Genes 49.

Esa. 63.

Carthusianus.

res concupiscentiarum protegitur Vnde charitas appellatur vestis nuptialis, & operire multitudinem peccatorum: & de Sponsa dicitur; *Vidi Speciosam, cuius inaestimabilis odor erat in vestimentis eius.* de quibus vestimentis ipsamet dicit quasi gloriabunda, *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiae circumdedit me* Hęc vestimenta non inquinat, qui perpetuò se a mortiferis peccatis mundum seruat, & in virtutum officijs, sanctisque operibus perficiendis assiduus & feruens est. Vestimenta etiam dicuntur bona opera; vnde Sponsa, quæ se operibus tenebrarum exuerat, & vitiorum abiecerat vestimenta, dicit in Canticis, *Exui tunicam meam, quomodo iterum induar illam?* Sed qui fieri potest, vt talia hominum vestimenta nō sint inquinata, cum Isaias dixerit, *Facti sumus vt immundi omnes nos, quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Verum respondere ad hoc licet, iustitiam humanam dici immundam comparatione iustitiæ & puritatis diuinæ: vnde Iob dixit, *Nullus iustificabitur homo compositus Deo.* Et item, *Quid est homo, vt immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere?* Duppliciter autem potest quispiam vestimenta sua non inquinare; vel cū post Baptismū seu primam suā iustificationem, nullum postea, quoad vixit, peccatum mortale fecerit quod paucissimis contingit: vel cū actu habet charitatem & gratiam, studet seruire Deo in sanctitate & iustitia cunctis diebus vitæ suæ: & hoc omnibus verè pœnitentibus atque proficientibus certum est conuenire. Hactenus ex Carthusiano.

Matth. 22.
Prou. 10.
1. Pet. 4.
Esa. 62.
Cant. 5.
Locus Esaiæ 64.
Iob. 9.

†

SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 5. *Qui vicerit, non delebo eum de libro vitæ.*

MINVS videtur his verbis dici, quam significetur; neque enim magnum videtur, qui vicerit mundum & carnem atque Diabolum, pro maxima ei mercede promitti, non deletum iri ipsum de libro vitæ: Quod si liber vitæ significat æternam Dei prædestinationem ad cęlestem Patriam, vt ferè interpretantur, & Patres & Theologi Scholastici, nemo hominum potest deleri, quia prædestinatio prorsus est immutabilis; si autem non est prædestinatus, nunquam fuit in libro vitæ scriptus, ob idque non potest ex eo libro deleri. etenim rem ipsam rectè ęstimanti, maxima hæc videbitur merces: Non enim hoc in loco liber vitæ significat librum æternæ prædestinationis, hominum ad æternam gloriā; sed statum hominis iusti secundū præsentem eius iustitiam & gratiā: vt illorum verbum, *Non delebo eum de libro vitæ,* hic sit sensus; Conseruabo eum vsque ad finem, nec sinam labi eum in mortale aliquod peccatum, quo iustitiam amittat. Hoc autem promittere, non est aliud, quā perseuerantiæ donum polliceri; quo munere nil potest à Deo in hac vita optabilius & salutarius concedi: Ergo non deleri aliquem de libro vitæ, est, quantum ad effectum prædestinationis, qui est præsens gratia & iustitia, conseruare illū, ne vsque ad finem vitæ ab ea excidat.

21

Quid sit hoc loco nō deleri de libro vitæ.

Ioa-

Ioachimus. 22 Ioachimus hunc locum enarrãs, Quid, inquit, est aliud, *Non delebo nomen eius de libro vitæ,* nisi quod quorundam nomina Monachorum abrenuntiantium huic seculo, quæ in libro vitæ scripta esse videbantur, ob tepidæ ac remissæ conuersationis damna, deleta sunt de libro viuentium? Sic enim de quibusdã scriptum est, *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Deletur quippè de libro vitæ, & cum iustis non scribitur is, qui vocatus ad vitam, ad tempus quidem inter populos stare & florere videtur; sed non perseuerat, vt perueniat ad illud, quod dixit Petrus, *Satagite vt per bona opera certam vocationem vestram faciatis.* Quid enim in hoc loco per librum, nisi memoria illa Dei accipienda est, de qua dicitur, *In memoria æterna erit iustus.* Et bene quidem dicitur in æterna memoria fore iustos, quum illi, qui non perseuerant vt perueniant ad veram iustitiam, quæ corrumpi non potest in temporali quidem memoria haberi possunt, non autem in æterna, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Hæc ibi Ioachimus; vbi & alia subdit minime aspernanda, quæ nos referre supersedemus studio breuitatis.

Psal. 66.

2. Pet. 1.

Psal. 111.

Luc. 8.

Quomodo possit quispiam deleri de libro vitæ. 23 Sed explicandum nobis est, quemadmodum Scriptura dicat deleri aliquos, & non deleri de libro vitæ. Nam cum liber vitæ, secundum Interpretationem Patrum atque Theologorum, denotet diuinã præscientiam Prædestinatorum ad vitam æternam; hæc autem præscientia Dei fit prorsus immutabilis, fieri non potest, vt quisquam vel de nouo scribatur in libro vitæ, in quo antea scriptus non fuerat, & aliquãdo ex eo libro deleatur. Quomodo igitur Dauid dixit, *Deleantur de libro viuentium.* Et Dominus ipse hoc loco victoribus pro maxima mercede promisit, *Et non delebo nomen eius de libro vitæ?* quasi posset quisquam ex eo libro deleri, siue scriptus in eo esset, siue non esset. Respondet Ambrosius ad hanc quæstionem, dici aliquos deleri de libro vitæ non secundum veritatem, sed secundũ existimationem aliorum hominũ, qui putabant propter externa opera eorum illos esse sanctos, & de numero Electorum & prædestinatorum, & scriptos in libro vitæ: sed postea vel in hac vita, vel in die Iudicij cognoscentes eorum peccata, & damnationem, plane agnouerunt, ipsos non fuisse scriptos in libro vitæ: atque ita secundum existimationem, quam de illis habebant, quodammodo deleri sunt de libro vitæ. Ambrosij verba explanantis hunc locum Apocalypsis sunt huiusmodi; Si librum vitæ prædestinationem vocat, quomodo de libro vitæ aliquis deleri potest, cũ Apostolus dicat; *Quos prædestinauit, hos & vocauit. & quos vocauit, hos & iustificauit; & quos iustificauit, hos & glorificauit?* Nisi forte ita intelligamus, Sunt multi, qui ab hominibus iusti putantur, sed in conspectu Dei iniusti existunt. Ergo homines qui eos iustos esse putant, etiam in libro Dei esse scriptos existimant. Sed in die Iudicij, cum facta Reproborum & Iustorum omnibus patebunt, hæc inscriptio atque falsa suspicio a mentibus eorum delebitur, cum eorum damnationem peccatis eorum redditam conspexerint. Hæc Ambrosius.

Psal. 62.

Ad Ro. 8.

Iuxta hanc interpretationem 24 Ambrosij est quod tradit Augustinus in Commentarijs suis in Psalmos, enarrans verba illa Psalmi sexagesimi octaui, *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Ait enim istos dici deleri de libro vitæ non reuera, sed secundum opinionem, & spem ipsorum: cum autem postea videbunt se de numero esse Reproborum & Damnatorum, quodammodo deleri esse videbuntur de libro vitæ. Quo modo, inquit Augustinus, isti deleri dicuntur de libro

S. August.

vitæ,

vitæ, vbi nunquam scripti sunt? Sed hoc dictum est secúdum spem ipsorum, qui se ibi scriptos esse putabant. Quid est igitur, *Deleantur de libro vitæ:* hoc nimirum, etiam ipsis constet, eos nunquam scriptos fuisse in libro vitæ. Cùm enim perducta fuerit damnatio eorum etiã ad cognitionem ipsorum, tunc delebuntur de libro viuentium, id est, non ibi se scriptos esse cognoscent: nam hoc ipsum declarat versus ille qui proximè sequitur, *Et cum iustis non scribantur.* Dixi ergo, Deleantur secundùm spem eorum: secundùm autem iustitiam tuam dico, non scribantur, id est, appareat illis ipsos nunquam fuisse scriptos,

OCTAVA Disputatio.

Discutitur supradictæ Interpretationis Ambrosii & Augustini confutatio, quam facit Beatus Thomas.

S.Thomas. 25 Beatus Thomas in Prima Parte quæstione vigesima quarta, articulo tertio supradictam Interpretationem Ambrosij & Augustini, tacitis eorum nominibus, videtur improbare: sic enim scribit; Quidam dicunt quod nullus de Libro vitæ potest deleri secundùm veritatem, potest tamen aliquis secundùm opinionem hominum. Est enim consuetum in Scripturis, vt aliquid dicatur fieri, quando innotescit: & secundùm hoc aliqui dicuntur esse scripti in Libro vitæ, in quantum homines opinantur eos sibi scriptos esse propter præsẽtem iustitiam quam in illis vident: sed quando apparet vel in hoc sæculo, vel in futuro, quod ab hac iustitia illi exciderunt, dicuntur inde deleri. Et sic exponitur etiam in Glossa talis deletio super illud Psalmi sexagesimi octaui, *Deleantur de Libro viuentium.* Sed quia non deleri de Libro vitæ, ponitur inter præmia Iustorum, secundùm illud Apocalypsis Capite tertio: *Quia vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de Libro vitæ.* Quod autem Sanctis repromittitur, non est solùm in hominum opinione; ideò dicendum est, deleri vel non deleri de Libro vitæ, non solùm ad opinionem hominum esse referendum, sed etiam quantùm ad rem ipsam. Hæc Beatus Thomas.

Etenim pro Ambrosio & Augustino responderi potest illud, quod victoribus Dominus promisit, dicens, *Non delebo nomen eius de Libro vitæ*, nõ in sola opinione hominum esse positum, sed a Deo prouenire, & ad ingentem Sãctorum gloriam pertinere: plus enim illis verbis significat Scriptura, quã dicit, quod alias etiam facere solet; Dicens enim, *Non delebo nomen eius de Libro vitæ*, hoc significat, Palam faciam & ostendam omnibus, istos non esse extra beatam illam sortem meorum Electorum atque Prædestinatorum, sed esse è numero eorum quibus dicturus sum, *Venite Benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi:* Huiusmodi autem manifestatio fit a Deo vel in hac vita per Canonizationem sanctorum hominum, quam facit Ecclesia declarando aliquem esse de numero cœlestium sanctorum, & ab omnibus publico cultu ac veneratione honorãdum: Sed eiusmodi manifestatio multò erit illustrior, atque gloriosior in die iudicij, cùm Dominus Sanctorum virtutes ac benefacta patefaciet omnibus, eosque segregatos à Reprobis ad dexteram suam collocabit, & filios Dei atque hæredes æternæ gloriæ pronunciabit. Tunc videlicet dicent de illis Reprobi,

Psal. 68.

26 *Ambrosii, & Augustini interpretationis defensio.*

Matth. 25

Matth. 25

Nos

Loc. Sap. 5 *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Hęc porrò quam dixi, manifestatio, etiamsi notitiam, & existimationem hominum attingit, potissimùm tamen a Deo procedit, & amplissimum Sanctorum honorem & gloriam continet. Huc spectat quod dixit Apostolus, *Nolite*, inquit, *ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium & tunc laus erit vnicuique à Deo.* (1. ad Cor. 4)

Rupertus. 27 Audiat Lector hæc ipsa quæ diximus, Rupertum hisce verbis confirmantem: Dicens Dominus, *Non delebo nomen eius de Libro vitæ,* minùs dixisse videtur, quam habet veritas meriti, eo videlicet locutionis modo, qui Græcis dicitur ταπείνωσις, id est, humilitas orationis in re magna. Hoc etenim verè de illo dici posse videtur, qui post fornicationes & adulteria conuersus pœnitentiam egit. Verùm quod hic minus dixerat, suppleuit mox magnificentiùs addendo illud quod proximè sequitur, *Et confitebor nomen eius coram Deo meo, & coram Angelis eius.* Ibi ergo per negationem dicens, *Non delebo nomen eius qui vicerit de Libro vitæ,* simul etiam illum percutit, qui non vicerit; consequitur enim vt deleam nomen eius de Libro vitæ. Rupertus.

NONA. Disputatio.

Defenditur Beati Thomæ sententia de modo quo aliqui dicuntur in Scriptura deleri de Libro vitæ à quibusdam oppugnata.

28 SEd videamus quem in modum Beatus Thomas eo ipso, quem dixi loco, intelligi velit id, quod nonnullibi significatur in Scriptura, posse aliquos in Libro vitæ scribi, in quo antea scripti non fuerant; & qui in eo Libro fuerant scripti, ex eo posse deleri. Est, inquit Beatus Thomas, Liber vitæ conscriptio ordinatorum ad vitam æternam, ad quam ordinatur aliquis dupliciter; vel ex diuina prædestinatione, & hæc ordinatio nūquam deficit; vel ex præsenti gratia, quicumque enim habet gratiam, hoc ipso dignus est vita æterna. Sed huiusmodi ordinatio interdum deficit; aliqui enim ordinati sunt ex gratia quam habent ad habendam vitam æternam, à qua tamen deficiunt, quia in peccatum mortale lapsi gratiam amittunt, & in eo statu moriuntur. Quicumque itaque ordinati sunt ad vitam æternam ex diuina prædestinatione, propriè ac simpliciter cōscripti sunt in Libro vitæ, quia sunt ibi scripti vt habituri vitam æternam in semetipsis, & isti nunquam delentur de Libro vitæ. Sed illi, qui sunt ordinati ad habendam vitam æternam, non ex prædestinatione diuina, sed solùm ex præsenti gratia, dicuntur scripti in Libro vitæ, non simpliciter, sed tantum secundum quid, quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam,

S. Thomas.

nam, non in seipsa, sed in sua causa; & tales possunt deleri de Libro vitæ, sic tamen intelligendo, vt deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus prius aliquid sciat, & postea nesciat; sed ad rem scitam, quia Deus scit aliquem prius ordinari ad vitam æternam cùm habet gratiam, & posteà non ordinari cùm excidit. Sicut autem potest aliquis de Libro vitæ deleri eo modo quo diximus, ita de nouo potest in Libro vitæ scribi, vel secundùm opinionem hominum, vel
8 quia de nouo incipit habere ordinem ad vitam æternam per gratiam quam de nouo accipit. Hæc Beatus Thomas.

Ribera confutatio supradictæ opinionis S. Thomæ.

29 Sed enim non admodùm placet nostro Riberæ duplex hæc vsurpatio Libri vitæ quam tradit Sanctus Thomas. Ait enim, neque in sacra Scriptura, neque a Patribus aliter vsurpari nomen Libri vitæ, quàm ea ratione, vt denotet diuinam præscientiam hominum ordinatorum ad vitam æternam: Ergo sicut præscientia diuina nullo modo falli, ita nec ea ordinatio mutari vnquam potest. Huius certè rei manifestus adstipulator & probator videtur esse Beatus Augustinus, qui Capite XV. libri XX. de Ciuitate Dei, quid sit liber vitæ, declarat his verbis, Non Deum Liber iste commemorat, ne obliuione fallatus; sed prædestinationem significat eorum quibus æterna dabitur vita: Neque enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit vt sciat; sed potiùs ipsa eius præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo illi scripti sunt, id est, præcogniti. Sic Augustinus.

S. August.

30 Verùm contra istam Riberæ obiectionem facilis est Beati Thomæ ac prompta defensio; Is enim fatetur, nomen Libri vitæ simpliciter ac propriè acceptum significare tantùm ordinationem hominum ad vitam æternam ex diuina prædestinatione, quæ est omnino immutabilis: & ita nemo potest de nouo scribi in Libro vitæ, aut ex eo deleri. At verò nomen Libri vitæ minùs propriè & secundum quid acceptum denotat ordinationem hominum ad vitam æternam, non ex diuina prædestinatione, sed tantùm ex præsenti iustitia, quæ de nouo haberi, & amitti potest: & ideò secundùm hanc significationem Libri vitæ dicuntur aliqui de nouo in eo scribi; vel ex eo deleri. Cùm igitur sacra Scriptura & Patres loquantur de Libro vitæ simpliciter & propriè accepto, mirum non est, si eum semper vsurpent ea ratione, vt significat immutabilem ordinationem hominum ad vitam æternam ex diuina præscientia & prædestinatione. Adducti porrò Theologi sunt ad tradendum posteriorem illam significationem Libri vitæ; quòd per eam expeditum ac promptum videretur declarare, quemadmodũ aliqui de nouo scribi possent in Libro vitæ, aut ex eo deleri, quod tamen quibusdam in locis diuina Scriptura significare videtur, vt suprà ostendimus. Verùm quid sit Liber vitæ, & quemadmodum ex eo quis deleri possit, copiosè disputauimus in libro 15. Commentariorum nostrorum in Danielem super illis verbis Capitis XII. *Saluabitur omnis, qui scriptus fuerit inuentus in Libro vitæ*. Et in secundo Tomo nostro selectarum Disputationum, in Epistolam ad Romanos, in quarta Disputatione super nonum Caput eius Epistolæ.

†

DECI-

DECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 7. *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe:*

An iste Episcopus fuerit Beatus Quadratus.

Petrus Aureolus.

31 HÆc est Beati Ioannis sexta Epistola scripta ad Episcopum Philadelphiensis Ecclesiæ; quem Episcopum arbitratur Petrus Aureolus fuisse Beatũ Quadratum, virum & doctrina, & scriptis, & functionis Episcopalis laude, & ætatis antiquitate, & martyrij gloria in Ecclesiasticis Historijs valde celebratum. Sextam Epistolam, inquit Aureolus, ad Episcopũ Philadelphiensem, & ad Ecclesiam ei subiectam scripsit Beatus Ioannes; in qua hortatur eum, & populum eius ad lõganimitatem, & perseuerantiam: Fuit autem iste Episcopus Quadratus, Doctor multũ excellens, & sub Adriano Imperatore defensionem Fidei cõscripsit, vt testatur Eusebius libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ c. 3. quamobrẽ odiosus fuit Iudæis & blasphemabatur ab eis, qui fidem Christi contra eorum vaniloquia strenuè defendebat. Ioannes itaq; scribens isti Episcopo & Ecclesiæ ipsius, primò Quadrati ponit commendationem, quantùm ad doctrinam, ei ostium Scripturæ apertum, dicens: *Scio opera tua; ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.* Deinde, laudat eius fidem, & in eius confessione ac professione constantiam, cùm ait: *Seruasti verbum meum & non negasti nomen meum.* Tũ promittit ei victoriam aduersùs Iudæos ipsi valdè infensos atq; infestos, dicens, *Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos; & scient quia ego dilexi te, quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, tentare habitantes in terra.* Adhæc, hortatur eum ad longanimitatem & perseuerantiam, verbis illis, *Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo coronam tuam accipiat.* Denique, perseuerantiæ eius, ac victoriæ præmium exponit, dicens; *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs, & scribam super eum nomen Dei mei, &c.* Hactenùs ex Aureolo.

32 Hanc de Quadrato Aureoli sententiam referens Lyranus, tacito eius nomine, vocat cõmunem Doctorum expositionem, nec eam ipse improbat. Eam certè ratio temporum nequaquam excludit: Quadratus etenim claruit in Ecclesia Christi circa annum Domini centesimum vigesimum quintum, id est, annis paulò ampliùs viginti quinque post conscriptam a Beato Ioanne Apocalypsim. Adiuuare præterea videtur istam opinionem, quòd omnia quæ Ioannes isti Episcopo scripsit in hac Epistola, pertinent ad magnam eius laudem, vt ex eo intelligere liceat, fuisse eum id temporis apud Christianos memoratissimum. Talem porrò virum fuisse Quadratum, vel ex paucis, quæ de eo scripsit Beatus Hieronymus, existimare licet: In Epistola enim octogesima quarta, quam Magno Oratori Romano scripsit, hæc de eo ait, Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ, Adriano Principi Eleusinæ sacra inuisenti, librum pro nostra religione tradidit: & tantæ admirationi omnibus fuit; vt persecutionẽ grauissimam illius excellens sedaret ingenium. Idem de eodem in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ita scribit, Quadratus

Auctoris iudiciũ de supradicta opinione Aureoli.

S. Hieronym.

dratus Apostolorum discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob fidem Christi martyrio coronato, in locum eius substituitur, & Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregat: Cumque Adrianus Imperator Athenis exegisset hyemem, inuisens Eleusinam, & omnibus pene Græciæ sacris initiatus dedisset occasionem ijs qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare Credentes; perrexit ei librum pro nostra religione compositum, valde vtilem, plenumque rationis & fidei, & Apostolica doctrina dignũ; in quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens ait, plurimos à se visos, qui à Domino varijs in Iudæa oppressi calamitatibus sanati fuerant, & qui à mortuis resurrexerant. Hæc de Quadrato Beatus Hieronymus. *Eusebius.* Eusebius præterea scribit, eum prophetico Spiritu claruisse. Atque huiuscemodi sunt, quibus probari posset, Quadratum fuisse istum Philadelphiensem Episcopum, ad quem Beatus Ioannes sextam hanc scripsit Epistolam. Etenim istam de Quadrato Aureoli opinationem illud apertè refellit, quòd Quadratũ fuisse Episcopum Atheniensis Ecclesiæ, apud Hieronymum, & alios veterum Scriptorum legimus; in cuius etiam Episcopatus functione, & in ea ipsa vrbe Athenarum, per martyrium gloriosam obiuit mortem. Fuisse vero eum Philadelphiensis Ecclesiæ Episcopum, in nullis Ecclesiasticis Historijs est proditum, nec veterum Scriptorum vllus memoriæ tradidit; vt ex eo satis appareat, opinionem Aureoli haudquaquam esse probabilem.

†

VNDECIMA Disputatio.

Quid sit habere claues Dauid.

VERS.2.

Super illis verbis:

Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.

Exponuntur aliorum Auctorum interpretationes.

Qvid hoc loco significet habere clauem Dauid, variæ sunt Auctorũ Interpretationes, quas ego hic subtexã, appositis eorum proprijs & nominibus & verbis. 60
Primasius. Primasius Clauem vocat regiam Christi potestatem: Dicitur autem clauis Dauid, siue quia de eius stirpe natus est Christus; siue quia ipse multa de Christo vaticinatus est: Christi autem dispensatione tanquam claue, Legis, & Prophetarum, & Psalmorum arcana patuerunt, ipsomet testante Domino, *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me.* *Luce 24.* *Ipse aperit, & nemo claudit; & ipse claudit, & nemo aperit.* Legis enim diuinæ secreta, solius Christi potestate panduntur fidelibus, & clauduntur incredulis: sicut illo soluente nullus potest ligare; quo etiam ligante nullus absoluit. *Ambrosius* Ambrosius, In domum obseratam, inquit, nullus nisi per clauem potest introire: Dicitur autem Filius Dei habere clauem Dauid, quia ipse hominem

nem assumpsit ex genere Dauid: homo autem Christus Clauis appellatur, quia per eum reserata sunt omnia, & quæ Deus Dauidi, & quæ Dauid de Deo locutus est. Sed quid aperit, & quid claudit? Aperuit Christus vetus Testamentum ad intelligendum diuina mysteria quæ in eo latebant, quam intelligentiam nemo claudere, id est, obscurare ac destruere poterit: clausit verò obseruantiam litteræ legalis superfluam, quam nullus aperire poterit. Aperuit etiam corda Gentilium ad percipiendam Euangelicam doctrinam & fidei gratiam, quæ nullus persecutorum claudere poterit: clausit atque destruxit culturam Idolorum, quam nullus persecutor aperire potuit. Aperiet etiam Electis aditum regni cœlestis, quem nulla vis Dæmonum claudere poterit: clausit verò aditum illum Reprobis, quem nulla vis & potestas aperire eis poterit. Andreas Cæsariensis. Dauidicæ, inquit, clauis appellatione eiusdem regia potentia designatur, quandoquidem clauis inter potestatis symbola censeri solet. Clauis rursum libri Psalmorum, omnisque adeò prophetiæ Spiritus Sanctus est, per hunc enim omnes diuinarum rerum cognitionis thesauri aperiuntur. Et priorem quidem clauem accepit Christus qua homo est, posteriorem vero vt sempiternus Deus naturaliter obtinet. Quia verò in vetustis quibusdam exemplaribus pro illo *Clauem Dauid*, legitur *Clauem Inferni*, per Inferiorū clauem, vitæ, mortisque potestatem penes Christum esse significatur. His persimilia, & propemodum eadem tradit Aretha; additis tamen nonnullis, quæ visa sunt mihi esse hic commemoranda; sic autem scribit. Clauem Dauid appellans, omnipotentem demonstrat Christi virtutem, per quam etiam diuinæ sapiētiæ thesauri aperiuntur. Clauem itaque Dauid vocat potestatem, qui enim habet potestatem claudendi & aperiendi domum, huic etiam cura domus commissa est. Licet hoc etiam discere ex Euangelio, dixit enim Dominus Petro, *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. quoniam autem clauis designat potestatem, dicens habere se clauem Dauid, hoc videlicet significare voluit, quemadmodum Dauid rex super carnalem Israel temporaliter regnauit, ita quoque ipsum super Israel spiritualem regnaturum in æternum: quod affirmauit etiam Gabriel, dicens, *Dabit illi* Deus *sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quoniam igitur similitudinem regni Dauid ferebat Christus, meritò dictum est, *Qui habet clauem Dauid ad aperiendum, & claudendum*, aperire vocans iustificare, claudere autem, condēnare; sua namque potentia & iustificat bonos, & condemnat impios.

Andreas. — Matth. 16. — Luc. 1.

34 Rupertus sic verba hæc interpretatur. Qui dixit, *Qui habet clauem Dauid*, poterat sic dicere, Qui habet clauem omnium Prophetarum, & ad eorum intelligentiam quoscumque vult intromittit: Sed voluit vnum Dauid pro vniuersis Prophetis ponere, quod ille primus in ordine Prophetarum, Filij Dei, simulque Filij sui mysteria & factis suis præfigurauit, & calamo præscripsit, & psalterio cecinit; tanta quippe sunt in eius factis & dictis Sacramenta, vt cuicumque hæc reserata fuerint, à cęterorum sensibus Prophetarum exclusus esse non possit: nam quia primus post Legem propheticam Scripturam edidit, omnis propheticus sermo in eius nomine potest & debet sub intelligi. Quænam autem est ista clauis, nisi gratia Spiritus Sancti? Ipse namque est illuminatio cordis, ipse est declaratio sermonum Dei, quæ illuminat, & intellectum dat paruulis. Vnde Apostolus dixit,

Aretha. — Psalm. 118

1. ad Cor. 2 xit, *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Potentiam verò siue efficaciam huius clauis commendans, continuò subiungit, *Qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit.* Et hoc quidem indubitanter credere oportet, & credendo humiliter timere. Nam verè cui clauiger iste per Spiritum intelligentiæ veritatem Dei, quę sacris in Scripturis continetur, aperit, nemo illum claudit siue concludit mendacijs, & falsarum argumentationum artificijs. Semper enim habens ostium apertum, intrò recurrit, & parata Scripturæ testimonia corripiens, tanquam bonus sagittarius certa in hostem tela dirigit: Contra verò, cuicumque iste clauserit, vt verba veritatis intelligere non possit (quod cùm facit, iusto vtique facit iudicio, verbi gratia, ne *Matth. 17* margaritas proiectas ante se, conculcent porci) nemo est qui intelligere possit, quantumlibet clamando, & docendo strepitum deforis faciat. *Haymo.* Haymo, Clauem Dauid, inquit, debemus intelligere incarnationē Christi, de stirpe enim Dauid secundùm carnem descendit: Ostium autem quod ista clauis aperit & claudit, ipsum intelligimus Dei atque hominum Mediatorem, per quem ad vitam æternam, quæ ipse est, intramus, ipso dicente, *Ego sum* *Ioan. 10.* *ostium, per me si quis introierit, saluabitur*, &c. Sic enim ipse clauis & ostium dicitur: sicut pastor ostia- *Ibidem.* rius simul, & ostium vocatur. Quare cùm clauis Dauid ostium aperit, seipsum vtique aperit, qui est secundùm carnem natus, & passus, & à mortuis suscitatus. Hoc autem ostiū priùs clausum omnibus fuit, exceptis Prophetis & sanctis Patribus, qui per Spiritum Sanctum futurum eius cognouerunt aduentum: nunc autem omnibus in Christum credentibus patefactum est, clausum verò infidelibus manet. Istud ostium nemo potest claudere ei, cui Christus aperire voluerit; vnde legimus in Actibus Apostolorum, quod cùm cæsis Discipulis denuntiarent Iudæi, ne loquerentur in nomine Iesu, protinus ipso eorum os aperiente, nemo illud claudere poterat, vnde responderunt illi, *Non possumus* *Act. 4.* *quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Contra vero ostium hoc Asianis aperire tentauerunt Apostoli, sed quia Christo claudente aperit, prohibuit eos Spiritus sanctus, ne in Asia loquerentur verbum; sic *Act. 16.* enim scribit Lucas, *Cum venissent in Mysiam, tentauerunt ire in Bythyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* Possumus etiam ostium istud, quod aperit & claudit Dominus, intelligere sacram Scripturam. Aperuit autem hoc ostium, quando post resurrectionem suam duobus discipulis in via ambulantibus aperuit sensum vt intelligerent Scripturas, atque in se adim- *Luc. ult.* pleta esse docuit, quæ scripta erant in Lege Moysi, & in Prophetis, atque in Psalmis.

Sanctus Thomas in supplemen- *S. Thomas.* to ad Tertiam Partem in quæstione decima septima, articulo primo, in responsione ad secundum, ait sententiam hanc Apocalypsis, *Qui habet clauem Dauid*, &c. intelligi de clausione, qua Christus limbum clausit, ne aliquis vltrà illuc descendat; & de apertione, qua Paradisum aperuit, remoto per suam passionem impedimento introitus in ipsum, quod per Adæ peccatum fuerat appositum. Idem etiā in responsione ad tertium ait, Clauem inferni, qua ipse aperitur & clauditur, esse potestatem conferendi gratiam, per quā homini aperitur infernus, vt homo exeat à peccato, quod est porta inferni; clauditur verò infernus, præseruando hominem ne vltra in peccatum relabatur. Hæc autem auctoritas remittendi peccata, & conferendi gratiam, in Deo quidem est secundùm auctoritatem,

tatem, in Christo homine secundum excellentiam, in Ecclesia secundum ministerium. An verò idem sit clauis Regni cœlorum, atque clauis Inferni, eodem in loco disputat S. Thomas.

36 Atque hæc quidem super hoc Apocalypsis loco ab eius libri Explanatoribus prodita sunt, quorum varias Interpretationes, a nobis hic commemoratas, pensitanti manifestum sit, eos Auctores, quod hic dicitur, Christum habere clauem Dauid, tripliciter esse interpretatos. Quidam enim clauem Dauid interpretantur sciẽtiam mysteriorum, quæ latent in sacra Scriptura, præsertim verò in Psalmis Dauidis, qui post Legem primus Prophetarũ plurima Christi mysteria & factis, & dictis, & canticis mirabiliter præsignauit. Hanc scientiam Scripturarum cui non vult, non largitur, & hoc est claudere ei Scripturas. Simile cuius est id, quod in Euangelio dixit Dominus, *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Abscondere, est claudere; reuelare, est aperire. Alij nomine Clauis Dauid hoc loco significari putauerunt regiam potestatem Dauidis, secundum hanc enim Dauid plurifariam Christi Domini nostri potestatem atque imperium mirifice præfigurauit: Quamobrem Archangelus Gabriel de eo dixit, *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Quam etiam ob causam multa in Sacris litteris de potestate atque imperio Dauidis & Salomonis dicuntur, quæ non illis, nisi aliqua tantum ex parte, sed Christo Domino, cuius illi præferebant figuram, plenè perfecteque conueniunt: quod apertè licet ex Psalmo secundo, & septuagesimo primo cognoscere. Per huiusmodi porrò clauem, id est, potestatem, Christus quibus vult aperit, vel claudit domum, & regnum suum, quæ est Ecclesia fidelium in terris militans & Beatorum in cœlis triumphans. Aperit eis, quos in Ecclesiam suam admittit, dando eis fidem & remissionem peccatorum, aliaque dona gratiæ suæ; claudit eis quos non admittit in Ecclesiam, sed iusto suo iudicio relinquit eos in sua infidelitate ac cęcitate. Nonnulli demum Clauem Dauid interpretati sunt ipsummet Christum, qua homo est, vel humanam eius naturã ex stirpe Dauid acceptam, secundum quam natus, ac cum hominibus conuersatus est, & pro hominibus mortuus, & à mortuis excitatus, & ad cęlos eleuatus, & ad dexteram Dei Patris collocatus, Iudexque omnium constitutus est. Cur autem humana Christi natura Clauis appelletur, & quo modo per eam, & quibus aperiat vel claudat Christus Dominus, benè declarauit Haymo in loci eius explanatione, quam nos paulò supra commemorauimus.

†

Sũma prædictarũ interpretationum.

Matth. 11

Lucæ 1.

DVODECIMA Disputatio.

Ponitur Auctoris ipsius explanatio eorundem illorum verborum:

Qui habet Clauem Dauid, aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.

37 IVVAT etiam me, quid sentiam ipse super hoc celebri loco Apocalypsis, breuiter indicare Lectori, nec tam superioribus diuersa sum dicturus, quam paulò distinctius expressiusq; declaraturus id, quod propriè attingit germanam huius loci intelligentiam. Sciat igitur Lector, nomine Clauis præter propriam & vulgarem eius significationem, duas res in diuina Scriptura, secundùm figuratam & mysticam locutionē, denotari; sciētiam dico rerum abditarum & occultarum, quas non facile fit à quoquam, nisi alio docente, intelligi, & insignem quampiam potestatem faciendi aliquid. Prioris significationis exemplum habemus apud Lucam Capite vndecimo, in illis verbis Domini, *Va vobis Legisperitis, quia tulistis Clauem scientiæ; ipsi non introistis, & eos qui intrabant, prohibuistis*: quasi diceret, Accepistis scientiam sacrarum Scripturarum & mysteriorum Dei, vt & ipsi ea cognosceretis, & alios doceretis: Per quam scientiam cognoscere potuistis, me verum esse Messiam toties in diuinis Scripturis promissum & prædictum; sed neque me voluistis cognoscere ac recipere, & ab alijs cognosci me ac recipi prohibuistis: quasi claudentes eis veritatem Dei, quam aperire debueratis. Secundùm hanc porrò significationem Clauis, complures arbitrantur dictum esse in hoc loco, Christum habere Clauem Dauid, id est, ab eo esse veram & rectam diuinarum Scripturarum intelligentiam, quam dare homini, est aperire ei Scripturas; non dare autem, est claudere. Ex quo apparet, neminem posse diuinam Scripturam, sicut oportet, intelligere; nisi Deum eius sensum atque intellectum flagrantissimè concupiscēs David, obnixè petebat à Deo illis verbis: *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam.* Et alibi: *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Et alio loco: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* quæ Dauidis verba quasi mirabundus in Epistola ad Paulinum de institutione Monachi commemorans Sanctus Hieronymus, Si ad mysteria, inquit, diuinarum Scripturarum perscrutanda & pernoscenda tantus Propheta tenebras ignorantiæ suæ confitetur, qua nos putat paruulos ac penè lactantes inscitiæ nocte circumdari? Enimuerò, sicut diuina Scriptura non humano, sed diuino Spiritu facta est; ita non aliter alio, quam diuino Spiritu quispiam rectè atque vt oportet intelligere atque interpretari potest. *Omnis enim Prophetia Scripturæ*, ait Beatus Petrus, *propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Istam ergo huius loci Apocalypsis interpretationem, vt verissimam esse non negauerim, ita huic loco non admodum esse congruam aptamque dixerim, quod erit manifestum ex his quæ mox subijciam.

Locus Lucæ cap. 11.

Psal. 118. Ibidem. Ibidem.

S. Hierony

2 Pet. 1.

Posterioris verò significationis, 38 qua nomen Clauis significat insignem quampiam potestatem faciēdi aliquid, multa sunt in Sacris exem-

exempla, & in primis illud apud Esaiam Capite vigesimosecundo, vbi Dominus declarans potestatẽ, quam daturus erat seruo suo Eliachim, ait, *Dabo Clauem domus David super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Sed hunc locum Esaiæ separatim proprieque tractaturi sumus in ea, quæ hanc proximè sequitur disputatione.

Locus Mat. 16. Eodem spectat illud, quod apud Matthæum legimus dixisse Petro Dominum; *Tibi dabo Claues regni Cœlorum: quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Magna profectò miraque homini data potestas aperiendi & claudendi cœlum, nec sanè ad pluendum, vel non pluendum super terram; qualis fuit Eliæ potestas; sed ad introducendum homines in regnum cœlorum, vel ab eo excludendum. 3. Reg. 17. Hac item significatione nomen Clauis in quatuor locis huius libri Apocalypsis vsurpatum est: Primum in Capite primo; *Ego*, inquit, *Dominus habeo Claues Mortis & Inferni.* Deinde, in hoc tertio Capite; *Qui habet Clauem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Tum initio Capitis noni, *Vidi Stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei Clauis putei abyssi; & aperuit puteum abyssi, &c.* Denique principio Capitis vigesimi, *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem Clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem, & Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satan, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, &cæt.* Secundùm hanc itaque significationem nomen Clauis positum est in illis verbis huius loci, *Qui habet clauem David, &cæt.* Significatur enim istis verbis, Dominum habere summam & absolutam in Ecclesia potestatem aperiendi eam quibus vult, & claudendi. Aperit eis, quos admittit in Ecclesiam suam, dando ipsis fidem & gratiam suam; claudit, quibus hæc non largitur, in sua eos impietate ac cœcitate relinquens. Hanc porrò esse congruam loci huius interpretationẽ & intelligentiam, satis declarant verba illa quæ proximè sequuntur, *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo prohibere potest.* Quibus verbis iubet Dominus sanctum illum Episcopum Philadelphiensem bono esse animo, nec timere ne ob graues & atroces persecutiones, aliquos de suis fidelibus amittat; sed sperare potius fore, vt multi per eius merita, & orationem atque prædicationem, à sua impietate conuersi ad verum Deum, ingrediantur Ecclesiam. Habere enim vel dare ostium apertum, vbi sermo habetur de hominum conuersione ad Deum, phrasis est Scripturæ significans, magnam quandam occasionem & opportunitatem & facilitatem & copiam conuersionis hominum ad Deum; quod liquet vel ex vno illo loco prioris epistolæ ad Corinthios Capite decimosexto. *Permanebo*, inquit Paulus, *Ephesi vsque ad Pentecosten: ostium enim mihi apertum est magnum & euidens.* quia multi videlicet per eius prædicationem ingressuri erant in Ecclesiam, & ad Societatem fidelium aggregandi.

Huius autem sententiæ, *Qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*, satis est affinis illa Iob in Capite duodecimo: *Si destruxerit,* (Dominus Deus) *nemo est qui ædificet; si incluserit hominem nemo est qui aperiat.* 39 Locus Iob c. 12. Cuius sententiæ posteriora illa verba, *Si incluserit, nemo est qui aperiat*, explanans Beatus Gregorius libro vndecimo Moralium capite octauo. S. Gregor. Omnis, inquit, homo per id quod malè agit, quid aliud sibi, quam conscientiæ suæ carcerem

cerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiam si nemo exterius accuset; Qui cùm in malitiæ suæ cęcitate, Deo iudicante, relinquitur, quasi intra semetipsum, trahit, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Rectè igitur dictum est; *Si incluserit hominem, non est qui aperiat*. quia sicut nemo resistere potest largitati vocantis, ita nullus obuiare potest iustitiæ relinquentis. Includere autem Deum, est clausis non aperire, sicut obdurare dicitur hominem per iustitiam, cuius reprobum cor per gratiam non emollit. Includit atque hominem Deus, quem in suorum operum tenebris relinquit. Quasi enim aperire hanc inclusionem voluit Isaac primogenito suo Esau, cùm eum fratri eius Iacob præponere benedicendo conatus est; sed ipse aperire non potuit, quem Deus omnipotens in suæ carcere malitiæ incluserat.

DECIMA TERTIA Disputatio.

Explicatur similis locus qui est apud Isaiam, continens illa Domini verba.

Esaia c. xxii & vers. 22 *Et dabo Clauem domus David super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; claudet, & non erit qui aperiat.*

46 MAGNAM profectò cum hoc Isaiæ loco habet cognationem locus Apocalypsis, quem in proximè antecedenti Disputatione explicauimus, prorsus adeò, vt cum Dominus in hoc loco de se dixit, *Qui habet Clauem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*, ad istum locum Esaiæ respectum habuisse videatur, & ad personam Eliachim de quo sermo illic habetur, qui multis rebus figuram CHRISTI minimè obscuram gessit. Narrauerat autem Esaias proximè ante eum locum, quemadmodùm DEVS Somnam præpositum templi dignitate ac potestate, qua præcellebat, abdicauerit, eamque transtulerit in Eliachim: Hęc enim sunt DEI verba, *Hæc dicit Dominus exercituum, Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Somnam præpositum templi, & dices ad eum*, & cætera, & paulò infra Somnam compellens, *Et erit*, inquit, *in illa die, Vocabo seruum meum filium Helcia, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo illum, & potestatem tuam dabo in manu eius, & erit quasi pastor habitantibus Ierusalem, & domui Iuda*. Post hæc sequuntur verba illa in titulo Disputationis huius posita, *Et clauem dabo domus David super humerum eius*, & cætera. Quibus verbis significatur, habuisse Eliachim summam potestatem in domo Dauid: quam domum nonnulli interpretantur domum, & aulam regiam, in qua secundùm Regem fuerit Eliachim dignitate & potestate primus. Hebræi verò & Beatus Hieronymus, aliique domum Dauid intelligunt templum DEI, cuius præpositus, & Pontificia dignitate præditus fuerit Eliachim. Nam etsi templum fabricatum est à Salomone, primus omnium tamen Dauid consilium fabricandi eius cepit, omniaque futuræ ædificationi necessaria comparauit, & perfecisset, nisi 2. Reg. 7.

nisi à Deo esset prohibitus: Nihilominus tamen omnem ipse formam & rationem ædificij præscripsit Salomoni, & materiam atque sumptus perficiendo operi reliquit, vt mirum non sit, appellari templum, Domum Dauid. Sed quò apertius intelligeretur, ista verba dicta esse de Eliachim ea potissimũ ratione, vt is præfigurabat Christum Dominum: Septuaginta Interpretes ex suo sensu nonnulla verba, quæ non sunt in Hebræo, addiderunt, ita vertentes hunc locum, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius. & aperiet, & non erit claudens: & claudet, & non est aperiens. Et dabo gloriam Dauid ei, & imperabit, & non erit contradicens.* Quid est, *Non erit contradicens?* Hoc declarans Procopius, Etsi, inquit, contradixit ei Israel, seruierunt ei tamen Gentes. Vnde quæ dixit per Prophetam Dauid, *Libera me à contradictionibus populi, &c, Constitues me in caput Gentium, &c. Populus quem nõ cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, &c, Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & Paulus de eo dixit: *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, omnia subiecta erunt ei.*

Procopius. Psalm. 17. Ibidem. Ibidem. Psal. 109. 1. ad Cor. 15.

Quid sit habere clauẽ super humerum. Forerius.

Sed quid est, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*, quid, inquam, est, dare super humerum? Forerius sanè quam diligens & accuratus Sacrarum litterarum Explanator, hunc in modum interpretatur, Magnas claues solent clauicularij super humeros deferre Nec verò dubium esse debet viro Christiano, & docto, Clauium nomine, immo tota hac periphrasi, potestatem designari; vbique enim claues potestatem declarant: Claues etenim deuicti populi deferunt victori: claues etiam tradunt magistratus eis, quos in possessionem legitimę introducunt. Quapropter non erat cur noui Hæretici tenebras populo Dei offunderent, dum illum Euangelij locum, *Tibi dabo claues regni cælorum*, eneruare volentes, persuadere in doctis conantur, non ibi potestatem à Domino esse concessam, sed scientiam; iuxta alium Euangelij locum; *Tulistis clauem scientia, &c.* Sed quid aliud est illud, *Quodcumque ligaueris, erit ligatum*: quam quod dicitur hoc loco, *Claudet, & non erit qui aperiat; aperiet, & non erit qui claudat?* nam & ligata Hebraismus nonnunquam appellat clausa, & aperta vocat soluta. Ioannes quoque in Apocalypsi omnimodam Christi potestatem declarauit his ipsis verbis, *Qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Et alio loco inducit Angelum habentem claues abyssi, quod est habere potestatem illuc mittendi, & ibi claudendi. Hæc ille.

Matth. 16. Luca 11. Apoc. 20.

Adamus verò enarrans illud 42 Esaiæ dictum, *Factus est principatus super humerum eius*, quid sit illud, *super humerum*, ita declarat, Phrasis est, inquit, Scripturæ, à Iudæorum more profecta, qua significatur puerum illum futurum Principem, & Regem, & Imperatorem Desumpta videtur hæc locutio ab ijs, qui virgas in humeris gestabant, quæ Iudæis signa erant potestatis aut imperij. Sic in præcedentibus verbis dictum fuit, *Virgam humeri eius superasti*, id est, potestatem eius atque imperium: & apud Romanos fasces præferebantur, quibus significabatur potestas & auctoritas publica: cuius potesta is & auctoritatis tempore Beati Pauli signum erat gladius, sicut indicant illa eius verba ad Romanos Capite XIII. *Non sine causa gladium portat.* Simili vsus est locutione Isaias infra Capite vigesimo secundo, *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Quanquam ibi ista phrasi non solum significatur potestas & possessio, sed etiam potestatem imperij habere ad manũ & in promptu, vt quic-

Adamus. Esa. 9. Locus Pauli ad Ro. 13

quid velit, facilè exequi valeat. Hac itaque phrasi duo in Scriptura significantur, interdum quidem potestas imperij, aliquando verò id, quod ad manum, & in humero est, vel super humerū esse dicitur; iuxta quam significationem dictum est illud à Iob, Capite trigesimo primo, *Et librum scribat ipse, qui indicat, vt in humero portem illum*, id est, vt circumferam illum, & sit mihi quasi Enchiridion & Manuale. Hæc Adamus.

Locus Iob capite 31.

43 Etenim verò, Patres & antiqui Ecclesiæ Doctores istud Esaiæ de Christo vaticinium de sanctissima Cruce interpretati sunt, quam Dominus Iesus portauit humeris suis & per mortem in Cruce pro salute humani generis obitam, habere meruit imperium totius mundi, omnemque potestatem in cęlo & in terra, teste Apostolo, qui de Christo dixit, *Factus est obediens vsq; ad mortē, mortē autē Crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genuflectatur, Cęlestium, terrestrium, & infernorum.* Et Dominus noster loquens de morte quam ipse sublatus in crucem subiturus erat, *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* In hoc etiam Libro Apocalypsis Capite quinto scriptum est, *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quę sunt in mari, &c.*

Ad Philip. 2.

Ioan. 12.

Audiat Lector Tertullianum; is enim in Libro aduersus Iudæos, vbi disputat, veteres illos Patriarchas figuram Crucis præmonstrasse, istum locum Isaiæ tractans, ita scribit, Quis omnino regnum insigne potestatis suę humero præfert, & non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliqua proprietate vsus noua? Sed solus nouus Rex nouorum seculorum Christus Iesus nouam gloriam, & potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit, Crucem scilicet, vt secundum Dauidis prophetiā, exinde Dominus regnaret. Hæc Tertullianus, qui eadē, atque ijsdem verbis scribit in libro tertio aduersus Marcionem. Illa porrò verba, quæ citat Tertullianus, *Dominus regnauit à ligno*, desumpta sunt ex nonagesimo quinto Psalmo, secundum antiquam translationem Setuaginta Interpretum, vt argumentatur Iustinus martyr in eo sermone quē habuit cum Tryphone Iudæo, ostēdens fuisse eum locum à Iudęis corruptum, expuncta & detracta vltima illa particula (à ligno.) Beatus certè Augustinus in enarratione Psalmi nonagesimi quinti bis verba ista citat similiter, vt citantur à Tertulliano & Iustino.

Tertullian.

Psalm. 95.

Locus Psal. 95.

Iustinus martyr.

Sed redeo ad illud, *Super humerum eius*, quod etiam Beatus Augustinus in Sermone septuagesimo primo de Tempore, interpretatur de Cruce Domini; hæc enim sunt eius verba, Quod Isaac ipse sibi ad immolationem sui, ligna humeris suis portauit, Christum vtique Dominum pręfigurauit, qui ad locum passionis, crucem suam humeris suis gestauit, secundum Isaię prophetiam, *Et erit principatus eius super humerum eius*, hunc enim Christi principatum super humerū suū habuit, quando Crucem admirabili humilitate portauit. Non incongruè Crux Christi significat principatum; nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam atque gratiam reuocatur. Quod etiam nos Apostolus docuit, qui de passione Domini loquens, *Factus est*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomēn, quod est super omne nomem.* 44

Gen. 22.

Ad Philip. 2.

DECI-

DECIMAQVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 11 *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

45 QVID aliud his verbis significatur, inquit Ambrosius, nisi Bonum quod habes vsque in finem vitæ tuæ tene, vt gloriam, quę tibi debetur, nullus sine te possideat? Ex hoc loco argumentatur Primasius, numerum Prædestinatorum esse prorsus immutabilem, vt nec minui, nec augeri queat: Hinc, ait Primasius, numerum Electorũ, quos secundum propositum vocatos Apostolus memorat, stupenda prorsus consideratione cognoscimus, ostendens huic numero nec addi quemquam posse nec minui; Quod etiam his verbis indicauit Beatus Ioannes dicens: Si Episcopus iste propriam coronam amittat, fore, vt alius eam percepturus accedat. Vnde intelligitur nec aliũ posse succedere, si, quod ille tenet, perseueranti fide custodiat. Sic etiã Iudæorum electio est frustrata, qui de stirpe Abrahæ gloriabantur, quibus Domini Præcursor dixit, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, vt certa promissio maneret ex munere, & gloriatio carnalis vacuaretur in genere. His consimilia in explanatione huius loci scribit Haymo, & Lyranus, & Sanctus Thomas, cuius verba paulo infra referemus. Rupertus autem hunc locum Apocalypsis in suis Commentarijs explanans, Quid est, inquit, illud; *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam?* Hoc; nempe, Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas & corruendo coronam tibi præparatam amittas, & alius in locum tuum succedens illam accipiat: quapropter Dauid rogabat Dominum, dicens; *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt nõ moueantur vestigia mea.* Et quidem hoc fieri non potest, vt perdat coronam quisquam eorum quos Deus præsciuit, & ad coronam prædestinauit. Verumtamen & fieri potest & factum est, vt is coronam perderet, quem Deus ad coronam vocauit vocatione visibili, siue quæ ab hominibus potuit videri: Nam, exẽpli gratia, Iudam Dominus ad coronam vocauit Apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinauit; quia corona indignum fore præsciuit, vnde & coronam eius, scilicet Apostolatus honorem, alius accepit, in locum eius suffecto Matthia: sicut in Psalmo 108. scriptum est, *Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter.* quod Beatus Petrus de Iuda interpretatus est. Nemo itaque, quãdiu certat, multum de corona confidat, quia si omnium præscius Deus te in fine dignum corona fore scit, tu tamen nescis.

Ambrosius. Primasius. Certus et immutabilis numerus prædestinatorũ. Ad Ro. 8. Matth. 3. Haymo. Rupertus. Psal. 17. Act. 1.

Sed enim ad expressiorem atq; illustriorem loci huius interpretationem cõducunt, quæ Beatus Thomas hunc ipsum Apocalypsis locum tractans, scribit in prima parte quæst. 23. art. 6. Disputans enim an Prædestinatio sit certa, cum ex hoc loco Apocalypsis argumentatus esset, non videri certam, quia corona quæ est prædestinationis effectus, potest amitti, & ab vno ad alium transferri, sicut dicitur in hoc loco Apocalypsis; ad hoc ipse respondens ait, Dupliciter dici coronam esse alicuius, Vno modo ex diuina prædestinatione, quod sit is ab æterno prædestinatus à Deo ad coronam cęlestem, & sic nullus coronam suam amittit, dicente Augustino in libro de Bono perseue- 46

S. Thomas. Qui possint amittere coronã gloriæ quam iam habent. August.

rantiæ capitē 14. Prædestinationē esse præscientiam & præparationem beneficiorum Dei qua certissimè liberantur, quicumque liberantur. Alio modo dicitur corona esse alicuius, non ex diuina prædestinatione, sed ex merito gratiæ, quam ille habet; quod enim meremur, quodammodo nostrum est: Sic autem quis potest amittere coronam, perdendo scilicet meritum suum propter lapsum in peccatum mortale. Alius vero coronam illam amissam dicitur accipere, eo quod in locum eius subrogatur; non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios in eorum locum erigat, secundum illud Iob cap. 34. *Conteret multos, & stare faciet alios pro eis* Sicut in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines & in locum Iudæorum Gentiles. Præclarum huius rei exemplum habemus iu illis quadraginta Martyribus, quorum natalem Martyrij diem celebrat Ecclesia nono die Martij. Substitutus autem in statū gratiæ loco alterius etiam quātum ad illud, coronam accipit illius cadentis, quod de bonis quæ alius fecerat, in æterna vita gaudebit; vbi quisque gaudet de bonis operibus tam à se, quam ab alio quolibet factis. Hactenus ex Sancto Thoma Hortatur igitur his verbis Domini Episcopum illum ad constantiam & perseuerātiam in bonorum operum effectione, & cœlestium bonorum cum alijs communicatione, Quemadmodum in Parabola illa de Talentis ostendit Dominus Matthæi 25. qui enim talento accepto non fuerat vsus, nec quicquam lucratus, ablatum ei est, & traditum alij, qui talenta sua magno lucro auxerat.

Quomodo quis accipit coronam alterius.

Locus Iob cap. 34.

Matth. 25.

DECIMAQVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 12

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.

Primasius.

COLVMNA in fabricis 47 ait Primasius, & muniminí congruit, & decoris Sic & mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis, & portant alios officio charitatis. *Et foras*, inquit, *non exiet amplius*. Exierat iunior filius, id est, Christi cruore, reconciliatus atque redemptus, foras vltra non exijt, quippe quem introduxit Rex in cubiculum suum, quantiscumque aut schismatum, aut persecutionum arietibus quatiatur: Firmum enim firmamentum Dei stat, habens signaculum hoc, *Cognouit Dominus qui sunt eius*. Ricardus istud, *Faciam illum columnam in templo Dei mei*, sic interpretatur, Efficiam vt instar columnę sit, in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.

Luc. 15.

2. Tim. 2. Num 16. Ricardus.

48 Ambrosius in explicatione huius loci, Potest, inquit, per templum Dei designari hoc loco Ecclesia in terris militans: per columnas autem, quæ sustentant templum, Prædicatores significantur; Paulus enim Petrum & Iacobum, & Ioannem columnas appellauit, quod super ipsos ædificata sit Ecclesia, sicut ipse Dominus dixit Petro, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*

Ambrosius.

Ad Gal. 2.

Matth 16.

siam meam. Sed quia proximè sequitur, *Et foras non egredietur amplius*, videtur hæc sententia non ad præsentem Ecclesiam, sed ad cœlestem pertinere: multi enim fuerunt, qui columnæ dicebantur Ecclesiæ, sed propter prauam doctrinam ab Ecclesia Catholica exierunt, vt fuit Origenes, & quidam alij. Per Templum igitur cœlestis habitatio, per Columnā verò vnusquisq; Electorum denotari potest. Ergo qui vicerit omnia tentamenta Diaboli, omnesque carnales voluptates, columna in templo Dei efficitur, id est, in cœlesti beatitudine, sicut columna in loco in quo statuitur, sic ipse firmissimam à Christo stabilitatem consequetur, vt nunquam ab æterno cœli domicilio diuellatur, quemadmodum auulsus est diabolus qui à cœlesti beatitudine superbiendo cecidit.

Isa.14.

49 Beatus etiam Gregorius in lib. 17. Moralium, c. 11 huius loci Apocalypsis Interpretationē attingit: explanans enim verba illa Iob capitis vigesimisexti, *Columnæ cœli cōtremiscunt, & pauent ad nutum eius*, ita scribit, Quid aliud columnas cęli, quam vel sanctos Angelos, vel summos Ecclesiæ Prædicatores appellat, super quos videlicet in cęlestibus crescens vniuersalis structura fabricæ spiritualis surrexit, sicut alio loco Scriptura testatur dicens, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*? Nam quisquis in opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, vt in hoc tēplo quod est Ecclesia positus, & vtilitati sit & decori: eos vero Iob columnas cęli vocat, quos Apostolus columnas vocat Ecclesię, dicens, *Petrus, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi*.

B. Gregorius.

Apoc.3.

ad Gal.2.

50 Ponam etiam hic interpretationem huius loci, quæ est apud Ioachimum Abbatem, minimè profectò aspernandam: Columnam fieri in templo Dei primùm interpretatur de pastoribus & rectoribus populi Dei, qui spirituali hominum saluti inuigilant; deinde verò, in vniuersum de omnibus qui in Ecclesia Christi iustè, piè, sanctèque conuersantur: sic enim scribit, Aptè & cōpetenter assimilatur columnę templi Domini, qui in ordine Pastorum & Rectorum populi Dei est: Etenim columna, lapis est altus, & in modum cuiusdam rectæ arboris ad superiora eleuatus, ita vt non tam ea quæ infra sunt, quàm ea quæ supra sunt, respicere videatur: & quod eo maius est, ita per altitudinem & rectitudinem suam superiora tangit, vt superpositum tamen tectum infatigabiliter portet. Qui ergo pro dono gratiæ & merito patientię suę rectores animarum constituti sunt, vt inter procellosos tentationum turbines superpositam ipsorum curæ ac regimini fabricam infatigabiliter portent, similitudinem habent columnę marmoreæ, quæ multis tunsionibus expolitur; quod quantæ sit dignitatis & gloriæ, vel ipsa materialis columnæ species manifestè demonstrat. Talis columna fuisse noscitur magnus ille propheta Eliseus, qui sic superpositam sibi fabricam patienter portauit, vt tamen, quod difficile multis est, in studio & exercitio contemplationis detrimenta nesciret: Habuerat enim duplicem illum Spiritum Eliæ quem petierat, & sollicitæ operationis circa res humanas, & tranquillæ diuinarum rerum contemplationis: rē planè difficilem, rarumque donum, nec multis concessum, vt meritò ei dixerit Elias: *Rem difficilem postulasti*, nimirùm prouidere sicut oportet fratribus per vitam actiuam, quod est columnam templi inferioribus incumbere atque inhærere; & cōtemplatiua dulcedine non priuari, quod est columnam superiora aspicere. Sed ad didit Elias, *Si videris me cū ablatus fuero à te*,

Ioachimus Abbas.

4.Reg.2.

à te eris, quod petisti. Necessum enim est, vt iugiter cœlum intueatur, & sine intermissione memor sit Domini sui ascendentis in altum, quicumque Prælatus seruorum Christi; nisi vult neutrius vitæ perfectione & profectu carere: vt in hoc incolatu ita corpore versetur in terris, vt mente conuersetur in cœlis. Generaliter autem omnis victor, siue Prælatus sit, siue non, ab huius professionis munere alienus non est; quia non minus frater pius & deuotus fabricæ spiritualis onus toleranter sustentat, supponens humerú patientiæ suæ ad portanda scandala infirmorum; quàm is, qui suscepta licèt onerosa regiminis cura, ex occasione temporalium rerum, obliuiscitur nonnunquam eorum quæ Dei sunt, & ad salutis suæ curam & profectum pertinent; ita vt in illud incidat, quod scriptum est in Canticis Canticorum, *Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui*. Hactenus ex Ioachimo.

Locus Canticorum 1.

Auctoris interpretatio. Octo res laudari in columnis.

51 Sciat porrò Lector, octo potissimum res ab hominibus spectari ac laudari solere in columnis quæ statuuntur in ædificijs, Rectitudinem, Altitudinem, Crassitudinem, Firmitudinem, Rotunditatem, Læuorem, atque Colorem, & Materiam, si ex argento, vel auro, vel marmore, vel alio pretioso lapide factæ sint: ex istis autem oritur pulchritudo, & decor columnæ: simul etiam conuenientia quædam quæ esse debet inter altitudinem & crassitudinem columnæ. Vsus verò columnarum in fabricis est vel ad sustentandum, vel ad decorandum, vel ad vtrumque. Hæc autem omnia facile est ad fabricam spiritualem, vel Ecclesiæ, vel Animæ cuiusque accommodare.

52 Templum autem, seu Domus Dei, est Ecclesia Christi, siue terrestris, siue cœlestis; sic enim appellat eam Paulus, scribens ad Timotheum, *Vt scias*, inquit, *quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est in Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*. Et Salomon, *Sapientia*, inquit, *ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*. Dixit columnas septem, pro eo, quod est multas. Columnæ autem Ecclesiæ sunt, qui eam validè sustentant, & exornant mirificè vita, doctrina, oratione, & passione. Tales fuere in primis Apostoli, deinde Sancti Pastores, atque Doctores Ecclesiæ: Beda certè per insignes in Ecclesia Christi viros, quos hoc loco Dominus appellat columnas, similes esse ait duarum illarum columnarum, quas in porticu templi, multiplici artificio, miraque elegantia, & magnificentia fecit Salomon, quarum structura pluribus verbis describitur libro tertio Regum Capite septimo. Quemadmodum autem illæ Salomonis columnæ, secundùm mysticam intelligentiam, eximios atq; illustres in Ecclesia Dei viros præsignarent, & quænam rerum spiritualium mysteria continerent; noster Blasius Viegas in explanatione huius loci satis copiose nec inscitè declarauit.

1. ad Tim. 3.

Prouerb. 9.

Beda.

Blasius Viegas.

†

DE-

DECIMASEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 12. *Et scribam super eum nomen ciuitatis nouæ Hierusalem descendentis de cœlo: & nomen meum nouum.*

Commemoratur multiplex istorum verborum interpretatio, quæ est apud Explanatores huius libri.

Ambrosius 53 HÆc verba interpretans Ambrosius, Super electos, inquit, qui in cœlestem patriam mittuntur, scribitur nomen Dei, quod est esse æternum, quia vnicuique Beatorum æternitas cum Deo in beata vita permanenti tribuitur. Scribitur etiam super eos nomen Ierusalem descendentis de cælo; Noua Ierusalem illa est cœlestis, quæ non ex lapidibus, sicut vetus Ierusalem, sed ex sanctis hominibus quotidie ædificatur. Ierusalem autem interpretatur Visio pacis; id est, Visio Dei. Nomen igitur Ierusalem super vnumquemque Electum scribitur, dum hoc vnicuique eorum conceditur, vt Deum sine fine videre mereatur. Vel nomen Ierusalem scribi super Electos, est ipsos fieri Ierusalē, in quibus Deus regnare dignetur in societate Angelorum Beatorumque omnium, qui Ierusalem cœlestis vocantur. Sed mirum est, cur cœlestis illa Ierusalem descendere dicatur, cum *Apoc. 21.* sciamus, Electos omnes à terris ad cœlos ascendere, non autem de cœlis ad terrena descendere: Sed, Domino de cœlis ad redemptionem generis humani descendente, simul etiam Sani descenderunt, qui iam per prædestinationis gratiam ipsi coniuncti erant, quos per misericordiam suam redimere veniebat. *Et nomen meum nouum*, videlicet vt vocetur filius Dei per gratiam adoptionis, sicut ego sum Filius Dei per naturam; Nam quòd ille homo Christus esset Filius Dei per vnionem naturæ humanæ cum persona Verbi, nouum fuit. Hactenùs ex Ambrosio.

Eadem hæc verba explanans 54 *Andreas.* Andreas Cæsariensis, per nomen Dei & cœlestis Ierusalem intelligit claram notitiam gloriæ Dei & cœlestis patriæ, vt eius pulchritudinem spiritualem oculis aspiciens, ad eius amorem visendique desiderium exardescat. Dicitur verò Ierusalem descendens de cœlo, quòd Dei & rerum diuinarum cognitio ab Angelis exorsa, certo quodam ordine ad homines vsque pertingat; per Christum namque caput nostrum hi & illi inter se inuicem apti sunt.

Rupertus illud nomen, *Dei mei*, *Rupertus.* interpretatur nomen Patris; nomen verò Ierusalem, nomen Matris, sic enim appellat eam Paulus; *Quæ sursum est*, inquit, *Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* *Ad Gal. 4.* Istis porrò verbis significari ait Rupertus, qui fecerit voluntatem Dei, & fuerit victor aduersus hostes visibiles & inuisibiles, amatum, & honoratum iri à Deo, perinde quasi pater, & mater eius esset. Scribere autem nomen, idem est quod apertum & manifestum facere & manifestare, vt merita singulorum censeantur & iudicentur ab vniuersis. Ac licèt hoc nomen Dei superscribendum sit omnibus Electis, in quibus tamen nunc plus est charitatis, & qui insigniores victores fuerint, maior tunc in illis eius nominis splendor apparebit.

His quoq; attexam Haymonis, 55 minimè hic tacendam, loci huius inter-

interpretationem : Ea verò hu-
iusmodi est, Calamus quo nomen
illud scribitur, gratia Spiritus San
cti intelligitur, per quam filij Dei
efficimur: Ergo, *Scribam super eum*
nomen Dei mei, hoc significat, Fa-
ciam illum filium Dei per gratiam
adoptionis, sicut ego sum Filius
Dei per naturam. Quòd autem id
fiat per Spiritum Sanctum, testa-
Ad Gal. 4. tur Apostolus dicens, *Misit Deus Spi-*
ritum Filij sui in corda vestra claman-
tem, Abba Pater. & iterùm: *Ipse Spi-*
Ad Rom 8 *ritus testimonium reddit Spiritui nostro,*
quòd sumus filij Dei. Quod autem
adiungitur, *Et nomen ciuitatis noua,*
Hierusalem, hanc sententiam habet,
Iste victor per donum Spiritus san
cti cum sanctis & Beatis in cœlo
consortium habere merebitur. Ie-
rusalem autem, quæ Visio pacis in-
terpretatur, de cœlo descendere
perhibetur, in capite suo videlicet,
id est, Christo, cui vnita est per fi-
Ioan. 3. dem, sicut alibi scriptum est, *Nemo*
ascendit in cœlum, nisi qui descendit de
cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. vel
certè eò dicitur descendere de cœ-
lo, quòd quicquid habet in fide, in
charitate, & in bonis operibus, to-
tum cœlitus à Deo accepit, iuxta
Iacobi 1. illud Beati Iacobi; *Omne datum opti-*
mum, & omne donum perfectum de sur-
sum est, descendens à Patre luminum.
Vocatur noua Ierusalem, quòd ele-
cti per lauacrum regenerationis &
Spiritum dilectionis vetustate ter-
reni hominis exspoliati sunt, & cœ
lesti nouitate vestiti: Quamobrem
Ad Colos. 3 Paulus dixit, *Exuentes veterem homi-*
nem cum actibus suis, induite nouum,
qui renouatur in agnitionem Dei. Et
2. Cor. 5. alibi: *Vetera transierunt, ecce facta sunt*
noua omnia. Deinde subiungitur,
Et nomen nouum; id autem est, Vt à
me, qui ex tempore vocor Chri-
stus, & ipse vocetur Christianus,
gratia scilicet Spiritus Sancti vn-
ctus; De quo nomine dixit Esaias,
Esa. 65. *Et seruos suos vocabit nomine alio*, id
est, Christianos: hinc certe digni-
tas nobis, hinc celsitudo prouenit,
hinc reges, hinc sacerdotes Deo *Apoc. 1. & 6.*
efficimur. Sic Haymo.

Non est profectò in præteritis re 56
linquendum hoc loco, quemadmo-
dùm hæc ipsa verba Ioachimus in- *Ioachimus*
tellexerit, & in suis Commentarijs
in Apocalypsim explanauerit. Ar-
bitratur Ioachimus præcipuè ver-
ba hæc pertinere ad Pastores &
Rectores qui spiritualem curam
animarum gerunt, & in Ecclesia
Dei, vel in familijs & congregatio-
nibus religiosorum hominum. Isti
victores sunt, cùm pro spirituali sa-
lute eorum quos regunt, omnium
mundi voluptatum & honorum cu
piditates vincunt, omnia aduersa
& mala perferunt atque superant:
hoc tantùm satagentes, vt salutem
subditorum suorum comparent, ac
promoueant, atque tueantur, &
vel multos ad Christum conuer-
tant, vel iam conuersos in gratia
Christi conseruēt vsque in finem.
Super istiusmodi autem victores
Christus scribit nomen Dei sui,
quod est nomen Patris, isto enim
nomine frequenter appellatur à
Paulo, & ipse est verus, & summus
Pater, & a quo omnis Paternitas
in cœlis & in terra nominatur.
Qua etiam de causa primarij Mo- *Ad Eph. 3.*
nachorum rectores moris est ap-
pellare Abbates, id est, Patres, &
nomen Papæ, quod etiam signifi- *Nomen Papæ.*
cat Patrem, tribui olim Episcopis
solitum erat. Sed postea, ad fran-
gendam & reprimendam Schisma
ticorum superbiā, Gregorius VII.
annis ab hinc triginta & quingen-
tis statuit, vt nemo id nominis vel
sibi assumere, vel alij cuipiam tri-
buere auderet: sed eo nomine solus
insigniretur & appellaretur sum-
mus Pontifex Vicarius Christi in
terris. Sed præstat hic adscribere
Ioachimi verba: Habet, qui isto mo
do victor est, inquit Ioachimus, scri
ptum super se nomen Patris: cùm
& ipse pro reuerentia sanctitatis,
Pater a subditis suis appellatur &
honoratur, iuxta illud Apostoli: *Si* *1. ad Cor. 4*

decem

decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres; nam per Euangelium ego vos genui. Habet etiam nomen Matris, sicut idem Apostolus dixit, *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Habet & nomen Sponsæ, cum per amoris suauitatem cęlesti Sponso coniungitur. Et duo quidem hæc posteriora nomina pertinent ad cęlestem Ierusalem, quæ & Mater Electorum omnium & Sponsa Christi vocatur: & ad distinctionem terrenæ Ierusalem, quæ seruit cum filijs suis, & senescit, & antiquatur, & vetustate cõsumitur. Illa cęlestis dicta est noua Ierusalem, propter donum videlicet Spiritus Sancti, quod accepit à Domino, per quod datum ei est semper posse in nouitate permanere, sicut in hoc ipso libro infra scriptum est, *Hæc dicit qui sedet in throno, Ecce noua facio omnia.* Similiter & nomen Christi Iesu nouũ dicitur, ad differentiam nimirum veteris hominis, qui in nobis corrumpitur, hortante nos Apostolo, vt deponamus secundum pristinã conuersationem veterem hominem, & renouemur Spiritu mentis nostræ, induentes nouum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Nomen autem nouum, est ipsum nomen Christi, à quo & nos Christiani nominati sumus, cum renati in fonte Baptismatis Spiritum accipimus adoptionis, per quem facti sumus filij & hæredes Dei, & cohæredes Christi. Scribit itaque Dominus Iesus super victorem nomen Patris, cum eum nomine isto Patris appellari & honorari vult, sicut magnus ille Patriarcha Abraham, cui dictum à Deo est, *Patrem multarum gentium constitui te.* Et hoc ipsum est apud viros religiosos, Patrem ipsorum appellari Abbatem, pro exemplo nimirum boni operis, quo ceteri inuitantur ad operãdam iustitiam

Ad Gal. 4.
Apoc. 21.
Ad Gal. 4.
Ephes. 4.
Ibidem.
Ad Rom. 8
Gen. 17.
Rom. 4.

vnde & sanctus Benedictus meruit appellari Abbas, id est, Pater, nec aliorum, quam qui eius sequerentur vestigia. Scribit etiam super illum nomen Ierusalem, cum aut, propter suauitatem amoris, quæ mentem excedit, Deo digna existimatur anima eius, quæ vocetur Sponsa eius: aut propter studium doctrinæ, quam seruat in corde suo, vt filios suos spirituali lacte nutriat, nominatur mater: quemadmodum cęlestis illa Ierusalem vocatur Sponsa & Mater Christi quidem Sponsa, eorum verò qui per Christum sanctificati & saluati sunt, mater. Sed etiam nomen suum nouum scribit Christus Dominus super victorem, cum & ipse Christianus, & Christus Domini appellari meretur, iuxta illud quod scriptum est, *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Ceterum quis est ille, qui inscriptiones istas tam honorificas habere meretur? Ille videlicet, cui datum est intelligere Deũ Patrem, & ita intelligere, vt eum verè credat esse Patrem, & vt tantum Patrem filiali amore diligat: supernã verò Ierusalem amet sicut matrem, propter gratiam, omnium bonorum matrem, quæ in illa est consummata & inamissibilis, & propter eum, qui habitat in turribus eius, cuius etiam omnes Iusti habitacula & templa esse dicuntur vnigenitum denique Dei Filium sicut verum Sponsum, & fratrem suum diligat. Quid ista triplici inscriptione felicius?

2. ad Cor. 5
Psal. 104.

Verũ vna restat q̃stio, cur illa cęlestis Ierusalẽ de cęlo descẽdere dicta sit, cũ nequaq̃ in cęlo, sed in terris ortũ habeat. Neq; enim hoc dictũ est, propter Angelos de cęlo descẽdentes ad varia in terris ministeria obeũda in salutẽ Electorum: sed hoc dictũ est propter homines sanctos de quorũ futura beatitudine reuelatio hæc facta est B. Ioa. vt quãta sit dignitas hominis per Christũ 57

parta, omnes qui vocandi erant ad cœnam nuptiarum Agni, diligenter agnoscerent, & scirent, quæ à Deo donata sunt ipsis, & scientes currerent læti, valdè animati magnifica illa promissione Christi dicentis, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Dicta est ergo Ierusalem descendere de cœlo à Deo, vel quia bona omnia quæ habuit, à Patre luminum venerunt: vel quia imitando Sponsum suum, semper ad ima ex humilitate descendit, contra superbiam eius qui dixit, *In cælum ascendam*: vel quia ventura est cum ipso Domino ad iudicium, sicut scriptum est, *Ecce Dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo.* Et alibi, *Vocauit cælum de sursum, & terram discernere populum suum.* Hactenus ex Ioachimo.

1. Ad Cor. 2

Matth. 16

Iacobi 1.

Esa. 14.

Zacha. 14

Psal. 48.

Franciscus Ribera societatis Iesu.

58 Placet mihi, si qua alia, nostri Riberæ interpretatio, est enim sententiæ verborum satis inhærens & apta, satisque probabilis: Is putat, illud, *Scribam super eum nomen Dei mei*, propterea dictum esse, quòd homines in rebus pretiosis, sibique valde charis, & in quibus maximè gloriantur, nomen suum inscribere solent, vt intelligatur eas res ipsorum esse proprias. Nomen itaque Dei super victorem scribetur, quoniam ille peculiariter eius esse dicetur, & præcipuè, atque eximie ab eo amabitur, & honorabitur, & in eo tanquam seruo egregiè fideli, & milite forti gloriabitur Dominus Deus. Scribetur etiam super illum nomen Ierusalem; quoniam ille donabitur ciuitate cœlesti, futurus cœli perpetuus incola, & ciuis Angelorum. Dicitur autem Ierusalem noua, non in se, cùm ab initio Mundi fuerit, sed respectu cognitionis hominum, quibus longissimo tempore ignota fuit, & per Euangelicam prædicationem præcipue innotuit. Ea porrò dicitur de cœlo descendere, quia cognitio cœlestis patriæ, æternorumque bonorum & gaudiorum quę Iustis parata in cœlo sunt, de cœlo reuelata est Mundo per Christum Dominum, & Apostolos eius, aliosque Prædicatores Euangelij. Dominus certè prædicationem suam orsus est ab illis verbis, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Nomen deniq; Christi nouum, etiam super victore scribendum, est nomen Iesus: hoc enim fuit nomen proprium eius ab Angelo denunciatum, eique impositum in Circumcisione, cætera eius nomina quodammodò complectens. Vocatur nouum, quia ei conuenit qua homo ex tempore factus est. Dicitur autem hoc nomen scribi super victorem, quia is pręcipua quadam & eximia ratione dicitur esse ipsius Iesu, & salutis æternæ, quam ipse promeruit & comparauit, excellenti quodam modo particeps erit. Sic ille.

Matth. 4.

Luca 2.

Nomen Iesu.

Beatus Thomas in Tertia Parte 59 in quæstione trigesima septima articulo secundo, disputans, verum nomen Iesu conuenienter impositum sit Domino in eius Circumcisione, ponit contra hoc aliquot obiectiones, inter quas prima est huiusmodi: Apud Esaiam Capite sexagesimo secundo producitur illud de Christo: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Sed nomen Iesus non est nomen nouum, vtpotè pluribus in Vetere Testamento impositum; ergo videtur istud nomen non esse conuenienter Domino impositum. Ad hanc obiectionem ita respondet: Iis qui fuerunt ante Christum, potuit nomen Iesu, quod Saluatorem significat, conuenire secundùm aliquam particularem & temporalem salutem, quam illi hominibus attulerunt: at verò secundùm rationem spiritualis, & vniuersalis omnium hominum salutis, nomen Iesu est proprium Christi Domini; & hac ratione prædictum est ipsum esse habiturum nomen nouum: Et in

B. Thomas

corpore

corpore eiusdem articuli docet Sanctus Thomas, alia omnia nomina, quibus prædictum est à Prophetis vocatum iri Christum, in hoc nomine Iesu contineri.

DECIMASEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS.14 *Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe, Hæc dicit, Amen testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei.*

66 HÆc est septima & vltima Epistola, quam iussus est Beatus Ioannes scribere ad Episcopum Laodicensis Ecclesiæ, quem arbitratur Petrus Aureolus fuisse Beatum Sagarem, qui martyrium Laodiceæ obiuit, quem Eusebius in Libro quinto Historiæ Ecclesiasticæ Capite vigesimo tertio Episcopum, martyrem laudat. Etenim, Lyranus dupliciter Aureoli sententiam confutat: primùm enim, negat Sagarem fuisse Episcopum, sed tantum sacerdotem. Verùm in eo Lyranus fallitur, vt manifestum est ex supradicto Eusebij loco, & ex Cardinali Baronio in secundo Tomo Annalium in Anno Domini centesimo septuagesimo secundo. Deinde, idipsum Lyranus eo probat argumēto, quòd iste Episcopus à nulla re laudatur in hoc loco, immò multis in rebus vituperatur ac reprehenditur: Sagarim verò constat fuisse virum sanctum & ab Antiquis laudatum: & hæc ratio satis firma & probabilis est. Cui accedit & illa, quod Sagaris martyrio vitam finiuit circa annum Domini centesimum septuagesimum secundum, id autem est quinque & septuaginta annis post scriptionem huius Apocalypsis: nō est autem procliue creditu, eum tot annis perfunctum esse munere Episcopali, præsertim autem infestissimo illo persecutionum tempore. Sed nos varias eorum Scripturæ verborum quę in titulo huius Disputationis posita sunt, Interpretationes exponamus.

Quis fuerit iste Episcopus Laodicensis.
Aureolus.
Eusebius.
Cardinalis Baronius.

Andreas Cæsariensis ea verba explanat hoc modo, Fidelitatis voce Deitas Christi hoc loco denotatur: Et cùm dicitur, ipsum esse (Amen) significatur hac phrasi, ipsissimam Diuinitatem ipsum esse per essentiam Vocatur autem Principium creaturæ, vel quia ipse est primordialis & increata causa omnis creaturæ; aut quia absolutum in omnes res productas principatum obtinet, quæ enim est hoc in loco Græca vox ἀρχὴ, vtramque habet significationem, & principij, & principatus. Horum similia super hoc loco Primasius scribit: Animaduertendum, inquit, existimo, quod hoc loco Dominus (Amen) vocatur, Amen quippe interpretatum significat idem quod verè, siue fideliter, vnde in hoc loco referendum est ad Diuinitatis essentiam, de qua Deus Moysi dixit, *Sic dices filijs Israel, Qui est misit me ad vos.* & item, *Ego sum qui sum.* Ille enim solus verè est, qui semper idem est. Illud autem quod sequitur, *Principium creaturæ Dei*, ad mysterium pertinet incarnationis, & ad susceptam a Filio Dei humanitatem nostram; ad quem etiam intellectum conuenit intelligi quod scriptum est, *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Ipse est alpha & omega, quoniam ipse est initium, quod nulla creatura præcedit; ipse est finis, cui nullus in regno succedit. Nec dissimile est, quod hic scribit Ambrosius, Amen, inquit, idem so-

61 Andreas.
Primasius.
Exod 3.
Ibidem.
Prou.8.

nat quod verè ac fideliter, & eius significatio declaratur per duo illa verba proximè sequentia, *Testis fidelis & verus.* Vocatur porrò principium creaturæ, non quòd ipse sit creatura primatum tenens inter creaturas; sed quòd ab ipso omnis creatura facta est: Fecit enim omnia, sicut architectus facit domum, si quis enim videns, interroget quisnam eam fecerit, sine dubio respõdebitur ei, quòd artifex eam fecerit, qui priùs mente concepit eam, & postea ædificauit, neque enim domus sibimet ipsa principium dare potuit. Beda scribit eadem, atque Primasius, vt non dubium sit accepisse ipsum ab eo, & vtrumque mutuatum esse à Ticonio.

Beda. *Ticonius.*

62 Rupertus creaturam Dei hoc loco interpretatur nouũ hominem, qui secundùm Deum creatus est: Creatura, inquit, Dei hoc loco non est aliud, nisi nouus homo, & spiritalis regeneratio & recreatio hominis bene operando in nouitate vitæ ambulantis, de quo scripsit Apostolus, *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Et alio loco dixit, huiusmodi creaturam expectare reuelationem filiorum Dei, & ingemiscere, ac parturire quoad liberetur a subiectione vanitatis, & seruitute corruptionis, & induat libertatem gloriæ filiorum Dei. Significatur autem illis verbis, totam regenerationem & renouationem spiritualem, & quicquid sanctæ nouitatis habet quisquam, vel habere sibi videtur; non sibi attribuere debere, sed Christo, a quo est principium, & finis, & consummatio huius creationis, qua nunc viuimus, qua de morte ad vitam transimus, qua de filijs iræ in filios gratiæ translati sumus, & ab operibus mortuis emundati, Deo viuenti seruimus. Hanc Ruperti explanationem præ cæteris approbat Ribera: Sed quia nec auctorem eius citat Rupertum, & ipse videtur eam tanquam propriam suam tradere, verisimile sit, cum, cùm illa scripsit, non legisse Rupertum.

Rupertus. *Ad Eph. 2.* *Ad Rom. 8* *1. Ioan.* *Hebr. 9.*

Secundum igitur superiores Auctorum interpretationes, nomen Creaturæ hoc loco triplicem habere potest significationem: Primùm enim potest significare omnem Creaturam, tam corporalem quã spiritualem, secundùm eius, vt vocant, esse naturale; & secundùm hanc significationem, Christus, qua Deus est, verè dicitur esse principium omnis creaturæ, principium, inquam, efficiens, & exemplare, & finis omnium: nimirùm ipse Verbum est Dei Patris, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. Potest etiam nomen Creaturæ hoc loco propriè significare hominem prædestinatum & electum ad vitam æternam: qua significatione multi putant vsum esse Apostolum, cùm dixit, *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat,* & intra, *Omnis creatura ingemiscit, & parturit,* &c. & alio loco, dicens, *Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Hac autem ratione Christum dicunt principium creaturæ, & qua Deus & qua homo est: qua Deus, quia solius Dei est eligere, & prædestinare homines ad vitam æternam: qua homo, quia ipse vt homo fuit primus omnium Prædestinatorum, & caput eorum, propter quem alij prædestinati sunt, vt essent membra eius; & prædestinatio eius exemplar est prædestinationis omnium aliorum Prædestinatorum, & ipse per passionem suam meruit Prædestinatis auxilia omnia & bona quibus illi efficaciter iuuantur ad consequendum vltimum prędestinationis effectũ, qui est vita æterna. Denique, nomen Creaturæ etiam hoc loco potest accipi pro ipsa creatione, & significare spiritualem

63 *Auctoris disputatio super triplici significatione vocis* Creatura *Ioan. 1.* *Ad Rom. 8* *Ibidem.* *Ad Eph. 2.*

tualem creationẽ hominis noui, qui secundum Deum creatur in iustitia & sanctitate veritatis: & hæc ipsa creatio vocatur etiam regeneratio & renouatio Spiritus, sicut Dauid dixit, *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritũ rectũ innoua in visceribus meis.* Iuxta hanc significationẽ est quod dixit Apostolus, *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura*, & illud quod B. Iacobus ait, *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Hac itaq; significatione Christus dicitur principiũ creaturæ, & qua est Deus, qui est principalis causa spiritualis creationis, omnisque sanctitatis, & qua homo est, qui per mortem suam fuit causa eius meritoria, & vt efficiens instrumentum Diuinitatis coniunctum; Sanctissima enim Christi Humanitas organum fuit Diuinitatis ad omnium hominum perficiendam salutẽ potentissimum, quòd esset in persona Verbi vnita Diuinitati.

Ad Ephe. 4 *Psalm. 50.* *Ad Gal. 6.* *Locus Iacobi 1.*

In Arianos 64 Ariani porrò sententiam hanc, qua Christus dicitur principiũ creaturæ Dei, peruersè interpretabantur, impie retorquẽtes eam ad probãdum, Christum esse creaturam, sed omnium tamen creaturarũ primam, & duratione, quod esset ante alias omnes creata, & dignitate, quòd & gratiæ, & gloriæ, omnisq; boni principatum inter creaturas teneret. Verùm ex plurimis & apertissimis diuinæ Scripturæ locis euidenter concluditur, Christum veri Dei verum esse Filium, verumque Deum, Deo Patri consubstantialem, & coæternum, & per omnia æqualem. Non est autem huius loci in Arianos pugnare, atq; istud eorum proprium dogma disputando confutare. Quemadmodum autem Christus vere dictus sit principium creaturę & secundum Diuinitatem suam, & secundum Humanitatem, paulo supra ostendimus.

DECIMAOCTAVA Disputatio.

Explicatur alius similis locus, qui est in primo capite Epistolæ Beati Pauli ad Colossenses versu 15. illis verbis:

Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.

IVXTA locum hunc 65 Apocalypsis est locus quem dixi Beati Pauli in Epistola ad Colossenses; Sicut enim hoc loco Dominus vocat se Principium creaturę Dei, ita Paulus eo loci appellauit eum Primogenitum omnis creaturę. Visum autem mihi est declarare hoc loco, quidnam sit, Christum esse primogenitum, & an id conueniat ei secundum Diuinitatem tantum, an tantum secundum Humanitatem eius, an vtraque prorsus ratione: de quo duplex est Auctorum sententia.

Locus Epistola ad Coloss cap. 1. copiose tractatur.

Multi atque in primis clari doctrina viri illa Pauli verba de Christo secundum Diuinitatem eius interpretati sunt, & admonuerunt, tria, quæ veram Christi Diuinitatem aperte ostendunt, verbis illis significari; cõsubstantialitatem scilicet eius cum Patre, & æternitatem, & absolutum eius Imperium in omnes creaturas. Dicitur enim Primogenitus, & non primo creatus, vel factus: genitus autem secundum substantiam similis est genitori; & generatio in viuentibus fit secundum similitudinem substantiæ quæ est in generante. Si aũt est primogenitus omnis creaturæ, ergo fuit ante omnes creat-

Prima interpretatio. Tria ex supradictis verbis duci Diuinitatis Christi argumenta.

nec per aliquam finitam duratione, sed ex æternitate: Si enim, quia genitus est à Deo Patre, habet Deitatis substantiã, hæc autem siuè æternitate neque esse, neque intelligi potest; necesse est, ipsum esse æternum æternitate diuina, quæ nulli creaturæ potest conuenire. Iam verò, sicut primogenitus Regis habet ius dominationis & imperij in omne Regnum, omnesq; subditos patris sui; ita si Christus est primogenitus Dei, Domini, & Regis omniũ rum, ipse pariter etiam vt imperiũ habeat in omnia quæ creata sunt, necesse est.

Supradictæ interpretationis sectatores. 66 Sed quinam sunt istius, quam diximus, Pauli verborum interpretationis probatores atque sectatores? *Ambros.* Ambrosius certe in Commentario eius loci, isto modo refert, illam sic interpretans, Primogenitum, inquit, vniuersæ creaturę vocat Christum, quia ante omnem creaturam genitus est Filius, non autem creatus, vel factus, vt eo loquendi modo secerneret natiuitatem Filij Dei à creaturæ factura: & vt hoc penitus claresceret, subiecit, *Quia in ipso condita sunt omnia in cęlo & in terra, visibilia & inuisibilia, &c.* *Chrysost. Theophyl. Theodoret.* Chrysostomus itidem, & Theophylactus, & Theodoretus ita locum illum explicant. Ponam hic verba Theodoreti, quæ mihi pręcipuè digna commemorari visa sunt. Si vnigenitus, inquit, Dei est Christus, vt in Euangelio dicitur, *Ioan. 1.* quomodo primogenitus est? Sed est primogenitus creaturæ, non quòd sororem habeat creaturam, quomodo enim fieri posset, vt idem esset frater creaturæ atque opifex: sed quia ante omnem creaturam genitus est. Opificem autem eum esse omnis creaturæ, apertè docet sacra Scriptura. Vnde & Apostolus non vocauit eũ Primoceratum, sed Primogenitum. Ita etiam dictus est Primogenitus ex mortuis, *ad Coloss. 1* quia ex morte resurrexit ad vitam immortalem. *ad Heb. 12* Paulus etiam Ecclesiam Sanctorum appellauit Ecclesiã primogenitorum, non quòd Sancti omnes fuerint primogeniti matrũ suarum, sed quia secundùm legem maior primogenitis honor tribuebatur, appellatione ista significare voluit Sanctorum præstantiam & honorem apud Deum. Quòd autem Christus non sit primogenitus creaturæ tanquam frater eius, sed tanquam effector & opifex, ea quæ proximè sequuntur verba declarant, *Quoniam in ipso*, inquit, *condita sunt omnia*.

Eâdem quoque istam Pauli verborum interpretationem reperire 67 *B. August.* est apud Augustinum in Capite 12. libri primi de Trinitate, vbi sic ait, Secundùm formam Dei dictum est de Christo qui est Dei Patris sapientia, *Prou. 8.* *Ante omnes colles generauit me*, id est, ante omnes altitudines creaturarum: Et, *Psal. 109.* *Ante Luciferum genui te*, id est, ante omnia tempora, & omnia temporalia. Secundum autem formam serui, de eo dictum est, *Prou. 8.* *Dominus creauit me in principio viarum suarum*; quia secundum formam Dei dixit, *Ioan. 14.* *Ego sum veritas*, & secundùm formam serui, *Ego sum via*. Nam quia ipse est primogenitus ex mortuis, iter facit Ecclesiæ suæ ad regnum, & ad immortalitatem etiam corporis; & ideò creatus est in principio viarum Dei in opera eius. Secundùm formam *Ioan. 1.* Dei ipse principium est quod & loquitur nobis, in quo principio *Gen. 1.* creauit Deus cœlum & terram: Secundùm autem formam serui, ipse Sponsus est procedens de thalamo *Psal. 18.* suo. Secundum formam Dei, *ad Coloss. 1* Primogenitus est omnis creaturæ, & ipse ante omnes est, & omnia constant in illo: Secundùm formã serui, *Ibidem, & Ephes. 2.* ipse est caput corporis sui, quod est Ecclesia.

Beatus etiam Thomas verba ista 68 *S Thomas.* Pauli de Christo secundum eius Diuinitatem interpretans, refert ea ad modum æternæ generationis Verbi ex fœcundissimo intellectu paterno,

paterno, ita scribens: Deus non in alio cognoscit se & creaturas, sed omnia cognoscit in sua essentia, sicut in prima causa effectiua. Filius autem est conceptio intellectualis Dei, secundùm quod cognoscit se, & omnem creaturam. In quantum igitur sic Filius gignitur, videtur quoddam Verbum repræsentans omnem creaturam, & ipsum est principium omnis creaturæ; Si enim Filius sic non gigneretur, solùm esset primogenitus Dei Patris, non autem creaturæ: Sed quia ita gignitur, vt diximus; tanquam principium scilicet omnis creaturæ, idcirco etiam primogenitus dicitur omnis creaturæ: cui & illud consonat quod Ecclesiastici 24. scriptum est, *Ego ex ore Altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam.*

Caietanus. 69 Similiter Caietanus istum ipsum Pauli locum enarrans Christum esse Primogenitum omnis creaturæ, interpretatur de ipso secundum eius Diuinitatem: Dicens, inquit, Paulus Christum primogenitum omnis creaturæ, ipsum manifestè distinguit à creatura, quæ, vt vox eius sonat, non genita, sed creata & facta est. Quanta igitur differentia est inter creatum, & genitum, tanta est inter Filium, & Creaturam. Duplex autem sensus horum Pauli verborum esse potest; Alter sensus est, vt significetur æternitas eius ex eo quòd est genitus ante omnem creaturam, per quod clarè excluditur error Arij ponentis Christum primam creaturam: Alter sensus est, quod Christus sit primogenitus possessiuè omnium creaturarum, ita vt per hoc describatur vniuersale eius dominium, quia est Dominus non Cœli, aut Terræ tantum, sed vniuersæ creaturæ. Quemadmodum enim primogenitus regni, est dominus regni, & primogenitus imperij, est dominus imperij; ita Christus dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia est genitus dominus omnis creaturæ: ius etenim primogeniti, est hæreditatis paternæ. Hæc Caietanus.

Ex supradictis igitur tot nobilium Scriptorum interpretationibus illorum Pauli verborum dilucescit, quemadmodùm intelligere oporteat Christum, etiam qua Deus est, primogenitum esse omnis creaturæ.

70 Altera est sententia eorum, qui primogenitum esse omnis creaturæ, interpretantur de Christo, secundùm eius Humanitatem: nam secundùm Diuinitatem Christus est vnigenitus, non autem primogenitus, secundùm verò Humanitatem est primogenitus in multis fratribus. *Ad Heb. 2.* Hieronymus in commentario eius loci, (si tamen Beatus Hieronymus illorum Commentariorum auctor fuit, *Hieronym.* qua de re nos multifariam in Secundo Tomo Selectarum Disputationum super Epistola Beati Pauli ad Romanos nostram Lectori sententiam indicauimus) ad hanc sententiam explanat illa Pauli verba: Secundùm assumpti hominis, inquit, formam, Christus omnis creaturæ dicitur primogenitus, non quidem tempore, sed honore, secundùm illud, *Primogenitus meus Israel.* *Exod. 4.* Sed hanc ipsam pluribus verbis persequitur interpretationem Anselmus: *Anselmus.* Secundùm, inquit, formam serui dictus est Primogenitus omnis creaturæ: nam secundùm formam Dei non est primogenitus, sed vnigenitus, sicut dixit Ioannes, *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*: *Ioan. 1.* Secundùm autem formam serui, ipse est primogenitus in multis fratribus: *Ad Rom. 8* in substantia Diuinitatis est vnigenitus, secundùm susceptionem Humanitatis, est primogenitus in gratia. Primogenitus itaque dicitur omnis creaturę, quia sicut qui est omnium fratrum primogenitus, primatum dignitatis

 obtinet

obtinet inter omnes; ita Christi Humanitas primatum dignitatis & honoris obtinet inter oẽs creaturas; ita vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Sic Anselmus. Atque hæc sunt ab alijs super illo Pauli loco de Christi primogenitura omnis creaturæ, disputata & litteris tradita.

1. Reg. 2.

DECIMANONA Disputatio.

Explicatur Auctoris sententia, super eorundem illorum Pauli verborum interpretatione.

71 EQuidẽ arbitror, istud quod dictum est à Paulo, Christum esse primogenitum omnis creaturæ, posse vtroq; modo, etiam secundùm sensum litteralem, intelligi, id est, tam secundùm eius Diuinitatem, quàm Humanitatem. Quemadmodum Christus secundùm Diuinitatem suam sit primogenitus omnis creaturæ, præcedente Disputatione satis declaratum est, in prioris sententiæ tractatu explicatuque. In eademque Disputatione etiam ostensum est, secũdum interpretationem Hieronymi, & Anselmi, quo modo Christus secundum Humanitatem suam dicatur Primogenitus omnis creaturæ: Cùm enim sanctissima illa Christi Humanitas & in scientia, & in potentia, & in gratia, & in gloria, & in omni benedictione spirituali & cœlesti exaltata sit à Deo super omnes creaturas, verè & congruè dicitur homo Christus Primogenitus omnis creaturæ, non quidem tempore, sed dignitate atque honore, bonorumque omnium exuperantia atque excellentia. Nam quia primogenitus filius, à patre super alios omnes filios & amatur, & honoratur, & bonorum suorum hæres efficitur; eo factum est, vt qui aliquem super omnes alios diligit, & honorat, & bonis suis donat, is dici soleat primogenitus illius: secundùm quam eius vocis significationem Dominus dixit Moysi, *Filius meus primogenitus Israel:* & per Ieremiã, *Ephraim primogenitus meus.* Et Apostolus Sanctorum congregationem in cœlis vocauit Ecclesiam primitiuorum, siue primogenitorum. Cùm igitur ista Pauli verba & ad Diuinitatem & ad Humanitatem Christi, secundum significationem eorum verborum in sacra Scriptura vsitatam, aptè commodeque referri queant, non est profectò negandum, vtramque interpretationem non solùm esse verã & congruam, sed etiam litteralem.

Exod. 4. Ierem. 31. Ad Heb. 12.

Nam etsi vocabulum Primogenitus siue genitus in Philosophorum scholis vsurpari solitum, significet generationem substantialem; per quam genitus fit consubstantialis generanti: In Sacris tamen litteris verbum Gignendi, non rarò tribuitur Deo respectu hominis, ad significandum vel naturalem hominis productionem, vel spiritualem eius regenerationem. Prioris significationis exemplũ habes in illis verbis Cantici Mosis: *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Posteriori autem significatione vsus est Iacobus Apostolus, cùm dixit, *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Et Paulus ad Philemonem scribens, seruum eius Onesimum appellat filium suum charissimum, à se genitum dum erat in vinculis. 72

Locus Deut. 32. Iacobi 1.

Possum ego hanc sententiã confirmare Beati Augustini auctoritate, qui vtramq; interpretationem & approbauit, & Scriptis suis tradidit. Nam eius interpretationem de primogenitura Christi secundùm 73

dùm eius Diuinitatem suprà ex primo eius libro de Trinitate commemorauimus in ea, quæ hanc proximè antecessit, Disputatione, cùm priorem sententiam exponeremus. Eius verò interpretationem de primogenitura Christi secundùm Humanitatem eius duobus in locis apud ipsum reperire licet: Prior locus est in Capite quarto libri eius contra Secundinum Manichæum, vbi sic habet, Deus vnico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, vt apud se Vnigenitum, ad nos Primogenitum faceret. Ex illo igitur, quia Vnigenitus est, non ex carne, nec ex sanguine, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Ex illo autē, quod Primogenitus in Ecclesia fratribus factus est, *Verbum caro factum est; & habitauit in nobis*. Alter locus est in Capite primo eius libri quem scripsit de Fide & Symbolo: vbi hæc sunt eius verba, Secundùm id, quod Vnigenitus est, non habet fratres; secundùm autem quòd Primogenitus, fratres vocare dignatus est omnes, qui post eius primitias in gratia Dei nascimur per adoptionem filiorum, sicut Apostolica doctrina commendat. Naturalis ergo Filius de ipsa Patris substantia natus est, idem existens quod Pater, Deus de Deo, lumen de lumine, illuminans omnem venientem in hunc Mundum; Sed æternæ eius generationi adiungere etiam oportet temporalem dispensationem, quam ipse gerere & ministrare nobis pro nostra salute dignatus est: Nam secundùm id quod vnigenitus est Filius Dei, non potest dici quod fuit, vel erit, sed tantùm quod est, sicut ipse dixit Moysi, *Ego sum qui sum*.

S. August. Ad Rom 8. — Ioan. 1. — Ibidem. — Ioan. 1. — Exod. 3.

†

VIGESIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. VERS. 15

Peruulgata est sententia hæc, & prouerbij loco celebrata, vimq; & robur veritatis ex ipsa natura habens. Potiones enim vel præfrigidæ, vel præferuidæ, quia vim habent valde contrahendi & constringendi stomachum, prorsus arcent vomitum: quem contra ciēt atq; irritant potiones tepidæ, quia laxant & resoluunt stomachum, ex quo, propter quandam eorum quæ in stomacho sunt agitationem & quasi fluctuationem, appetitus vomitionis existit. 74

Illud, *vtinam*, optantis esse videtur, sed quo modo optabile est frigidum esse, cùm id sit per se malum? Non est profectò per se optabile, sed in comparatione duntaxat tepidi, quod est perniciosius malū: minus enim malum cum maiori malo comparatū, vt Philosophi & Theologi cēsent, induit velut quandam boni rationem. Illud porrò vocabulum (calidus) non significat hoc loco vtcumque calidum, nam etiam tepidum est aliquo modo calidum; sed significat vehementer calidum siue feruidum, hoc enim significat quæ hic est Græca vox ζεστός. Iam verò illud esse tepidum, non significat medium quoddā imperfectè particeps caloris & frigoris, secundū consiliū & propositum Domini in hoc loco; sic enim 75

significaretur, eum qui est imperfectè bonus, & imperfectè malus, esse peiorem eo, qui est perfectè malus, & nihil habet boni, quod perspicuè falsum est. Hic igitur sumitur tepidum ea ratione, vt est contrarium stomacho, concitans ipsum ad nauseam & vomitum, & quantùm ad hoc, peius est frigido & feruido.

76 Sed quod genus hominum sint isti, quos Dominus hoc loco appellat tepidos, variæ sunt Explanatorũ libri huius, & aliorum qui suis in scriptis locum hũc Apocalypsis tractarunt, interpretationes quas ego hic recensebo. Prima itaque interpretatio est Victorini, Tepidos esse simulatores vel dissimulatores religionis, eam vel profitentes vel abnegantes, prout sibi suisque rebus conducere viderint: nimirum similes eorum qui in hac ætate nostra vulgò Politici appellantur, nec apertè Hæretici, nec aperte Catholici. Secunda Interpretatio est Primasij, Frigidos esse, qui nullas habẽt diuitias quibus subuenire alijs possint: Feruidos esse, qui diuitias quas habent, benignè communicant cum egentibus: Tepidos verò esse diuites auaros atque immisericordes erga pauperes. Tertia Interpretatio est eiusdem Primasij: Nomen, inquit, Tepidorum potest hic significare personam illorum, apud quos intra cubiculum Scripturæ sacræ tractantur; foris autem, vtrum fideles sint ignoratur: & fiducialiter ac tutè præsumentes, inueniuntur bonis operibus vacui: Quocirca neque tepidos, neque feruentes illos esse dicit, id est, neque incredulos, neq; fideles. Huius non dissimilis est quarta Interpretatio quæ est Ambrosij, Frigidos esse Infideles; Calidos esse Fideles, sed feruentes in operando: Tepidos esse eos qui fidem habent, sed benè operari negligunt, sola fide contenti, per eam sibi & iustitiam æternamque promittentes salutē. Ponam hic Ambrosij verba: Frigidus non erat iste, quem Dominus hoc loco reprehendit, quia cũ opera fidei non haberet, sola tamen fide se iustũ esse putabat. Calidus non erat, quia charitas illi deerat, ideò Dominus ei dixit, *Vtinam calidus aut frigidus esses*, id est, aut charitate ferueres, aut te peccatorem, sicut es, existimares, vt per timorē ignis æterni, & per pœnitentiam ad bona opera facienda compelleris. *Sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*. Aqua tepida si hausta fuerit, fastidium & nauseam generat stomacho, & ideò per eam facilè quod in stomacho est, reijcitur. In os autem Domini tunc ingredimur, quando per Baptismum à peccatis omnibus emundati mẽbra eius efficimur: Ergo si fidem, quæ per charitatem operatur, quã in Baptismo promisimus, à charitate tepescentes, exercere in bonis operibus neglexerimus, ab ore Domini, tanquam quiddam nocuum, & fastidiosum, & reprobum reijciemur, sicut ipse dixit de seipso Discipulis suis, *Ego sum vitis, vos palmites*. Et, *Pater meus agricola est, omnem palmitem non ferentem in me fructum, tollet eum, & in ignem mittet, & ardet.*

Prima Victorini.

Secunda Primasij.

Tertia eiusdem.

Quarta Ambrosii.

Ioan. 15.

Quinta Interpretatio est Andreæ Cæsariensis, quam ille tribuit Gregorio Theologo ita scribens: 77
Qui omnino adhuc friget, hoc est, feruentis fidei expers est, spem facit vt eam aliquando consequatur, atque ita ex frigido feruidus euadat. At verò qui per Baptismum Spiritu feruidus fuit, & postea per ignauiam intepuit, is profectò spē salutis sibi ipsi quodammodo amputauit, fide nimirum, quam ante complexus videbatur, repudiata. Et in operibus quidem externis, quod est medium, non semper respuendũ est, quasi cum vitio sit coniunctum: sicut legitimum coniugiũ, quod est medium inter virginitatis custodiam, & vagam libidinē, nequaquam condemnandum est:

Quinta Andreæ.

at verò medium, id est, tepidus in fide, iure ab omnibus improbatur atque reijcitur.

Sexta Gregorij. Sexta loci huius interpretatio numerari ea potest, quam Beatus Gregorius in tertia parte Curæ Pastoralis in Admonitione XXV. tradit his verbis, Calidus est, qui bona studia inchoat, & consummat: frigidus est, qui consummanda nec inchoat quidẽ. Et sicut à frigore per teporẽ reditur ad frigus. Sed sicut ante teporem frigus sub spe est, vt aliquando veniat ad feruorem; ita tepor, qui à feruore defecit, in desperatione est: Qui enim adhuc in peccatis est, conuersionis fiduciam non amittit; qui autem post conuersionem tepescit, etiam spem quæ esse potuit de peccatore, subtraxit. Aut igitur frigidus sit vt necdum conuersus, de se spem conuersionis præbeat, aut feruidus sit, vt iam conuersus in virtutibus inardescat, ne si tepidus sit, euomatur, quia à feruore quem ab initio habuit, per torporem ad noxium frigus rediuit. Hæc Gregorius; Secundùm quem, tepidus appellatur quià primo feruore conuersionis, & conuersationis paulatim tepescens, tandem reductus est ad frigus iniquitatis. Huc spectat illa Beati Petri sententia, *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitam retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum erat sancto mandato.* *Locus 2. Pet cap. 2.*

Septima Ansberti. 78 Septima est Ansberti, Frigidos, esse sæculares; Calidos, esse Monachos Spiritu feruentes, & in virtute perfectos; Tepidos, esse habitu tãtùm & nomine atque habitatione Monachos, animo verò & conuersatione planè sæculares. Sed hanc ipsã Interpretationẽ ante Ansbertum copiosè ac luculentè tractauerat in Cõmentario huius loci Haymo: Sunt, inquit, qui opes terrenarum facultatum dimittunt, & ad ministerium venientes, habitum Religionis assumunt; deinde torpentes, sibi hoc ad salutem sufficere posse credunt, quòd sua dimiserunt; quòd varia crimina, quæ sæculares faciunt, ipsi sub habitu Religionis constituti non admittunt. Atque idcirco dormiunt, & comedunt, atque bibunt, & securè viuunt; cumque hoc faciunt, tepidi existunt. Quibus meliùs fuerat in sæculo manere, vbi & peccata sua recognoscerent, & aliquando per Dei misericordiam compuncti, & veniam consecuti, bonis operibus studerent, quàm in monasterio manentes à bonis operibus cessarent. Tepidus ex calido fieri solet & frigido, quia nonnulli ex frigore infidelitatis conuersi ad iustitiæ feruorem non transeunt: alij autem ab ipso iustitiæ calore quo priùs feruebant, ad pristinum frigus iniquitatis animum actusque reflectunt. Omnes autem experimur, frigidum & calidum facilè in corpus admitti, tepidũ verò ab ipso etiam ore reijci. Os Domini sunt Prædicatores sancti, Vnde Prophetæ dicere solebant, *Os Domini locutum est hoc.* Tanta enim erat in illis sanctitas, vt in eorum cordibus habitaret Deus, & per eos, quasi per os suum loqueretur. Os igitur Dei sunt Prædicatores sancti, per quorum ministerium quotidie Deus in corpus suum, id est, in Ecclesiam admittit & calidos, id est, feruentes, dum per diuinam prædicationem meliores in dies efficiuntur, & frigidos, id est, infideles, quando per fidei prædicationem conuertuntur ad Christum, & Sanctorum numero sociantur: Tepidos autem, nolentes conuerti, quia illi Prædicatorum verba despiciunt, cùm in sua securitate torpescunt, Sancti viri exhortari desistunt, & velut infructuosam terram deserunt, quoniam ad meliorem vitam reformari posse diffidunt: Facilius enim est quemlibet Paganum ad fidem Christi adducere, quàm talem aliquem à suo torpore ad Spiritus feruorem reuocare. *Haymo.* *Esa. 25.*

Octaua Ruperti. 79 Octaua Interpretatio est Ruperti, Tepidos esse, qui pro bonis à Deo acceptis non ei gratias agunt, sed placentes sibi, & præfidentes, superbe insolescunt: Itaque secundùm Rupertum Tepidi hoc loco nominantur homines ingrati, & superbi, ob bona quæ habent.

Nona S. Bernardi. Nona Interpretatio est Sancti Bernardi Sermone tertio in Assumptione Beatę Marię, Calidos interpretantis viros amoris diuini igne flagrantes, & ad bona opera facienda promptos & alacres: Frigidos autem, eos qui ex suæ fragilitatis, suorumque peccatorum, & periculorum in quibus versantur, consideratione, tristes atque humiles sunt, & compunctionis aqua Diaboli tela ignita restingnunt. Tepidos verò esse, qui neutrum istorum habent. Hanc Bernardi Interpretationem Ioachimus Abbas & sequitur, & paulò latiùs explicans, Calidus, inquit, est, qui gaudet in Domino pro eius erga se misericordia: Frigidus est, qui tristatur in se pro peccatis suis. Bene ergo lætatur, qui lætatur in Domino: benè tristatur, qui se esse intelligit peregrinum; quis est autem magis peregrinus, quàm is, qui per mala opera, *Lucæ 15.* quæ fecit, longe discessit à Deo suo, pascens & custodiens porcos in regione longinqua? Quando autem iste benè tristatur, nisi cùm ad se reuersus dicit cum magno gemitu, *Ibidem.* *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Et talis quidem tristitia solet nonnunquam accidere eis, qui nondum conuersi sunt a vanitate sæculi ad vitam religiosam: Hæc autem tristitia etsi non satis fructuosa est quoad gloriam ęternam, vtilis tamen est & accepta Domino quoad salutem animæ; quia licèt non est talis, vt mereatur coronam; talis est tamen, vt conducat ad veniam. Qui autem nec tristis est ad pœnitentiam, nec lætus & alacer ad obsequium Dei, is vocatur hoc loco tepidus; & quia non est aptus saluti, euomitur ex ore Domini, id est, ex memoria Dei eijcitur, in qua sunt iusti, & separatur à consortio & societate Sanctorum, vt in eos competat illud, *Psalm. 118.* *Psalm. 68.* *Deleantur de Libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Qui si aliquando intus fuerunt per vocationem gratiæ, foràs tamen eijciuntur propter inertiam vitæ. Sæpe isti enumerant & magnificant bona opera exteriora quæ faciunt, quæ cùm in alijs non vident, illos steriles esse, se autem fertiles putant; & dupliciter sunt reprehensibiles, & quia non sunt quod esse se putant, & quia vanè ac superbè se iactant de eo quod verè non sunt.

Decima Interpretatio Lyrani. Decima Interpretatio est Lyrani, Frigidum esse, qui mala facere refugit metu pœnæ; Calidum esse, qui propter Dei amorem à malis abhorret, & feruet in bene operando: Tepidum verò, esse otiosum, & spiritali acidia & quasi quodam languore Spiritus torpentem. *Vndecima Cœli.* Vndecima est Cœlij Pannonij, Tepidos esse, hypocritas, qui nec verè boni sunt, nec apertè mali, & bene dissimulant malitiam quam habēt; & mendaciter simulant virtutes quas non habent, quod genus hominum & per se pessimum est, multisque perniciosum, & vt in Euangelio legimus, sæpius à Domino nostro grauissimis & seuerissimis verbis reprehensum atque damnatum.

†

VIGE-

VIGESIMAPRIMA Disputatio.

Exponitur duodecima eorundem illorum verborum Interpretatio, quæ præ ceteris Auctori videtur esse probanda.

81 Duodecima Interpretatio, quæ superioribus videtur præferẽda, est huiusmodi: Tepidum appellari hoc loco eũ qui, cùm reuera bonus non sit, ipse tamen se bonum esse sibi penitus persuadet, eoque superbia tumet, & sibi perplacet atque præfidit, & securè viuit, quasi nullius egens nihilque timens. Talis profectò erat iustitia Pharisęorum, quam & sæpius & vehementer insectatus est Dominus noster, vt in Euãgelio legimus. Talis erat illius Pharisæi, qui bona sua iactans, & præ se ceteros, præcipuè autem publicanum, qui inibi aderat, contemnebat. Iuxta hoc videtur esse, quod Ioannes in Euangelio refert Dominum de Pharisæis dixisse, *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant, & dixerunt ei, Numquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, Quia videmus, Peccatum vestrum manet.*

Luc. 18.

Locus Ioannis 9.

82 Voluisse autẽ Dominum in hoc loco Apocalypsis vocabulo Tepidi denotare idipsum quod diximus, apertè declarant verba illa quæ ipse proximè adiecit: *Dicis quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu miser es, & miserabilis &c.* quibus verbis indicatur, istum putasse iustum se, & sanctũ, & fœlicem esse, cũ Dei iudicio esset omnis sanctitatis & probitatis expers, & miser, & miserabilis. Ergo quos Dominus hic appellat frigidos, & tepidos, eos in supradicto Euangelij loco appellauit & non videntes; & videntes. Non videntes, quia & nõ videbant, & se non videre agnoscebant, & istos Dominus ad videndũ adducebat, illuminatis per fidem eorum mentibus; Videntes aũt dixit, qui se videre putabant, & iactabãt, & illuminationem Christi oderant, cũ tamen reuera cæci essent, & in densissimis errorum atq; vitiorum tenebris versarentur, & ex malitia sua, ad Christi prædicationem magis excęcarentur. Istiusmodi tepidorum & videntium hominum genus est ferè inemendabile, vt nõ immeritò tales tepidi etiam valde frigidis & peiores & inemendabiliores esse videantur.

Iuuat hic referre documentum quoddã à Ioachimo Abbate in hoc loco traditum, valdè considerãdũ & obseruandum ijs pręcipuè qui relicto Sęculo, & monasteriũ ingressi, in professione religiosæ disciplinæ ac vitæ quam fecerunt, tepidi sunt, ea inquam tepiditate, quam Dominus in hoc loco tantoperè reprehendit. Notandum est, inquit Ioachimus, quòd etsi esse frigidum aut calidum aliquem, optare se Dominus ostendit, cum dixit, *Vtinam esses frigidus aut calidus*, non ideò tamen licet tepido ad frigiditatem redire: Qui enim professionem religiosæ vitæ facit, non licet ei ad curas Sęculi redire, nec respicere retro ad opera sęcularia quæ spõte sua reliquerat: bonum quippe fuisset illi manere vbi manebat, quàm de frigiditate Sęculi ad tepiditatem in Religionẽ venire: Verumtamen ex quo iam in Religionem venit, tepidum quidem manere damnabile est; redire ad Sęculi frigiditatem miserum est; ad religiosæ autem vitæ perfectionem properare beatum est. Miro autem modo grauantur qui in Religiosæ vitæ statu tepidi sunt, & quasi quibusdam legum funibus ligantur 83

Ioachimus

gantur, vt nec ibi, vbi sunt, stare tepidi audeant, nec redire ad vitam sęculi permittantur: sed velint nolint, aut omnino felices, aut omnino miseri & inutiles sint. Quod si forte non ex diuini timoris frigore istiusmodi hominum conuersio ad religiosum statum facta est, sicut nonnullis accidit, & nos in quibusdam experti sumus, sed ex solo tentationis incursu Religionis instituta arripuerunt; debent, qui huiusmodi sunt, hoc ipsum cum intelligunt, expauescere, & attendentes se non esse liberos a seruitute Dei, non mutato habitu mentem mutare, quasi metuentes, ne non vocati a Domino habitum libertatis præripere præsumpserint, sed festinent atque instent orationibus, & hymnis, pulsent ianuam pietatis Dei, vt præsumptuosa temeritas in deuotam seruiendi Deo voluntatem conuertatur, & superabundet Dei gratia, vbi abundauit eorum iniquitas. (Rom. 5.) Et hoc quidem dictum sit de illis qui nec Dei timore, nec amore ad religiosam Dei seruitutem tracti sunt, sed alicuius tentationis impulsu ventilati, & quasi tempestate delati, magis vtique tentaturi Deū si propositum suum deserant cum Hebræis, qui nolentes pergere ad terram promissionis, sed in Ægyptum regredi volentes, in eremo ceciderunt (Num. 13. 1. Cor. 10.): ac non potius fideliter agere, & strenuè debellare cū Hebræis qui cum Iosue, & Caleb transierunt Iordanem (Iosue 3. in fine.). Solet enim etiā in istis hominibus Omnipotens Deus aliquando diuitias suæ bonitatis ostendere, & facere occultam vocationem, quæ putabatur esse tentatio. Illi porrò, qui bono impetu, & spiritu ducti sunt ad seruitutem Dei, in eo præcipuè arguendi sunt, si mutato habitu, non multo etiam magis mores mutent, si non de timoris seruitute ad charitatis transeant libertatem, sine qua religiosa professio quid aliud est, nisi vanæ sanctitatis professio? Charitas enim est summa virtus, & prima inter virtutes omnes; quam qui habet, nullius eget, omne cum ea bonum possidens. Sic Ioachimus.

VIGESIMASECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 17

Dicis quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

DIVES & locupletatus 84 Ambrosius
rectè dicitur, Ambrosius ait, qui omnibus virtutibus plenus vsque ad culmen perfectionis excreuit. Iste autem Præsul Ecclesiæ Laodicensis se omnibus virtutibus esse diuitem & locupletem æstimabat, & nihil se ad salutem æternam acquirendam aliud agere oportere putabat; non recogitans illud quod dixit Iacobus Apostolus, Fidem sine operibus mortuam esse (Iacobi 2.): & ideo dixit ei Dominus, *Nescis quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus?* Miserum enim dicimus qui vna cum paupertate & nuditate, aliqua etiam infirmitate premitur: Similiter & iste Episcopus miser dicitur, eo quod erat pauper virtutibus, & bonis operibus nudus, & animo vitijs ægro, & ad bona agenda infirmo.

Andreas Cæsariensis existimat 85 Andreas.
istum Episcopum fuisse diuitiarum secularium amatorem & sectatorem, atque earum diuitiarum fiducia, quasi nullius indigētem, se beatum esse existimasse: sic enim scribit, Quemadmodum potius tepi-

dus

dus ijs qui eum sumunt, ciere vomitum solent: ita ego te per verbum oris mei, velut execrabilem escam, in sempiternum supplicium exspuam: Nam diuitiarum spinis obsitus diuini Verbi semen in te præfocas: tuamque in rebus spiritualibus inopiam ignoras, neque interiorum oculorum tuorum cæcitatem curas, neque tuam a bonis operibus nuditatem consideras. Sic ille. Sed verisimilius fit, & aptius verborum contextui, Dominum hic de spiritali potius, quam de seculari paupertate atque opulentia sermonem habere.

S. Gregorius.

86 Beatus quoque Gregorius in libro 30. Moralium cap. 2. super illis verbis Iob capitis 41. *Et faciem eius præcedit egestas;* hunc ipsum commemorans locum Apocalypsis quem nunc tractamus, pulchrè disputat de duplici paupertate siue egestate, altera Electorum hominum, altera verò Reproborum: Illi enim cùm se in exilio positos, & cælestis patriæ æternas diuitias quibus ipsi carent cum animo suo reputent, in corde suo gemunt atque suspirant, illarum cælestium diuitiarum desiderio flagrantes. Contra vero Reprobi cælestes diuitias nihil curant, solasque mundi diuitias ardenter cõcupiscunt, omnique studio & cura consectantur, quas si contigerit eis possidere, nullius se rei indigentes, & quasi beatos existimant, cum ipsi tamen sint reuera pauperrimi atque miserrimi. Gregorij verba hæc sunt: Electi hoc in exilio positi memores diuitiarum cælestis patriæ, de quibus illud Apostolus dixit: *Vt sciatis quæ sit spes vocationis Dei, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis:* pauperes se esse agnoscunt & illas perpetuò delicias cœlestes suspirantes, in sua gemunt ærumna paupertatis. Tali animo & sensu se Ieremias fuisse ostendit, cum dixit, *Ego vir videns paupertatem meã in virga indignationis eius.* Tunc sanè in virga indignationis eius percussus est homo, cum ex Paradiso pulsus, veras interni gaudij diuitias amisit. Sed hanc paupertatem Reprobi cõsiderare nesciunt, quia dum sequuntur ea quæ conspiciũt, cogitare inuisibilia negligunt, quæ perdiderunt: vnde egestas eorum propriè dicitur, quia dum replentur vitijs, virtutum diuitijs vacuantur: sicut in Apocalypsi Prædicatori Laodicensis Ecclesiæ dicitur, *Dicis quod diues sum, & locuples, & nullius egeo: & nescis quia tu es pauper, & cæcus, & nudus.* Quasi diuitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper est, quia virtutum diuitias non habet; & cæcus est, quia non videt paupertatẽ quam patitur, & nudus est, quia stolam gratiæ perdidit; & illud peius, quod nec se perdidisse cognoscit. Sic Beatus Gregorius.

Differẽtia paupertatis electorũ hominũ, atque reproborum

Ad Ephes. 3.

Locus Threnorum 3.

Ioachimus

Ioachimus Abbas hæc ipsa verba Domini dicta in Episcopum illum Laodicensem, qui se diuitem & nullius indigẽtem putabat, aptè conuenire ait in homines inuidos, eos præcipuè qui religiosæ disciplinæ & perfectionis Euangelicæ professi obseruantiam, inuidiæ morbo laborant, & omnibus qui in eadem congregatione sunt, superiores, aut certè pares videri gestiunt, inferiores autem haberi nullo modo ferunt. Naturale, inquit, est, inferiore, inuidere superioribus, & ostentare se coram alijs, ne illis esse impares videantur: qui cum se dicant esse quod non sunt, erubescunt tamen agere quo modo sunt, ne suã prodere videantur egestatem. Sed isti qui profitebantur se primos esse, incipiunt cum rubore nouissimum locum tenere. Qui enim vult ad gradum altiorem ascendere, vt prius descendat ad humiliora necesse est. Verum qui talem se dicit esse a principio, qualis futurus erat in fine; nonne confusio est illi declinare se ad vitam humilem, qui se paulò antè magnum esse fingebat? Sic, sic inuidia mendacium osten- 87

Lucæ 14.

ostentationem, ostentatio confusionem: vbi autem confusio, ibi tristitia est. Et quia nemo volens confunditur; agit iste quantùm potest ne confundatur, & laborat, vt lætus sit, aut certè videatur. Sed nemo potest verè lætus esse, qui in se non habet, vnde queat iure lætari: quocirca simulat quod non est, & dissimulat quod est, & in tantum inuidiæ comes indiuiduus est appetitus laudis & gloriæ, qui & ipse non minus quàm inuidia, longè facit hominem à sensu suo, ita vt non solùm se esse dicat, verùm etiam existimet se esse quod non est; vt cùm videt aliquem plus quã se honorari, non iuri & merito illius adscribat cui honor impenditur; sed sibi cui non defertur æstimet derogari, atque iniuriam fieri; sicque fit, vt mens superba & cœca semet ipsam ignorans, & honorem supra omnes cupiat & ambiat, & tamen vt possit ad honorem pertingere, laudari prius cum ceteris erubescat, omnino sane dissimilis illius Prophetæ & Regis, qui
Psal. 83. dicebat, *Elegit abiectus esse in domo Dei mei*. Nec isti sunt de numero illorum de quibus Psalmista dixit,
Psal. 114. *Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me*: sed de numero eorum de quibus dixit
1. Cor. 3. Apostolus, *Cùm sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Hactenus ex Ioachimo.

†

VIGESIMATERTIA Disputatio.

Quemadmodum alij sint interpretati verba illa Domini:

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.

88

QVod in hoc loco vocatur aurum ignitum, multi interpretantur Sapientiam, siue eam quæ est vnũ de septẽ donis Spiritus Sãcti, siue eã quę diuini Verbi & sacrarũ Scripturarum scientiã cõtinet: Sic intelligunt Ambrosius, Andreas, B. Gregorius, & Primasius. Alij nomine & similitudine auri significari putãt charitatem feruentem, vel ipsum Christum igne passionis inflammatum. Audiat Lector quemadmodum Ambrosius interpretetur Sapientiam: Per aurum, inquit, Sapientia intelligitur, sicut scriptũ est, *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis*. Probatum dicitur, quia probatos & perfectos reddit Sapientia eos quos possidet; Aurum ignitum ideò vocatur, quia eorum mentes in quibus habitat Sapiẽtia, in Dei atque proximi amorem accendit. Et quia vera Sapientia ex diuinis Scripturis accrescit, similiter etiam sacra eloquia Domini dicuntur eloquia casta, & argentum igne examinatum, & probatum terræ, & purgatum septuplum. Casta vocantur eloquia Dei, quia castas mẽtes à vitijs reddunt. Dicuntur etiã argentum igne examinatum, quia mentes fidelium igne charitatis ab omnibus

Ambrosius
Prou. 21.
Psalm. 11.

omnibus

omnibus sordibus purgatas examinant. Quòd autem ait (probatū terræ) in Hebræo est (separatum à terra.) Dicitur etiam septuplum purgatum, propter septē purgationes, quas diuina Scriptura in se cōtinet; septem videlicet virtutes, quibus omnia vitia purgantur: quemadmodum gulæ vitium purgatur per abstinentiam, libido per pudicitiam, odium, auaritia, inuidia, & alia multa per charitatem, & cetera vitia habent hostes suos, à quibus aut vincuntur, aut vincunt ea. Hæc Ambrosius.

89 Nec dissimilis est Andreæ interpretatio: Si ditescere, inquit, vis à me qui veras stabilesq; diuitias largior, feruēti desiderio ignitum aurum emitto, nempe sacræ doctrinæ verbum igne exploratum splendidumque redditum. Per hoc enim cordi tuo eiusmodi thesaurus continget, qui nec violari, nec eripi tibi possit; vestierisque splendida virtutum stola, qua nuditas & turpitudo quam ex peccato contraxisti, cōtegetur. Eodem spectat interpretatio Beati Gregorij qui lib. 4. Moralium cap. 35. super illis verbis Iob capitis tertij, *Cum Principibus qui possident aurum, & domos suas replent argento*, commemorans hunc ipsum locum Apocalypsis, aurum ignitū interpretatur Sapientiam ita scribens, Quid per aurum nisi Sapientiam debemus intelligere, de qua Salomon dixit, *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis.* Aurum nempe Sapientiam esse vidit, quam vocauit thesaurum: rectè autem nomine auri sapientia designatur, sicut enim auro temporalia, ita per sapiētiam bona æterna meremur. Si enim sapientia non esset aurum, nequaquam Laodicensi Ecclesiæ diceretur ab Angelo, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum:* Aurum quippe emimus, cùm accepturi sapientiam, prius obedientiam præbemus: ad quem profectò contractum nos Sapiens quidam excitat, dicens, *Concupisti sapientiam, serua mandata, & Dominus præbebit illam tibi.* Sic Gregorius.

S. Greg.

Prou. 21.

Eccl. 1.

Etenim verò, quod hic appellatur aurum ignitum, interpretatur Haymo ipsum Christum Dominū igne passionis inflammatum, vbi seruens eius charitas mirabiliter commendata est, cum pro suis etiā persecutoribus & occisoribus Deū rogauit dicēs, *Pater ignosce illis.* Cuilibet itaque fidelium sub nomine istius Episcopi Laodicensis dicitur *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum*, id autem est; Si vis abundare virtutibus, stude imitari patientiam & mansuetudinem, & charitatem, quam in sua passione Christus ostendit, siue cum à Deo flagellaris: siue cum ab hominibus iniurias & damna pateris, vt & ipse aurum fias incendio tribulationis decoctum atque probatum, iuxta illud Psalmistæ, *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum* Et iterum, *Transiuimus per ignem & aquam.* Possumus quoque per aurum igne probatum intelligere charitatem, quam qui habuerit, omnibus ditabitur virtutibus. Ipsa enim est radix omnium bonorum, & est igne probata virtus, qa per amorem Spiritus verè accenditur, & per eam homo purus fit, & probatus Deo. Hæc est vestimentū album, operiens multitudinem peccatorum, hæc virtutibus ornans & decorans animam: Alba porrò dicitur charitas, quia nec vllam secū admixtam maculam nec duplicitatem habere potest. 90

Haymo.

Luc. 23.

Psalm. 65

Ibidem.

Prou. 10.

1. Pet. 4.

His cōsona Rupertus super hoc loco scribit: Hoc tibi scire expedit, Dixit Laodicensi Episcopo Dominus, Scito quod ego diues sum, & quod in me sunt omnes thesauri scientiæ absconditi: tu autem pauper es; Si istud scis, eme à me aurum sapientiæ ignitum ex charitate, probatum ex fide per charitatem operantē: Hoc autem aurum eme pretio piæ confessionis, & iugi me- 91

Rupertus.

memoria propriæ fragilitatis, semper cogitando & considerando quid ex te sis, & quid a Deo acceperis: sic enim locuples fies, addita tibi gratia, & cælestibus auctus bonis; & vestimentis albis induaris, non ex operibus tuis, sed ex diuinæ gratia largitionis, Psalmista dicente, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Ita fiet, vt non appareat confusio nuditatis tuæ: quod sanè nonnullis euenit, qui propter elationem mentis inciderunt in tentationem & confusibilem corruptionem carnis. Huc item pertinent, quæ Ioachimus in explicatione huius loci scribit, Charitas, inquit, est ignis verus ex auro hoc ignito procedens, hoc est, ex ignito eloquio diuino, de quo dixit Psalmista, *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Videtur enim aurum pertinere ad sapientiam, ignis autem ad charitatem; vt quemadmodum ex radio Solis calorem ita de sapientia intelligamus procedere charitatem. Hæc est enim aurum ignitum, & thesaurus desiderabilis requiescẽs in ore sapientis: hæc est præceptũ Domini lucidum, illuminans oculos: hæc est vestimentum operiens multitudinem peccatorum, Sapientiam dico, non Sæculi, quæ mentem superbia inflat; sed sapiẽtiam quæ ex Deo est; quæ non potest inflare animam, quia coniunctam habet secum charitatem, quæ ædificat, omnemque inflationem superbiæ dissipat.

Psalm. 31.
Ioachimus
Psalm. 118
Prou. 21.
Psalm. 18.
1. ad Cor. 8
1. Cor. 2
Ibidem.
1. Cor. 8.

VIGESIMAQVARTA Disputatio.

Quo pretio possit emi aurum charitatis & sapientiæ.

CETERVM supradicti 92 Auctores quæstionẽ minimè leuem hoc in loco suscitant super illis verbis Domini, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*; Siue enim per aurum ignitum intelligatur diuina sapientia, siue charitas, neutra profectò videtur emi posse: Sapientia enim nullo condigno pretio æstimabilis est, testante hoc ipsum Beato Iob verbis illis, *Nescit homo pretium eius.* Vbi pluribus commemoratis quæ prætiosissima videntur apud homines ostendit, nullum eorum esse posse condignum pretiũ sapientiæ. Charitas porrò, cum sit vel ipsa gratia gratum faciens, vel certè inseparabilis eius comes, non potest vllo emi pretio, id est, nullo hominis condigno merito acquiri. Si enim gratia, vt argumentatur Apostolus; ergo non ex operibus; alioquin gratia non esset gratia, vt quæ propterea gratia nominetur, quia gratis datur. *Ad Ro. 11.*

Hanc quæstionem ponit Ambro 93 sius in Commentario huius loci, eamque in hunc modum explicat: Quærendum est, quo pretio sapientia emi queat, cùm Iob dicat, *Non dabitur aurum obrizum*, id est, purũ, *pro eâ*, vel si quid aliud inter homines est auro pretiosius. Sed enim quo pretio emi queat sapientia, idẽ Iob eo ipso in loco manifestauit dicens, *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Non quod ille qui timet, perfectus sit in sapientia, cum Apostolus dicat, *Qui autem* *Iob. 28.* *Ibidem.* *1. Ioan. 4.*

autem timet, non est perfectus in charitate, sed quod sapientiam possidere iam incipiat qui pro ea pretium dare cœpit: Pretium autem eius est timor Domini, renuntiatio vitiorum compunctio cordis, lacrymæ, & opera misericordiæ.

94 Ioachimus quoque eandem ponit quæstionem atque dissolnit ita scribens, Vtrumque donum, & sapientiæ, & charitatis a Deo est, per eius gratiam datum gratis homini nec merito operum eius comparatum. Quomodo igitur, si hoc verũ est, dicitur hic emi a Deo, quod enim emitur, iusto pretio acquiritur? Sed non putabitur iniqua talis emptio, si prtij eius qualitas æstimabitur. Quale sit istud pretium, Beatus Ioannes in Euangelio suo iudicauit dicens, *Gratiam pro gratia dedit nobis.* Ecce, habes congruum pretium, quo istud donum emis, quod aliter emi non potest. Pro talento enim minoris gratiæ quod tibi creditum est, quodque bene conseruatum quodammodo tuum proprium factum est; datur tibi amplior gratia quam non habebas vt fiat illud quod scriptum est, *Qui habet, plus habebit, & qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.* Sic in Euangelio negociari iubemur, vt negociantibus nobis in accepta Verbi pecunia, fructus acceptæ gratiæ augeatur & crescat: Verum hæc negociatio fit apud homines, illa vero quæ fit apud Deum, multo dignior & quæstuosior est. Sicut enim cum verbum Dei hominibus prædicamus, lucrum animarum apud illos acquirimus; ita cum per contemplationem mente excedimus Deo, donum Spiritus sancti abundantius promeremur: Totum tamen hoc per gratiam Dei fit, quia gratiam pro gratia dat nobis. Sic, sic districtus ille fœnerator, sed pius, suadet quidem pauperi emere aurum a se non quidem proprijs opibus, sed precibus, atque his etiam ab ipso inspiratus, sciens vtique quia sicut qui vendat ista dona, alius, nisi ipse, nullus est, ita emptionis pretium aliud esse non potest, nisi quod ab ipso datum est.

Ioan. 1. *Locus Matthæi 25.* *Luc 19.* *2 ad Cor. 5* *Ioan. 1.*

95 Vixit ante annos ducentos Thomas Anglus Ordinis Prædicatorũ vir, vt ex omnibus eius scriptis existimare licet, valde pius, & bene in Theologia Scholastica, & studio sacræ Scripturæ versatus & doctus: Scripsit Commentaria in Genesim, & in septem Epistolas Catholicas, & in hunc Librum Apocalypsis, quę falso inscripta nomini Beati Thomæ Aquinatis vulgo feruntur, vt nos in Prolegomenis nostris huius libri ostendimus. Hic itaque in Commentario huius loci ad supradictam quæstionem ita respondet, Neque gratia hominis meritis potest emi, quia, vt nomẽ eius sonat, gratis datur: nec sapientia vllo est pretio æstimabilis, dicente Iob, *Nescit homo pretium eius.* In hoc itaque loco verbum emptionis non proprie, sed large accipitur: significatur enim isto verbo Emendi, quod magna debet homo facere, & multa de suo conferre, vt idoneus fit a Deo accipere ista dona. Sic ergo locutus est Dominus, vt excitaret hominem ad exercendam industriam liberi sui arbitrij, per quam, iuuante ipsum Deo, idonee disponatur ad comparandum sapientiam & charitatem quæ dispositio velut quoddam pretium acquirendi ista dona reputatur: Iuxta quem modũ loquendi etiam intelligẽdum est illud quod scriptum est Prouerbiorum 23. *Veritatem eme.*

Thomas Anglus. *Iob 28*

96 Dionysius etiam Carthusianus, & quæstionem hanc & solutionem eius strictim attigit: Nomine enim auri igniti posse intelligi existimat & donum Sapientiæ diuinę & charitatis; hanc porrò hominem qui in peccato mortali est dici emere à Deo, non quidem propriè loquendo, iusto atque condigno pretio dato

Carthusianus.

to pro ea; posse tamen aliquo modo emi dando pretium, si non condignum, aliquo tamen modo congruum & codecẽs: Peccator enim, sicut primam gratiam, ita quoque primam charitatem mereri de condigno non potest; aliquo tamẽ modo mereri eam potest de congruo. Similiter donum Sapientiæ, secundum Iob, nullo corporali pretio

Iob 28.

auri, vel argenti, vel pretiosorum lapidum condigne æstimari potest, affirmante hoc Salomone qui dixit, *Pretiosior est Sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.*

Prou. 8.

Potest ea tamen quodāmodo emi a Deo spirituali quodam pretio, per assiduas nempe & pias preces, per ardentia desideria per opera iustitiæ, misericordiæ, & pœnitentiæ, per voluntariam paupertatem, omnium terrenorum bonorum contemptum, per abnegationem propriæ voluntatis, & continuum studium perfectionis Euangelicæ, atque imitationis Christi.

S. Gregorius.

Beatus Gregorius, & Rupertus et si quæstionis huius mentionem no fecerunt, indicarunt tamen quale sit pretiũ, quo possit à Deo emi aurum Sapientiæ atque charitatis: Aurum ignitum (Gregorius inquit loco superius citato) emimus à Deo, cum accepturi Sapientiam ab ipso, prius ei obedientiam præbemus: Ad quem contractum faciendum quidam nos Sapiens excitat dicens,

Eccles. 1.

Concupisti sapientiam, serua mandata & Dominus præbebit illam tibi. Rupertus verò pretium quo istud aurum emitur, ait esse piam confessionem, & iugem memoriã propriæ fragilitatis & continuam considerationem, quid à se homo sit, & quid acceperit à Deo.

Sũma prædictarũ interpretationum, & de illis iudiciũ Auctoris.

Satis igitur apparet ex varijs Interpretationibus supra relatis, qui locum hunc Apocalypsis tractarũt, eos per aurum ignitum intellexisse vel Sapientiam Dei, vel charitatem vel ipsum Christum, quemadmodum autem istud aurum ematur à Deo, duobus modis explicuisse: Si enim intelligatur prima charitas, quæ vna cum prima gratia infunditur homini in prima eius iustificatione; hanc dixerunt non emi à Deo, propriè sumpto vocabulo emptionis, quia non potest peccator dare pro ea iustum aliquod & condignum pretium, non enim potest mereri de condigno primam gratiam & charitatem. Si tamen verbum emendi amplè sumatur, & pretium intelligatur non condignum, sed congruum & condecens sic dici potest gratia & charitas aliquo modo emi a Deo; quia licet hæc dentur gratis, quia non dantur ob condignum aliquod hominis meritum, ad ea ipsa tamen comparanda necessaria est hominis præparatio per motus fidei, & timoris, & pœnitentiæ facta, proueniens à libero hominis arbitrio, simulque ac præcipuè à Deo, per multiplex auxilium suum præueniente iuuanteque liberum hominis arbitrium. Altero modo aurũ ignitũ potest intelligi non quidẽ prima charitas sed charitatis iã acceptæ incremẽtũ, & feruor, & perfectio: Huiusmodi autem charitatem homo iam iustus propriè dicitur emere, id est, mereri à Deo: ex gratia enim q̃ habet, & faciens, & frequẽtans bona opera, de condigno meretur charitatis incrementum & perfectionẽ, secundum illud celebre Beati Augustini dictum: Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. S. August. Et vtraque quidem Interpretatio vera est; sed prior tamen huic loco aptior & congruentior est; Hæc enim verba Dominus dixit illi Episcopo Laodicensi, quem fuisse tunc in peccato mortali, satis indicant verba illa Domini: *Nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus:* ergo ignitum aurum quod emere debebat à Domino, significabat primam charitatem, cuius nullam ille partem habebat. Hæc sunt itaque ab alijs

Auctoribus super hoc loco Apocalypsis disputata, quibus etiam nonnulla ex nostro sensu & obseruatione adijcere nobis visum est.

VIGESIMAQVINTA Disputatio.

Ponitur Auctoris explanatio eorundem illorum Domini verborum:

VERS. 18 *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, &c.*

89 PRoximè superioribus verbis indicauit Dominus Laodicēsem illum Episcopū triplici morbo seu malo spirituali fuisse obnoxium, Paupertatis, & Cæcitatis, & turpis ac probrosæ Nuditatis. Nūc aūt pius & misericors Dominus, humanæq; salutis consultissimus atq; amātissimus; triplex tribus illis malis discutiendis penitusq; tollendis remedium offert efficacissimū. Cōtra Paupertatem .n. pudendamque nuditatem ait, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat cōfusio nuditatis tuæ.* Sanandæ verò cæcitati, illuminandisq; oculis consulens ait, *Et collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Verùm nobis verba illa, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum,* distinctè per partes, & attentè consideranda & pensitāda sunt: Ac primò quidem super illis verbis, *Suadeo tibi* animaduertat Lector, quēadmodum Deus interiori motione hominem qui iacet in peccatis, mouere soleat, vt à peccatis surgere, & ad quærendam, & comparandam Dei gratiam tendere velit: Hoc .n. Deus facit duobus modis, Vno modo per motionem atq; illuminationem intellectus, excitando eum ad considerandum peccati miserrimū statum, & suggerendo ei rationes suasorias, quibus persuadeat ab eo statu discedere: Ostēdit enim intellectu maximè pudēdam peccati turpitudinem atq; fœditatem, & inæstimabilia dāna, horrendumq; in peccato permanentis animæ periculū. Ex aduerso autē, eidem repræsentat in eius intellectu admirabilem decorem ac pulchritudinem & incōparabiles diuitias atq; vtilitates gratiæ Dei. Has porrò suasorias rationes in potestate hominis est vel repellere à se, vel admittere & amplecti, diuinæ suasioni & vocationi assentiēdo, & obediendo. Sed illud, à se solo facere; hoc autē, per suum quidem liberum arbitrium, sed nō nisi gratia Dei præuentum & adiutum, facere potest: Et ad hoc quidē genus interioris motionis Dei, quæ intellectum hominis attingit, pertinent illa Domini verba: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.*

Duplex modus, quo Deus mouet animū hominis tū tum per intellectum eius, tū per voluntatē.

Alter modus interioris motionis 99
diuinæ pertinet ad voluntatem hominis, quam Deus non solùm mouet, vt loquimur in Scholis, obiectiuè, per intellectum repræsentans ei quæ incitare eum possint ad odium peccati, & amorē & desiderium iustitiæ & gratiæ Dei, non solum, inquam, hac ratione Deus voluntatē hominis mouet, verū et efficienter, inclinando ad bonum amandū per inditam à se ipsi voluntati piā quandam affectionē & propēsionem ad bonum, quæ tamen talis est, vt eam homo per liberum suum arbitrium possit vel sequi, vel non sequi: Sed non sequi, à solo est libero hominis arbitrio; sequi verò, & à libero arbitrio est, simulq; ac præcipuè à Deo, qui speciali auxilio suo præuenit, & adiuuit liberum arbitrium.

Quæ autem hoc loco docuimus 100
de interiori motione qua Deus hominem peccatorem præuenit, vt eum à peccatis remoueat, & ad gratiam suam accipiēdam moueat atque promoueat; ea nos à B. Augustino didicimus, qui hac ipsa de re in libro de Spiritu & littera, c. 34.

Præclara maximeq; obseruanda B. Augustini doctrina de modo, quo Deus mouet animum hoīs.

satis distinctè & luculètè differens ita scribit: Voluntas qua vult homo credere Deo, non ideò tantum tribuenda est diuino muneri, quòd ipsa ex libero arbitrio est, quod nobis à Deo naturaliter datum & concreatum est, verum etiam quia visorum suasionibus agit Deus vt velimus & vt credamus: Hoc autem facit Deus siue extrinsecus per Euágelicas prædicationes & exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mètem: sed istiusmodi visis & suasionibus diuinis consentire & dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat (neque enim credere potest quolibet suo libero arbitrio, si nulla ei adsit suasio, vel vocatio, cui credat) profectò & ipsum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: Cõsentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriè voluntatis est. Quæ res non solum non infirmat illud quod dixit Apostolus, *Quid habes quod non accepisti,* verùm etiam confirmat: accipere enim & habere anima non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentièdo: ac per hoc, quid accipiat, & quid habebit, Dei est: accipere autem & habere vtique accipientis & habentis est. Hæc Beatus Augustinus.

Locus 1. ad Cor 4.

101 Sequitur illud in verbis Domini: *Emere à me aurum ignitum.* Quemadmodũ homo qui in peccatis est, possit emere à Deo aurum gratiæ & charitatis, cum hæc à Deo gratis sine condigno aliquo pretio & merito hominis dentur, satis in præcedenti Disputatione secundum varias Auctorum interpretationes declaratum est: ad ea verò quæ ibi dicta sunt, addere in præsens, nonnihil habeo. Sciat itaque Lector, duo ista verba, *Emere, & Vendere,* esse (vt Scholastico verbo vtar) inter se correlatiua: quod enim emitur, ab aliquo id vendente emitur; & quod venditur, alicui hoc ipsum ementi venditur: quamobrem eadem vtriusque verbi est ratio, vt & in vocabulo Emptionis, si propriè loquamur, intelligitur pretiũ quo fiat: ita quoque in vocabulo Venditionis. Hebræum verbum *machar* Latinè sonans vendere, nõnullibi etiam significat, tradere: sed primaria & propria eius significatio est vendere, per quendam tamen eius significationis deflexum, aliquando significat etiam tradere. Studioso itaque diuinarum litterarum vigilatè, attenteque considerandum est, quibus in locis propriè accipiendum sit pro vendere, & quibus in locis impropriè accipiendum sit pro eo quod est simpliciter tradere. Nonnunquam enim sacra Scriptura Vendendi verbum vsurpat in ijs rebus in quibus nullum reperitur condignum pretium respondens venditioni, vt apud Esaiam, *Gratis venundati estis.* Quomodo gratis, si venũdati? non enim propriè venditur aliquid nisi dato pretio; Sed venundati, dictum est non propriè, sed pro eo quod est simpliciter traditi: in Psalmo quadragesimotertio, *Vendidisti populum tuum sine pretio,* quia Deus Hebræos tanquam vilissimum mancipium, abiecerat pro nihilo ducens, & addixerat seruituti impiorum hominum, qui tamen nullo pretio nullisque meritis suis apud Deum dominationem populi Dei habere meruerant. Et in libro Iudicum scriptum est, *Vendidit eos* (Hebræos) *in manu inimicorum suorum,* quæ verba explanans Sanctus Augustinus in Quæstionibus suis in libro Iudicum in quæstione decimaseptima, confirmat idipsum de impropria verbi huius (vendere) vsurpatione nonnullibi posita in Sacris Litteris. Beati Augustini verba sunt huiusmodi: Quæri solet, cur dixerit, *Vendidit eos in manus inimicorum suorum,* tanquam intelligatur

De significatione verbũ Emere, & Vendere, & per se, & prout in Scriptura vsurpantur.

Locus Esa. 52.

Locus Psalmi 43.

Locus lib. Iudicũ, c. 1 S. August.

ligatur pretium aliquod ab inimicis datum esse Deo, vt traderet illis populum Hebræum. Similiter in Psalmis legitur, *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Et apud Isaiā, *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.* Quare ergo dicuntur venditi, si gratis & sine pretio traditi sunt, & non potius dicuntur donati? An fortè Scripturarum locutio est, vt venditus, etiam qui donatur dici possit? Hic autem sensus est optimus in eo quo dictum est, *Gratis venundati estis*: & in illo etiā, *Vendidisti populum tuum sine pretio*, quia illi quibus populum Hebræū Deus tradiderat, impij erant, nec Deum piè colendo, Hebræos sibi tradi à Deo meruerant, vt ipsorum cultus Dei, tanquam pretium illius venditionis & traditionis esse videretur. Quod verò additum est, *Et sine argento redimemini*, & non dixit (sine pretio) non vacat mysterio; significatur enim pretium redemptionis humani generis, de quo Beatus Petrus dixit, *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Sic Augustinus.

Psalm.43. *Esa.52.* *2.Petri 1.*

102 Emendi quoque verbum etsi propriè sumptum significat, persoluto digno pretio aliquid sibi acquirere, interdum tamen in diuina Scriptura ponitur in ijs rebus quæ sine condigno pretio comparantur. Huius vero vsurpationis perillustre occurrit exemplum in illis verbis Isaiæ, *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Vbi illud, *Sine argento, & absque commutatione*, idem significat, atque sine vllo pretio. Sed quomodo emi dicitur, quod sine pretio & gratis datur, emptio enim relationem habet ad pretium? Sed dictum est, *emite*, non proprie, sed pro eo quod est accipite. Quanquam hæc verba altiorem habent intellectum: significant enim doctrinam & gratiam Euangelicam, qua mentes Iustorum aluntur ad vitam æternā: Et fortasse per vinum significatur nutrimentum spirituale hominum perfectorum; per lac verò, eorum qui paruuli & teneri sunt in seruitute Dei. Hæc autem gratia Euangelica datur homini sine pretio, nō quidem omninò, sed sine proprio eius pretio: datur tamen pretio, & merito sanguinis Christi, de quo Paulus dixit, *Empti estis pretio magno Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Respectu itaque hominis qui iustificatur, datur iustitia gratis & sine proprio eius pretio: respectu tamen Christi non datur gratis, sed ob pretium atque meritum sanguinis eius. Quocirca Paulus qui dixerat iustificari hominē gratis, continuò adiunxit, *In Christo Iesu, quæ dedit redemptionem pro peccatis.* Verum hac de re pluribus alio in loco disseruimus. Videat Lector in secundo Tomo Selectarum nostrarum Disputationum super Epistolā Beati Pauli ad Romanos XIIII. Disputationem in caput tertium eius Epistolæ.

Locus Esa. 55. *1. ad Cor. 6* *Ad Rom. 3.*

Ceterum scire conuenit, etiā cum, emendi, verbum non propriè sumitur, habere tamen latentem significationem alicuius pretij, vel alicuius rei quæ similitudinem habet pretij, per quam rem comparatur id quod emi dicitur. Talem certè significationem & interpretationem verbum, emendi habere videtur apud Salomonem in illis verbis; *Veritatem eme, & noli vendere sapientiam.* Sapientia profectò, si propriè loquamur, nec vendi, nec emi dici potest. Quapropter LXX. Interpretes in translatione eius loci pro verbo Emendi, posuerunt verbum Possidendi, siue acquirendi, in hunc sensum vertentes locum illum, *Veritatem posside, siue acquire, & sapientiam ne repudies, siue abijcias.* Plus tamen nescio quid energiæ habet in eo loco verbum emendi, quod posuit Latinus Interpres: Significare enim voluit Salomon 103

Loc. Prou. 23.

illis verbis nihil esse nobis debere sapientia optabilius, & pretiosius, & carius, omniaque esse nobis facienda, & perferenda, etiam cum detrimento & iactura bonorum tẽporalium, dummodò tali labore & dispendio sapientiam cõparare possimus; nam & alibi ipse anteà dixerat. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari* & in libro Sapientiæ scriptum est, *Praposui sapientiam regnis & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua.* Studiosus itaque cupidusque percipiendi sapientiam, similis esse debet illi Euangelico negociatori quærenti bonas margaritas, qui inuenta vna pretiosa margarita, vendidit omnia bona sua, vt eam sibi compararet. Ergo prima gratia, & iustitia, & charitas, quæ homini datur in prima eius iustificatione, licèt detur ei gratis, id autem est, fine condigno eius pretio & merito, non tamẽ omnino gratis: multiplex enim & laboriosa cooperatio hominis pcedens iustificationem, & pręparatio eius per motus fidei, spei, dilectionis, pœnitentiæ, ac timoris, quæ pparatio est necessaria, vt animus hominis idoneus fiat ad capessendam iustificationis gratiam, hæc, in quam, tam operosa hominis præparatio, similitudinem quandam habet pretij & meriti, quod appellant Theologi meritum de congruo. Ad hanc itaque, quam diximus, significationem atque intellectum referenda & dirigenda est in hoc loco Apocalypsis sententia illa Domini, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.*

Prou. 4.

Sap. 7.

Matth. 13.

†

VIGESIMASEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et collyrio inunge oculos tuos vt uideas.

VERS. 18

COllyrium vox Græca est, significans medicamentum quoddam curandis oculorum morbis, præcipuè autẽ lippitudini cõducens, de quo est illud Horatij: 104

Hac oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere.

Horat. lib. 1. Serm. Sat. 5.

Super varijs autem collyriorum cõpositionibus ad diuersos oculorum morbos accommodatis copiosè disertèque Cornelius Celsus disputat in libro 6. cap. 6.

Cornelius Celsus.

Sed quid hoc loco Dominus nomine, ac similitudine collyrij, & vnctionis oculorũ significare voluit? Variæ sunt auctorum Interpretationes. Prima est Victorini, Primasij, Bedæ, & B. Gregorij, per vnctionem Collyrij obseruantiam mandatorum Dei, & exercitationẽ hominis in bonis operibus significari: Inunge oculos Collyrio, inquit Victorinus, vt quod per lectionẽ Scripturarum cognoscis, huius etiam opus facere coneris. Monet nos his verbis Dominus, ait Primasius, inclinandum esse cor nostrum ad obseruanda præcepta Dei, Præceptũ enim Domini lucidum, illuminans oculos. Beda quoque, Collyrio, inquit, oculos inungere, est per executionem boni operis, diuinæ Scripturæ intelligentiam promereri.

Quid hoc loco similitudine Collyrij significetur, quinque Interpretationes.

Victorinus. Primasius. Beda. B. Gregor.

Psal. 18.

Verùm de lippitudine spirituali, & Collyrio ad eam sanandam, luculenta extat Beati Gregorij in prima parte Curæ Pastoralis, capite 105

B. Greg. de Lippitudine spirituali.

capite vndecimo disputatio: Lippus est, inquit Gregorius, cuius ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed hoc tamen carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ crassescunt; quæ quia crebra infusione attenuantur, & acies pupillæ vitiatur: Sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingeniũ poterant, sed vsu prauorum actuũ caligant: Lippus itaque est, cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit: cui bene per Angelum dicitur, *Collyrio inunge oculos tuos vt videas.* Collyrio enim oculos inungimus vt videamus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis purgamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur; quoniam arrogantia sapientiæ excæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt; albuginem verò habens nihil videt: quia si quis stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit sin autem candorem sibi vel iustitiæ, vel sapientiæ attribuit, lucem à se supernæ cognitionis excludit, de quibus dixit Apostolus, *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Hactenus ex Beato Gregorio.

Ambrosius 106 Secunda Interpretatio est Ambrosij, qui Collyrium interpretatur pœnitentiam &, compunctionem cordis: Per Collyrium, inquit quod caliginem ab oculis detergit & lacrymas educit, pœnitentiam & compunctionem cordis intelligere debemus: Hæc namque caliginem ignorantiæ à mente nostra discutit eiusque oculos ad videndum quæ sit retributio bonorum & pœna malorum, acuit. Hanc interpretationem secutus Thomas Anglus, duos esse ait animæ nostræ oculos, alterum dextrum, quo æterna bona considerantur, vnde amor Dei accenditur in cordibus nostris: alterum vero sinistrum, quo æterna supplicia impiorum considerantur ex quo timor iustitiæ Dei excitatur, animum a peccatis deterrens. Et quemadmodum, inquit, Collyrium primo turpat oculum, & humorem ex eo malum fluere facit, & clarum ei visum reddit: ita & cordis compunctio atque contritio prius turbat animum per tristitiã & dolorem, & sic noxium euacuat humorem peccati, cuius signum aliquando est resolutio in lacrymas, per quod interni animæ oculi mundantur atque clarescunt.

Thomas Anglus. Duo oculi animæ.

Tertia Interpretatio est Ruperti, per Collyrium intelligentis virtutem humilitatis: Collyrium, inquit, quo vitia & morbi oculorũ purgantur atque sanantur, Humilitatis virtutẽ significat: hæc enim paruulos adiuuat, vt ea quæ sapientibus & prudentibus abscondita sunt diuinarum rerum mysteria, illis a Deo reuelentur. Rectè igitur Episcopo isti Laodicensi dicitur, *Collyrio inunge oculos tuos vt videas.* id est, cor tuum humilitate purifica, vt paupertatem tuam videas, & veras diuitias bonitatis Dei cognoscas Huius persimile est quod alij quidam aiunt, verum oculorũ animæ Collyrium esse, infirmitatis, & fragilitatis propriæ cognitionem, & sui ipsius contemptum & abiectionem, qui enim in se, tanquam ex se, nihil boni videt, nec esse sentit, is profectò per talem humilitatis spiritum sensumque continuo spiritualem visum recuperabit, quẽ per superbiam perdidit. Atque hæc tertia interpretatio videtur ad modum congruens huic loco: Episcopus enim ille Laodicenus valde perniciosa sui ipsius ignoratione laborabat: Cum enim esset reuera pauper, & nudus, & cœcus, ipse tamen diuitem se, nulliusque indigẽtem existimabat. 107 *Rupertus.*

Matth. 11.

Andreas. Arethas. 108 Quarta Interpretatio est Andreę Cęsariensis & Arethæ, qui per Collyrium interpretantur bonorũ terrenorum penuriam atque contemptum, & munerum despicientiam. Nam si, vt scriptum est, *Munera excæcant oculos prudentium*, Ergo contemptus munerum, & despiciẽtia bonorum terrenorum eos, ad videndum quod bonum & iustũ est, aperiet. Quinta Interpretatio est

Haymo. Haymonis, nõ ea quidem simplex, sed varias complexa huius loci explicationes: Per Collyrium, inquit, possumus intelligere vel mortificationem passionum, secundum illud,

ad Rom. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. vel munditiam cordis, iuxta illud, *Beati mundo corde, quoniam*

Matth. 5. *ipsi Deum videbunt*. vel imitationem Christi qui dixit, *Qui sequitur me,*

Ioan. 8. *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. vel assiduam & piam legis diuinæ meditationem, scriptum

Psal. 118. enim est, *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*. vel denique captiuitatem intellectus in obsequium fidei, scriptum enim est, *Nisi credideritis, non intelli-*

Esa. 28. *getis*.

VIGESIMA SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 19 *Ego quos amo, arguo & castigo.*

Rupertus. 109 VIDETVR his verbis, inquit Rupertus, voluisse Dominus dicere illi Episcopo Laodicẽsi, Ea quæ tibi loquor arguens & castigans te, tãquam amãtis gratiam, & beneuolentiam suscipe: Non enim est mos sapientiæ, vt eum quem diligit quasi filium, permittat iuueniliter extolli, & euanescere; sed & amat, & ideò castigat, & lasciuientem coercet: & quem infantem lactauit, eum nimis verbosum atque inconsultum verberat, & virga percutit. Dum itaque castigo, dum quasi clauis in altum confixis compungo, tunc profectò verius amo. Tale est hoc, quod isti Episcopo dixit Dominus, ait Rupertus, ac si diceretur ei, Si te tanquã abiectum, & spurium, & indignum, atque reprobum iudicassem, patienter ad tempus sustinerem iniquitates tuas, vt te cum ceteris reprobis vna sententia condemnarem. Sed quia, sicut Patriarcha Iacob Beniamin adolescentulũ in senectute sua, Genes. 35.
ita & ego in senectute Mundi genitum, prærogatiua dilectionis præfero, non modò sicut multos, quibus Psal. 94.
iuraui in ira mea, ne intrarent in requiem meã, perire te non sustineo, verùm etiã pro ardore mei erga te amoris imperfectũ te esse non sino.

Haymo dicit Deum electos tra- 110 Haymo.
ctare more pij & prudentis patris duos filios habentis, quorum vnum quem diligit, & suorum bonorum hæredem relinquere statuit, durè tractat, in seuera continet disciplina, delinquentem grauiter increpat, nullum peccatum eius dissimulat & impunitum dimittit, cibi, & potus, & vestitus, aliorumq; commodorum & bonorum parcissimũ ei concedit vsum. Alterum verò filium quem sibi hęredem non destinat, suæ ipsum voluntati permittit, comedendi & bibendi licentiam tribuit, ad ambulandum quandocumque, & vbicumque voluerit, libertatem concedit. Similiter facit Deus, Iustos multis & varijs tribulationibus affligens, vt postea in cęlis perpetuò requiescant, & hæreditatem diuinæ benedictionis accipiant. Contra verò Reprobos in suis voluptatibus & delitijs voluntari permittit, iuxta illud, *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Psal. 80.
Ergo Reprobos qui nunc Mundi volu-

voluptatibus & oblectamẽtis gaudent, æterna manent supplicia: Iusti autem qui nunc temporalibus atteruntur flagellis, ab æterno sunt liberandi supplicio, & ad æterna gaudia transferendi: quia & vitulus qui occisioni præparatur, liberius pascuis saginari permittitur. Quinque autem modis, & ob quinque causas flagellantur homines à Deo: Aliquando ad augenda merita, vt Iob & Tobias: vel ad custodiam humilitatis aliarumque virtutum, vt Paulus: vel ad peccatorũ præteritorum correptionem, sicut paralytico dixit Dominus, *Ecce sanus factus es, iam vide ne pecces, ne deterius tibi aliquid contingat*. vel non ad emendationem, sed ad maiorem punitionem tam in hoc Mundo, quam in futuro, vt Antiochus & Herodes, in quos illud competit: *Duplici contritione contere eos*. Vel ad maiorem gloriæ Dei manifestationem, vt mors Lazari, & cœcitas Cęci nati. Verùm electi, quocumque morbo flagellentur, meliores per ipsa flagella efficiuntur, Reprobi verò plerumque deteriores.

Quinque causæ ob quas à Deo flagellãtur homines. Iob 1. & 2. Tob. 2. & 12. 2. Cor. 12. Ioan. 5. Machab. 9 Act. 12. Ioan 11. Ioan. 9.

111 Huic Domini sententiæ similia sunt quæ scribit Apostolus ad Hebræos 12. citans illud Salomonis: *Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit: Quis enim filius quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur nõ esse gaudij, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eã reddet iustitiæ*. Huc etiam spectant complures aliæ, quæ sunt in Libro Prouerbiorum, & in Ecclesiastico, sententiæ de seuera patrum in filios suos animaduersione. Mira porrò, q̃ in his verbis ostenditur, Dei clementia, q̃ tanta suauitate reprehensionem illius Epi Laodicensis temperauit, declarans castigationẽ eius non solùm nõ esse odij, nec alienationis animi, sed maximi potius amoris, & singularis cuiusdam curæ salutis eius argumentum. Qui nimò præcipua hominis commendatio apud Deum est, ab ipso corripi & castigari. Quæ enim melior & efficacior commendatio, ait Bernardus in quodam sermone super illis verbis Apostoli, *Qui gloriatur, in Domino glorietur: Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat*, quàm diuinę erga nos testatio charitatis? Testimonium verò amoris eius nullum credibilius aut certius in hac vita est, quam quod desiderabat Propheta dicens, *Corripiet me Iustus in misericordia, & increpabit me*. Dum enim in occulto Spiritus veritatis suggerit quid desit nobis, superbiam, negligentiam, ingratitudinemque repellit, quo triplici vitio omne paulò minus Religiosorum hominũ genus periculose laborat, eò quod minus attenta cordis aure percipiant quid intus loquatur is, qui neminem palpat, Spiritus veritatis. Sic Bernardus.

Prou. 3. S. Bernar. Locus Ps. 40. *Triplex spiritualis, & periculosus Religiosorũ hominum morbus.*

Rectè annotauit in hoc loco noster Ribera, pro Latino verbo (arguo) quo hic vsus est Beatus Ioannes, propriè significare idem quod conuincere, vt patet ex illis verbis Pauli, *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere*. Et in Capite 11. Epistolæ ad Hebræos dicitur *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. ἔλεγχος; id est, conuictio: inde transfertur hoc verbum ad significandum reprehendere, ita vt qui reprehenditur, conuincatur, vt negare non possit se culpabilem & pœna dignum esse. Quocirca in Euangelio Ioãnis scriptum est, eos qui malè agunt, non venire ad lucem, vt non arguantur opera eorum: & Apostolus Tito scripsit, *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant*. 112

De significatione verborum Arguo, & Castigo. Locus Epistolæ ad Titum, c. 1. Locus Epistolæ ad Hebr. c. 11. Locus Ioã. 3. Cap. 1.

Pro illo autem verbo (castigo) Græcè est παιδεύω, propriè ad pueros pertinens, significans ita castigare, vel pœna aliqua, vel tantùm verbis, vt per eam castigationem cautiores illi, atque prudentiores, melioresque efficiantur.

VIGESIMA OCTAVA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 20. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

113 ANDREAS Cæsariensis Cappadociæ Episcopus, scriptor admodum, & in scientia Sacrarum litterarum doctus, hunc locum interpretans, Videtur, inquit, Dominus, his verbis hoc dicere illi Episcopo Laodicensi: Mea præsentia nulli vim affert, cordis ostium pulso, spontè aperienti super salute sua gratulor, illamque loco opiparæ cœnæ duco, siquidem his rebus præcipuè pascor & delector, quibus homines Spiritum suũ ad vitam æternam alunt, famemque audiendi verbum Dei sedant, atque erroris tenebras propulsant. *Andreas.*

Breuis est, sed concinna huius loci apud Ambrosium interpretatio: Pulsat Dominus ad ostium nostrũ, Ambrosius inquit, cum per Scripturam diuinam quotidie nos admonet, vt vitia relinquentes, ad bona opera facienda conuertamur. Vocẽ eius audimus, & ianuam ei aperimus, cùm eius monitis obtemperãtes vitia detestamur & abijcimus, & mandata eius tota mentis intentione suscipimus & obseruamus. Ad nos verè intrat Dominus, cum nostris in virtutum cultura & bonorum operũ exercitatione profectibus gaudet: Cœnamus, cũ de spe cœlestis gloriæ exultamus. *Ambrosius*

Non est prætereunda Ruperti horum Domini verborum explanatio: Istorum Domini verborum, inquit ille, sensus est huiusmodi: Illud quod hactenus corripiens te dixi tibi, simile est homini stanti ad ostium cuiuspiam diuitis, & pulsanti, vt admissus & hospitio acceptus, cœnet cum illo de opibus & dapibus intus repositis: si admissus fuerit, celebratur conuiuium charitatis, neque enim minus quàm inter duos haberi potest. Ita enim tu, qui dicis quòd diues es, in conscientia bona gloriaris: sed ecce sto & pulso ad ostium pectoris tui: admitte me, & habebis participem & socium gloriæ tuæ, vt non in te, sed in me, diuitem te factum esse glorieris. Si audieris vocem meam, aperueris mihi ianuam, cuncta quæ gessisti & geris bona, Deo accepta referendo, & ad eius gloriam dirigẽdo, introibo ad te, & in pectore tuo, tanquam in domo amici habens fiduciam, familiariter versabor: & nũc cœnabo tecum, id est, delectabor bonis conscientiæ tuæ, postea verò, & tu cœnabis mecum, id est, post mortem, in cœlo æternis bonis & delitijs meis perfrueris. *Rupertus.*

Sed nos hanc Domini sententiã, in qua multiplex doctrina Theologica continetur, paulò distinctius enucleatiusque per partes declaremus. Quatuor his Domini verbis res præcipua consideratione & obseruatione dignæ significantur. Ac primò quidem declaratur propensissima & promptissima voluntas Dei ad benefaciendũ homini, quippe qui paratus semper & præsto est, non solum vt ad se venientem 114 *Auctoris Theologia supradictorum Domini verborũ explicatio. Propensissima Dei voluntas ad benefaciendum homini.*

reci-

recipiat, verum etiam vt hominem ipsum quærat, & prouocet, & inuitet, & alliciat; sicut ipse dixit per Prophetam, *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.* Et hoc significatur his verbis: *Ego sto ad ostium.* Ex quo intelligitur sufficiens Dei auxilium nulli mortalium denegari, sed paratum esse omnibus.

Esa. 61. Rom. 10.

Deinde considerandum est illud, *Et pulso*, quo significatur, cor hominis ob peccatũ esse Deo clausum; aperitur autem Deo, cum peccator ad vocem Dei vocantis attendit, & vocationi obsequitur, dicens cum Dauide, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem ad plebem suam.* Quanquam hoc ipsum quod est aperire cor ad vocationem Dei, etiam ab ipso Deo est: legimus enim in Actis Apostolorum de quadam fœmina quæ prædicationem Pauli audiebat, Deum aperuisse cor eius, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Illud præterea *Et pulso*, denotat præuenientem gratiam, qua prior Deus peccatorem præuenit, excitando ipsum, & ad se vocando: initium enim iustificationis & salutis hominum à Deo est, non ab homine. Huc spectat illud Dauidis, *Misericordia eius præueniet me*, Et, *Domine, præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et illud quod in Euangelio Ioannis capite sexto scriptum est, Christum Dominum Iudæis dixisse, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et infra, *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.*

Psal. 74.

Locus Act. 16.

Dei gratia præuenit hominem.

Psal. 58.

Psal. 12.

Deus octo modis pulsat cor hominis.

115 Pulsat autem Deus cor hominis, vt eum ad se conuertat, multis & varijs modis. Primo, per internam inspirationẽ intellectus, & memoriæ, ac voluntatis; partim deterrendo eum à peccatis metu diuini Iudicij æternorumque suppliciorum partim fiducia clementiæ ac misericordiæ suæ, & spe cælestium æternorumque bonorum ad se reuocans & inuitans, & alliciens. Secũdo, per lectiones sacræ Scripturæ, aliorumve vtilium librorum. Tertiò, per externos diuini Verbi Prædicatores. Quarto, per alios homines, vel docendo, vel exhortando, vel corripiendo. Quinto, per exempla tam bonorum, quam malorum hominum, & per diuersa Dei iudicia circa illos facta. Sexto, per collationem beneficiorum, sicut in Euangelio legimus, multos à Christo à morbis incurabilibus, & à crudelissima Dæmonum vexatione liberatos credidisse in ipsum. Septimo, per res aduersas, & per flagella tribulationum; qua ratione legimus, & Regem Iuda Manassem, & Babylonis atque Chaldæorum Regem Nabuchodonosorem conuersos esse. Octauo, per miracula, quibus homines plerumque mouentur ad credendum Deo, & agendum pœnitentiam: In Euangelio Ioannis capite 11. legimus, multos de Iudæis miraculo Lazari, qui iã quatriduò mortuus fuerat, ad vitam reuocati, credidisse in Christum.

2. Paral. vl. ti. Dan. 4.

Tertio loco pensitandum est illud quod proximè subditur: *Si quis mihi aperuerit.* Istis enim verbis apertè demonstratur humanæ voluntatis libertas ad vocationem Dei vel admittendam, vel reijciendam. Pulchrè Iob suis illis verbis, *Vocabis me, & ego respondebo tibi. Operi manuũ tuarum porriges dexteram.* tria quæ ad rem præsentẽ pertinent, significauit: Primo, præuenientẽ gratiam Dei & vocationẽ, dicens, *Vobis me*, Deinde, assensũ hominis liberè obsequẽtis vocationi diuinæ, adiũgẽs illud, *Et ego respondebo tibi.* Tũ gratiã Dei adiuuantem & promouentem bona cogitatio, & voluntas, & propositũ hominis adiuuatur & promouetur, vt ad iustificationis gratiæ consecutionẽ perueniat. Atq; hæc ipsa q̃ diximus, conceptis fermè verbis docuerunt nos, & decreto suo confirmarunt Patres Cõcilij 116

Libertas humanæ volũtatis.

Locus Iob cap. 12.

Conc. Tri. In Decreto de Iusti ficat. c. 5. cilij Tridentini, cuius Decreti verba sunt huiusmodi: Iustificationis exordiū in adultis, à Dei per Christum præueniente gratia sumendum est, hoc est, ab eius vocatione: vt qui à Deo per peccata erant auersi, per eius excitantem & adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest: neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram Deo libera sua voluntate possit. Vnde in Sacris litteris, cùm dicitur, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur: cùm autem nos respondemus, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, Dei gratia nos præueniri confitemur. *Zach. 1.*

117 Restat quartum illud, præcipua scilicet dignum consideratione: *Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Quibus verbis significatur, quantum boni contingat ei qui visitationem & vocationem Dei admittit, interiori animæ suæ hospitio eum recipiens, nempe, vt verè dicere ei possit, quod de Spiritu Sancto canit Ecclesia, *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium: In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium*. & illud vsurpare, quod de diuina Sapientia scriptum est, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Si hospitium Prophetarum, vt Eliæ & Elisei, tam vtile fuit his qui eos receperunt; quid existimare conuenit de Christi hospitio? Si ob trimestre hospitium Arcæ Dei in domo Obededonis, dicitur benedixisse Deus, & ipsum Obededonem, & omnem domum eius, id autem est, ipsum in corpore & anima & in omni genere bonorum externorum mirè à Deo fuisse prosperatum; quàm copiosam putamus fore Dei benedictionem, quantamque bonorum spiritualium abundantiam eorum qui Dominum dignè in perpetuum cordis sui hospitium acceperint?

Quale sit hospitium Dei in corde hominis

Sap. 7.
3. Reg. 17.
4. Reg. 4.
2. Reg. 6.

Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo. Dupliciter Dominus intrat in cor hominis, Vno modo imperfectè per gratiam suam præuenientem, excitando eum, & illuminando, & vocando ad pœnitentiam, & adiuuando vt ritè præparet se ad capessendam iustificationis gratiam: & hoc facit per multiplex auxilium suum speciale, variasq; motiones interiores humanæ mentis atque voluntatis. Altero modo intrat Dominus in cor hominis perfectè per gratiam iustificātem atque sanctificantem, in hominis animo inhærentem & manentem: Hac enim ratione non solùm intrat Deus in animā hominis, sed etiam in eo manere & habitare dicitur, sicut dixit Dominus, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Et, *Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*. Et dilectus Christi discipulus dixit, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Hanc Christi mansionem in nobis ardenter desiderare, & instanter ab eo petere debemus, dicentes cum illis duobus discipulis eius, *Mane nobiscum Domine*. Super illis porrò verbis, *Et cœnabo cum illo, & ipse mecum*, æstimet Lector, quanti Deus faciat castas iustorum hominum cogitationes, sancta desideria, recta cōsilia, assiduas preces, pias lacrymas, & iusta opera: his enim tāquam delicatissimis & suauissimis epulis pascitur ipse atque delectatur. Similitudine autem cœnæ & conuiuij significatur mirè familiaris, & iucunda Christi cum Sanctis suis per internas eorum visitationes, conuersatio: Rectè igitur dixit Salomon, *Mens iusti iuge conuiuium*. Hoc ipsum autem quod Dominus in hoc loco promisit se facturum 118

Duplex introitus Dei in cor hominis.

Locus Ioā. 14.
Ibidem.
Luc. vlt.
Prou. 15.

facturum ei qui ipsum receperit in cor suum, bene præfiguratum esse videtur per id quod legimus à Domino factum esse cum Zachæo publicano, & his verbis refertur à Beato Luca, *Suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum, Zachee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit & excepit illum gaudens in domum suam: & ait Iesus ad eum, Quia hodie salus huic domui facta est, &c.*

Luca 19.

VIGESIMANONA Disputatio.

Super illis verbis:

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.

119 PEr thronum, inquit Andreas, Regnum cœleste futurique Sæculi requies denotatur. Qui vicerit ergo Diabolum, ille mecum regnabit, meæque gloriæ & potestatis ac maiestatis particeps erit: sicut, quia ego vici, consedi in throno Patris mei. Hoc autem dixit, qua homo est: neque enim qua Deus est, regnum cœleste, quasi virtutis præmium aliquando accepit, qui illud naturaliter ex omni æternitate possidet etiam Filius Dei factus homo, sicut nostra incommoda participauit, ita sua bona sibique debita nobiscum communicauit. Ille resurrexit à mortuis, in cœlum ascendit, sedetq; ad dexteram Dei Patris, futurusque est hominum Iudex: eisdem quoque honoribus & beneficijs seruos suos donabit. Neque verò solùm illi iudicaturi sunt homines, vt Apostolis suis promisit Dominus dicens, *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*: verùm etiam iudicaturi sunt Angelos: *Nescitis*, inquit Paulus, *quia Angelos iudicabimus?* Sic Andreas.

Andreas.

Locus Matthæi 19.

2. ad Cor. 6

120 Ambrosius verò hunc ipsum locum ita explanat; Vicit Christus Diabolum, vincunt eum quoque Sancti eius: sed Christus per semetipsum, Sancti verò non per seipsos, sed per ipsum. Dedit Pater Filio, vt homo est, potestatem sedendi in throno ipsius; dedit etiam Filius potestatem seruis suis, vt sedeant in throno eius. Sed Christus sedet ad dexteram Dei, quia æqualis est Patri, sicut dicit Psalmista; *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*: Sancti verò non ad dexteram Dei sedere dicuntur, sed super sedes suas, sicut Dominus Apostolis dixit, *Sedebitis & vos super sedes duodecim*. Sancti enim non naturaliter, vt Christus, sed per adoptionem sunt filij, ideoque diuersas sedes sortiuntur, secundùm meritorum diuersitatem. Præstet hoc nobis is, de quo loquimur, vt in earum sedium distributione nos miseri partem etiam habere mereamur. Sic Ambrosius.

Ambros.

Psal. 109.

Matth. 19.

121 Beatus Gregorius in Libro vigesimo sexto Moralium Capite vigemo sexto, super illis verbis Iob Capitis trigesimi sexti, *Non aufert à Iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum*, luculentè admodùm declarat, quemadmodùm Sācti dicantur reges, & cum Christo consessuri in Solio siue in Throno eius, huncipsum Apocalypsis locum commemorans, diserteque tractans: Bene, inquit, Sancti viri, diuinæ Scripturæ testimonio reges appellantur, quia dominantes cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frenant, modò æstum auaritiæ temperant, modò gloriam elationis deprimunt, modò suggestionem liuoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt: Reges ergo

B. Gregor.

ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed dominando & regendo præesse nouerunt. Quoniam igitur à potestate huiusmodi regiminis post mortem ad potestatem transeunt retributionis, rectè de illis Iob dixit, *Reges in solio collocat in perpetuum*. Semetipsos enim regendo fatigati sunt: sed in regni erectione, in solio in perpetuum collocantur, & eò illic accipiunt potestatem alios dignè iudicandi, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc etiam Laodicensi Ecclesiæ Dominus dixit, *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius*. Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse dicitur, quia post passionis certamina, post resurrectionis palmā, clariùs, quòd ipse potestate Patre esset æqualis, omnibus indicauit. Nobis autem in throno Filij sedere, est ex eiusdē Filij potestate alios iudicare. Nam quia iudicij principatum ex eius virtute percipimus, velut in throno eius residemus. Nec abhorret à vero, quod alibi dixit Dominus, super duodecim thronos sedentes

Matth. 19 Apostolos esse iudicaturos, hic verò dicitur, in throno suo esse sessuros: per duodecim enim thronos vniuersale iudicium designatur, per thronum verò Christi singulare culmē iudiciariæ potestatis ostenditur. Per vtrumque itaque idem significatur, quia vniuersale iudicium ex Christi Domini nostri interuentione percipitur. Videat Lector eundem Beatum Gregorium in expositione sua in primum Caput Regum, super illis verbis: *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat*.

Haymo. 122 Haymo duas quæstiunculas super his Domini verbis breuiter tractat. Primo, inquit, quæritur, quomodo Sancti dicatur sessuri in vno throno cum ipso Christo, cùm in Euangelio Matthæi Capite XIX. Christus ipse dixerit, Apostolos sessuros esse super duodecim thronos siue sedes; Immò verò paulò infra hoc ipso libro dicuntur viginti quatuor Seniores sedere super viginti quatuor thronos; per quem numerum designantur omnes viri perfecti qui fuerunt tam in Veteri, quam in Nouo Testamento. Sed respondendum est, per vnum thronum, in quo sessuri sunt Sācti cum Christo, significari iudiciariam potestatem, quæ principaliter est in Christo, & ab ipso deriuatur, & communicatur cum Sanctis: Per duodecim verò thronos vel sedes significatur vniuersalitas Sanctorum, qui iudicaturi sunt, omnes scilicet qui perfectiorem vitam in terris coluerunt, & Christi, Apostolorumque perfectionem imitari studuerunt. Et quia duodecim fuerunt Patriarchæ in Veteri testamento, quibus proportione quadam respondent in Nouo Testamento duodecim Apostoli, ideo visi sunt viginti quatuor Seniores sedere in viginti quatuor thronis; per quem numerum designantur omnes viri perfecti vtriusque Testamenti.

Deinde quæritur, Cùm non 123 omnes qui in hoc mundo vicerunt Diabolum, in iudicio sessuri sint cum Domino ad iudicandum, sed tantùm perfectiores viri; quomodo Dominus in hoc loco dicat indefinitè, ac generaliter, *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo?* Sed sciendum est, qui non fuerunt de perfectioribus viris, habebunt tunc, & exercebunt iudiciariā potestatem, si non in seipsis, saltem in Prælatis suis; Et qui per se non iudicabunt alios, iudicaturi tamē alios sunt per suos Prælatos: tanta enim in Beatis omnibus charitas est, tantaque bonorum & gaudiorum inuicem cōmunicatio, vt quod quisq; viderit in alio, quasi suum deputet. Quemadmodum totum corpus hominis potestatem habet videndi

per

per oculos, audiendi per aures, odorandi per nares, loquendi per os, operandi per manus, & per pedes ambulandi: Nam etsi distincta sunt membra quæ istas faciunt operationes; omnium tamen esse membrorum dicuntur, quia quod vnum membrum non habet in se, habet in alio membro. Sic Haymo.

124 At enim istas quæstiones & difficultates Haymonis facile hoc in loco fuerit effugere, si modò per thronum, in quo sessuri sunt victores, intelligamus non potestatem iudiciariam, quam in extremo iudicio illi exercebunt, vt Haymo, & plures alij intellexerunt, sed intelligamus cum Andræa Cæsariensi Regnum Cœleste, in quo Beatis est æterna lux, requies perfecta, gaudium indeficiens, & gloria sempiterna: vt sit istorum Domini verborum hic sensus, Qui vicerit in hoc mũdo, sedebit mecum in throno meo, id est, in Regno Cœlesti perpetuam mecum habebit quietem, & gaudium, & gloriam, sicut ego, qui vici Mundum, & Diabolũ, & Mortem, & Infernum, & malitiam Iudæorum, & infidelitatem Gentium, sedeo cum Patre meo, æternorum scilicet Patris honorum, & gaudiorum, bonorumque omnium, super omnes creaturas, quietam perpetuoque mansuram possessionem habens. Nec mirandum cuiquam accidat, quòd thronum Christi ac Dei, & Cœlum, & Cœleste Regnum interpretati sumus: Sic enim appellari solet in Scriptura; apud Esaiam enim Capite vltimo dicit Dominus, *Cœlum sedes mea est*, & apud Matthæum Capite quinto vetuit Dominus iurare nos per Cœlum, *Quia Thronus*, inquit, Dei est. Quòd autem per vnum illum Thronum in quo dicuntur hic sessuri victores, non significetur iudiciaria potestas quã illi exercebunt in extremo iudició, satis argumenti ad id probandum esse posset quod apud Matthæum Capite XIX. apertè ostendit Dominus, in illo iudicio distinctas fore sedes, & thronos iudicantium à Throno suo, dicens,

Cœleste Regnũ appellari Thronum Dei.

Matth. 19

Cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

†



CAPVT

CAPVT QVARTVM.

1 *Posthæc vidi : & ecce ostium apertum in cælo,*
& uox prima, quam audiui, tanquam tubæ
loquentis mecum, dicens: Ascende huc, &
2 *ostendam tibi quæ oportet fieri posthæc. * Et*
statim fui in spiritu : & ecce sedes posita erat
3 *in cælo, & supra sedem sedens. * Et qui se-*
debat, similis erat aspectui lapidis iaspidis, &
sardinis : & iris erat in circuitu sedis similis
4 *visioni smaragdinæ. * Et in circuitu sedis*
sedilia viginti quattuor : & super thronos viginti quattuor seniores
sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ
5 *aureæ. * Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua:*
& septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus
6 *Dei. * Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo:*
7 *& in medio sedis quattuor animalia plena oculis antè & retrò. * Et*
animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, &
tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal si-
8 *mile aquilæ volanti. * Et quattuor animalia, singula eorum habe-*
bant alas senas: & in circuitu, & intus plena sunt oculis : & requiem
non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Do-
9 *minus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. **
Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem
10 *sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum, * procidebant*
viginti quattuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant vi-
uentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum
11 *dicentes : * Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & ho-*
norem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem
tuam erant, & creata sunt.

IN CAPVT QVARTVM APOCALYPSIS DISPVTATIONES VIGINTINOVEM.

Explicatur secunda Visio, quæ fuit libri septem sigillis clausi, & per Agnum resolutis septem illis sigillis, aperti.

SVPERIORA quæ adhuc super hoc libro Apocalypsis tractauimus, quasi ludus iocusque haberi possunt, sed vt est obscuritas, & grauitas, & amplitudo, & magnificentia sex deinceps consequentiũ Visionum, quas interpretari pro earum dignitate, atque vt oportet, hoc opus, hic labor est. Ab hoc autem quarto Capitè, incipit Prophetia Beati Ioannis, & generalis, & rerum futurarum: generalis, quia ad omnem Ecclesiæ statum, omnemque ipsius ætatẽ ab eius exordio vsque ad finem pertinet: Est verò rerum futurarum, quia comprehendit insigniores & memorabiliores casus euentusque rerum tam prosperos, quam aduersos in Ecclesia Christi futuros. Prima namque Visio quæ in tribus præcedentibus Capitibus enarrata est, & particularis fuit, & rerum fermè tunc temporis præsentium, propriè scilicet spectans ad septem Ecclesias Asiæ, & ad ea quæ tunc in Ecclesijs illis agebantur: quamuis doctrina eius tam moralis, quam dogmatica ad vsum & vtilitatem totius Ecclesiæ accommodata sit. Ab hoc igitur quarto Capite in finem vsque libri, sex describuntur Visiones, sex dico principales, & vt scholastico more loquar, totales. Partiales enim multo plures sunt, nempè quælibet earum Visionum multi-

plex atque multiformis est, varias partes, quasi varios comœdiæ actus continens. Prima itaque sex consequentium Visionum, pertinens à Capite quarto, vsque ad octauum, est de Libro septem sigillis clauso, solutisque per Agnum sigillis, aperto. Secunda Visio, à Capite octauo vsque ad duodecimum, de septenario numero Angelorum tubis canentium. Tertia, à Capite duodecimo, vsque ad decimumquintum, de Muliere amicta Sole, & de Dracone, duabusque alijs bestijs, altera ex mari, & altera ex terra ascendentibus, & mulierem illam, eiusque prolem insectantibus. Quarta, a Capite decimoquinto, vsque ad decimumseptimum, de septem Angelis ferentibus septem phialas, & de septem plagis nouissimis, quibus percutienda est terra. Quinta, a Capite decimoseptimo vsque ad vigesimumprimum, de purpurata meretrice, & de bestijs eius, & de illius, & harū damnatione, ob eamque damnationem de triumpho, & exultatione sanctorum. Sexta & vltima Visio, a Capite vigesimoprimo, vsq; in finem Libri, de gloria & decore Ecclesiæ Christi post Iudicium, & generalem hominum Resurrectionem, sub similitudine nuptiarū Agni, & Sponsæ eius, & sub figura Ciuitatis Ierusalem admirabili pulchritudine, & magnificentia exornatæ, ac decoratæ.

†

PRIMA Disputatio.

De quadruplici uia & ratione interpretandi sex istas Visiones, quæ apud Explanatores libri Apocalypsis reperitur.

1 Quatuor vias & rationes interpretandi sex subsequentes Visiones animaduertere licet in Commentarijs eorum qui in explanatione libri huius versati sunt. Prima ratio interpretandi est planè mystica, id autem est, vel allegorica, vel anagogica, vel tropologica, vel ex tribus illis varie mixta: quā ferè tenuerūt Ticonius, Primasius, Beda, Haymo, Rupertus, Ansbertus, Thomas Anglus, plaresq; alij: Secundùm illum modi explanationem, prima sex Visionum sequentium de Libro sigillato & post aperto, refertur ad reserationem & manifestationem omnium Christi mysteriorum, quæ in Veteri Testamento, ceu quibusdam clausa sigillis, diuersis rerum adumbrata & figurata, per paucis notuerunt; ea verò per aduentum Christi reserata & in apertam hominum notitiā prolata sunt. Secunda Visio inducens septem Angelos tubis canentes accommodatur ad eorum, quæ diximus, mysteriorum Christi publicationem atque prædicationem, quæ & omni tempore post Christi aduentum facta est, hodieque fit, & fiet in posterum vsque ad extremum Mundi Sæculum. Tertia Visio, quæ per mixtè multas habet imagines Mulieris & Filij eius, & Angelorum, & ex aduerso Draconis, & Bestiarum, & inter istos prælia, significat permixtionem bonorum, & malorum in Ecclesia militan-

Ticonius. Primasius. Beda. Haymo. Rupertus. Anbertus. Thomas. Anglus.

militante, eorumque perpetua inter se dissidia, & inimicitias, & certamina. Quarta Visio de septem Angelis ferentibus septem phialas iræ Dei, denotat, quemadmodum improbos atque impios homines, etiam in hac vita, Deus grauiter & notabiliter puniat. Quinta Visio de damnatione Meretricis & bestiarum eius, præsignat æternam impiorum, & malorum hominum punitionem in futuro seculo. Sexta & vltima Visio de admirabili gloria & magnificentia nouæ ciuitatis Ierusalem præfigurat felicissimam Sanctorum remunerationem & præmia in cęlesti patria. Hactenus de mystica ratione interpretandi.

2 Sequentes porrò tres viæ ac rationes interpretandi ab Auctoribus earum putantur litterales: Est itaque secunda ratio interpretandi eorum qui septem Visiones in hoc libro descriptas referunt ad septem status hominum qui perinsigniter floruerunt & claruerunt in Ecclesia Christi. Primum statum appellant isti Fundatiuum Ecclesiæ, per Apostolos videlicet & Discipulos Domini: ad quem statum designandum pertinuit prima Visio, quæ tribus primis huius libri Capitibus tractata est: Secundum statum vocant Fęcundatiuum & multiplicatiuum Ecclesiæ per Martyres: Tertium statū Illuminatiuū Ecclesiæ p sanctos Doctores: Quartū, Perfectiuū per Sanctarū Virginū & Monachorū professionē. Quintū, Gubernatiuū, & correctiuū, atq; directiuū per bonos Pastores & Præsides Ecclesiarum. Sextum, Renouatiuum & inflammatiuum per ardentes verbi diuini prædicatores, & per flagrantissimos perfectionis Euangelicæ amatores, atque sectatores: Denique septimum, Fruitiuum æternæ gloriæ ac felicitatis, qui est Ecclesiæ triumphantis. Ergo isti Auctores primā Visionē assignāt primo statui, secundā secundo, tertiā tertio, & ita deinceps alias Visiones applicant ad alios status. Verū tamen ita vno statui vnam Visionē attribuunt, vt velint tamen in qualibet Visione, præsertim autem in ijs quæ septenario constant numero, vti est prima harum sex Visionū, & secūda & tertia, & quinta, omnes supradictos septē status adūbrari, & præfigurari. Sed quia principalius in vna Visione vnus illorū statuū, & in alia alius tractatur; idcirco vna Visio huic potius statui, quam illi assignatur. Hæc interpretandi ratio adeò placuit Ioachimo Abbati, Vbertino Casalensi, Seraphino Firmano, & quibusdam alijs vt eā in explanandis his Visionib. cōstanter perpetuòque tenuerint.

Ioachimus. Vbertinus. Seraphinus

Tertia via & ratio & secunda quæ putatur litteralis interpretandi has Visiones fuit Petri Aureoli, Lyrani, & Ioannis Annij, & multa faria, ipsius et Dionysij Carthusiani. Istis visum est, B. Ioan. per istas sex Visiones præfigurasse sex Ecclesiæ quasi ætates, ab eius exordio vsque ad occasum in terris, disparib. tēporū spatijs inter se distinctas: & per q̄libet Visionē præsignificari res aliquas maxime insignes, & notabiles aliquando futuras in ea Ecclesiæ ætate quæ illi Visioni respondet. Primā itaq; Visionē istarū sex definiunt extenduntq; ab initio Ecclesiæ vsq; ad tēpora Iuliani Apostatæ, annū videlicet Domini recentesimū sexagesimū quintū: Et quia exordiū Ecclesiæ fuisse dicitur in die Pentecostæ, & in anno Domini trigesimo tertio, vel trigesimo quarto; ista prima ætas continet annos trecentos triginta duos: in qua ætate claruerūt & Apostoli, & Discipuli Domini, & Martyres, multiq; de antiquis Doctorib. Sanctisq; Pontificib. & Rectorib. Ecclesiæ. Secūda Ætas respōdēs secūdæ Visioni, fuit à tempore Iuliani Apostatæ vsque ad Iustinianum, vel Mauritium Imperatorem, & vsque ad annum 3

Aureolus. Lyranus. Annius. Carthusianus.

M Do-

Domini quingentesimum octogesimum, continens annos circiter ducentos viginti. Tertia Ætas respondens tertiæ Visioni, secundùm istos fuit, a principatu Mauritij vsque ad Imperatorem Constātinum, quem excæcauit materejus Hirene, vsq; ad annū scilicet Domini octingentesimum, continens annos ducētos viginti. Hoc temporis tractu Imperium translatum est ad Carolum Magnum, & penes Germanos esse cœpit: quo etiam tempore Ecclesiā passa est persecutiones Draconis, id est, Cosroæ Regis Persarum, & Bestiæ, id est, Mahometicæ Sectæ, & Saracenorum. Quarta Ætas respōdens quartæ Visioni, à tempore Caroli Magni extenditur vsq; ad Imperatorem Henricū IV. id est, vsq; ad annum Domini millesimum, & circiter quinquagesimum, continens annos ducentos quinquaginta: hoc autem tempore fuit Ecclesia sub septem plagis & phialis plenis iracundiæ Dei, ob multiplex schisma, magnaque dissidia in populo Dei. Alij Ætatem istam extendunt vsque ad fundationem Ordinum mendicantium, id est, vsque ad annum Domini circiter ducentesimum & millesimum. Nec desunt qui vsque ad nostra hæc tempora istam Ætatem Ecclesiæ protenderint. Quinta Ætas respondens quintæ Visioni, à fine præcedentis producitur vsque ad aduentum Antichristi, qui quando venturus sit, quia incertum est, propterea nec tēpus huius quintæ Ætatis certo aliquo potest annorum numero definiri. Sexta Ætas respondens sextæ Visioni, ab aduentu Antichristi vsq; ad generale iudicium pertinet, & similiter vt quinta Ætas, incertæ durationis est. Contra supradictas tres interpretandi rationes, ea quæ possunt obijci, quæ ostendunt eas Interpretationes multis in rebus deficere, suprà in Prolegomenis nostris exposuimus in tractatu octauæ Disputationis.

Quarta & vltima ratio interpretandi has Visiones videtur superioribus esse probabilior, eamque nos plurimùm sequemur: Equidem arbitror, quatuor potissimū per istas Visiones significare Dominum voluisse: primò quidem multa de ijs quæ spectant ad septem illos supradictos hominum status: deinde, insigniores Ecclesiæ prosperitates & aduersitates diuersis temporibus futuras: tum, notabiliores memoratuq; digniores in singulis Ecclesiæ ætatibus, de quibus suprà dictū est, res gerendas: denique, plura de nouissimis Mūdi temporibus, & de persecutione Antichristi; qua de re, quòd ea res grauissima erat, & quam haberi bene præcognitam & præmeditatam in Ecclesia Christi, maximi erat momenti, propterea Beatus Ioannes & sæpius in hoc libro, & multiformiter prophetauit. Ad hæc igitur quatuor, explanatorem istarum Visionum vigilatè obseruareq; spectare & attētissimum animum habere oportet, vt solerter, prudenterq; discernat, quæ res cuiq; visioni aptè congruenterque respondeant. Hæc igitur præfati, ad primæ Visionis istarum sex interpretationem accedamus. Quatuor autem sequentibus Capitibus Visio hæc describitur, à quarto scilicet vsq; ad octauum: Et in quarto quidem Capite describitur magnificentia & maiestas Dei, qui apparuit Ioanni ad exhibēdum ei hanc Visionem. In quinto Capite exponitur materia ipsius Visionis, ea verò est Liber septem sigillis clausus, quem nullus præter Agnum aperire potuit. In sexto & septimo Capite enarrat, istius libri, p Agnū resolutis eius sigillis, reseratio ac apertio: & in vniuscuiusque sigilli apertione diuersę Visiones exhibentur, diuersarum rerum significatrices.

SECVN-

SECVNDA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 2. *Et ecce sedes posita erat in cœlo, & super sedem sedens: & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis & sardinis.*

Est apud Andream Cesariensis Cappadociæ Archiepiscopum, qui ante mille annos, doctrinæ & sanctitatis laude claruit, horum verborum breuis illa quidem, sed admodum concinna, scitaq; interpretatio, quam ego, si non proprijs eius verbis, sed meis referre velim, multum profecto de grauitate eius atq; concinnitate detraxerim. Hæc itaq; sunt Andreæ verba: Per hanc sedem Christi requies in Sanctis designatur, siquidem in illis, velut in Throno quodam præsidet. Cæterum Patri, quem hoc loco visum inducit, nullam omninò corpoream figuram affingit, vt in prima Visione Filio affinxerat; verùm pretiosis tantùm lapidibus illum comparat: Comparat illum quidem Iaspidi, quòd is colore viridi existat, suaque viriditate diuinæ naturæ symbolum præferat, hæc namque semper viret ac floret, vitamque & escam viuentibus omnibus præstat: sed & omne quoque terræ semen viridem herbam fundere solet. Assimilatur etiam hæc Sardio lapidi, ob terrorem quem hostibus incutere natus est: Aiunt namque Sardium feris & spectris terribilem videri: & per vim quam natura insitam habet, ægra corpora sanare solitum. Sanè, vt magno Epiphanio placet, non modo tumoribus, si commodè adhibeatur, medetur, verùm etiam ferro illatis vulneribus. Hæc Andreas.

Andreas.

Iaspis, cur Symbolum diuinæ naturæ.

Virtus Sardij lapidis.

Epiphani°.

Sed nos supradicta Beati Ioannis verba sigillatim expendamus, 6
Et ecce sedes posita erat in cœlo. Per cœlum, inquit Ambrosius, Ecclesia designatur: Per sedem in cœlo positam, corda Sanctorum in Ecclesia commorantium significantur, in quibus Deus inhabitat & sedet, sicut dixit Apostolus, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* At verò, secùdùm Bedam & Rupertum, sedes significat Ecclesiam vel militantem, vel triumphantem: Secundùm alios est immensa celsitudo & maiestas diuinæ naturæ ac felicitatis, in qua Deus ipse ex omni æternitate residet atq; requiescit. Ricardus istam Dei sedem interpretatur sanctos Angelos, & Ecclesiæ Doctores atque Pastores, per quos Deus regit Ecclesiam. Ista porrò sessio denotat quandam, vt ita dicam, superioritatem atq; dominationem, & insuper auctoritatem, & quietē, ac tranquillitatem, quibus rebus opus est ad bene regendum, & iudicandum, & docendum; Est autem sedere & dominorum, & iudicum, & docentium, & senum.

Ambros.

1. ad Cor. 3.

Beda.

Rupertus.

Richardus

Quis fuerit is qui sedebat in Throno.

Sed quis erat ille quem Ioannes 7
vidit super istam sedem sedere? Ambrosius putat ea Visione figuratum fuisse Christum Dominum, & apte assimilatum fuisse Iaspidi lapidi & Sardio: Iaspis enim, inquit, viridis est coloris, Sardius vero rubei: per viriditatem itaq; Iaspidis, Diuinitas nostri Saluatoris, Per ruborem autem Sardij, eius Humanitas designatur. Saluator enim noster Iaspidis viriditatem in se continet, quia secundùm Diuinitatem per omnia æqualis est Patri; habet item ruborem Sardij, quia secundùm Humanitatem homo perfectus existit, sicut scriptum est; Perfectus Deus & perfectus homo, ex anima rationali subsistens. Sic Ambrosius. Sed profectò illum in

Ambrosius

Ambrosius hoc loco citat Symbolum Athanasii.

throno sedentem figuram Dei Patris fuisse, patet ex eo quod paulo infra ducitur Christus sub specie Agni occisi, residens in medio throni, & quatuor animalium, & viginti quatuor seniorum. Posset etiam dici sub figura illius sedentis in throno designatam esse totam sanctissimam Trinitatem, & Christũ distinctè nominatum qua homo est, & vt secundum Humanitatem passus & mortuus est, ob idque sub similitudine agni occisi. Non describit Ioannes figuram, id est, faciem & habitum sedentis in throno, sicut Ezechiel descripsit Capite decimo, & Daniel Capite septimo, sed apparuisse illum in specie humana eo Ioãnes infra Capite quinto non obscurè significauit, quod dexteram eius nominauit, dicens habuisse illum in dextera sub librum.

8 Quatuor porrò modis inducitur Deus in sacra Scriptura sedens in throno: primo, tanquam rex secundum regalem magnificentiam atque maiestatem, vt apud Esaiam: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius*, &c. Deinde tanquam iudex secũdum iudiciariam grauitatem & seueritatem, vt apud Danielem, *Aspiciebam donec throni positi sunt; & Antiquus dierum sedit*, &c. Tum tanquam docens & reuelans occultissima futurarũ rerum mysteria, vt apud Ioannem in hoc loco: Ac demum, tanquam vindicans abominandã hominum scelera, execrandamque impietatem, non solum corporalibus pœnis, sed etiam spiritualibus, permittens, iustissimo iudicio suo, istinsmodi peccatores in perniciosissimos ipsis errores atque deceptiones detrudi, & in maiora in dies peccata demergi, atque in cęcitatem mẽtis & cordis obdurationem deuenire, hanc Dei permissionem merentibus atque exigentibus pluri mis & maximis eorum peccatis.

Quatuor modis induci Deum in Scriptura sedentem in Throno.

Esa. 6.

Dan. 7.

Hac ratione vidit Michæas Propheta Deum paratum ad vindicandũ detestabilem impietatem regis Achab: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris & à sinistris: & ait Dominus, Quis decipiet Achab regem Israel*, &c.

3. Reg. c. 22.

TERTIA Disputatio.

Quodnam mysterium lateat in eo, quod sedens in throno dicitur habuisse speciem & similitudinem iaspidis & sardij.

9 HVIVS mysterij variæ sunt apud explanatores libri huius interpretationes. Prima Interpretatio est bene vetus, & apprimè nobilium Scriptorum, vt Victorini, Primasij, Bedæ, Ticonij, Ruperti, aliorumque existimantium per duos istos lapides pretiosos Iaspidem, & Sardium significata esse duo mundi maximè generalia, & memorabilia iudicia, vnum per aquam tempore Noe factum, & significatum per Iaspidem, quasi viriditate aquea præditum; alterum quod faciendum est in fine mundi, per ignem, insinuatum hoc loco, per lapidem Sardium, rubri & quasi ignei coloris. Ex vtroque autem iudicio ineuitabilis Dei iustitia, peccatoribus agnoscenda, & tremendã est: persuasum enim sibi certũque habere debent, nullũm peccatum, quod ab homine quoquo modò fit, fore impunitum: Quapropter seuerissimum Dei iudicium, quod effugere nullo modo possunt, perhorrescentes peius morte, vel minimam Dei offensam timere, cauereque debent.

Decem Interpretationes.

Prima Interpretatio: Victorinus. Ticonius. Primasius. Beda. Rupertus.

Secunda Interpretatio. Ambrosius Ansbertus. Haymo.

10 Secunda Interpretatio est Ambrosij, quam sequitur Ansbertus, & est vna de duabus interpretationibus huius loci, quas tradit Haymo. Secundum istos Iaspis figurat Diuinitatem Christi, Sardius Humanitatem, sicut explicatum est supra commemoratis Ambrosij verbis. Sed quia iam ostensum est, per illum in throno sedentem non fuisse figuratum Christum Dominum, non videtur ista explicatio apta & congruens huic loco. Tertia Interpretatio Ricardi & Alberti, qui per Iaspidis viriditatem significari aiunt immarcescibilem æternæ felicitatis coronam Electis præparatam in cœlo: per Sardij autem ruborem, æterni ignis incendium & supplicium, quo in perpetuum puniendi sunt Reprobi. Quarta Interpretatio Lyrani, quam memorat Carthusianus, est huiusmodi: Imaginariæ Prophetis diuinitus factæ apparitiones, factæ sunt secundum congruentiam ad id quod per eiusmodi imagines designatur & reuelatur: Deus autem hoc in loco apparuit, vt militantis Ecclesiæ prouidentissimus gubernator, ipsam nimirum consolando & recreādo in malis quæ patitur, quod significat viriditas Iaspidis; eandemque ardore charitatis inflammando ad feruentius in dies seruiendum ipsi, pluraque in dies & meliora faciendum opera ad maiorem Dei gloriam, & salutem hominum.

Tertia Interpretatio. Richardus. Albertus.

Quarta Interpretatio. Lyranus.

Quinta Interpretatio. Haymo.

11 Quinta Interpretatio est Haymonis: Possumus, inquit, per hos duos lapides intelligere Ecclesiam Dei, quæ virorem Iaspidis habet, in contemplatione Dei manens, atque idcirco omnia huius mundi iucunda & prospera pro nihilo deputans, dum pascuis æternæ Diuinitatis gustandis inhæret: cui in Canticis dicitur, *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Habet quoque Sardij lapidis ruborem, quoniam Electi, ne diuina extollantur visione, fragilitatis humanæ subinde admonentur: vnde Ezechieli, qui frequentes habuit diuinas visiones, frequenter dicitur: *Fili hominis*; quasi ei diceretur: Etsi claritatem supernæ gratiæ frequenter aspicis memor tamen esse debes quod homo es, & de propagine hominis peccatoris descendis, ideoque ex humana infirmitate rubræ terræ, ex qua formatus est Adam, originem habes.

Cant. 8.

Genes. 2.

Sexta Interpretatio est Petri Aureoli, qui, cum dicitur hoc loco, *Et ecce sedes posita erat in cælo, &c.* cælum interpretatur Ecclesiam militantem, in qua singulariter in terris Deus residet, ceteris omnibus sectis, & congregationibus reprobatis. Per sedem verò in hoc cælo positam designata est sedes Romanæ Ecclesiæ, quæ est principalis, & caput in Ecclesia militante, & in qua tanquam in capite principaliter residet Deus. Habet verò similitudinem pretiosorum lapidum, Iaspidis, & Sardij, lapidum quidem, ob stabilitatem, & immobilitatem eius in fide & doctrina, in qua, Deo eam protegente, nunquam defecit, nec deficiet vnquam secundum illam promissionem Beato Petro factam: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sardius porrò & Iaspis designant duplicem Ecclesiæ potestatem, & summam, & generalissimam, alteram soluendi peccata omnia, quod pertinet ad misericordiam Dei, significatam viriditate Iaspidis, alteram verò ligandi, & retinendi, & puniendi peccata, adūbratā rubore Sardij lapidis. Et quia lapides isti sunt pretiosi, eo ipso insinuatum est, quicquid à sede Romana procedit, vel tanquā gubernante, vel tanquam docente, vel tanquam iudicante, id magno in honore, pretioque in omni Ecclesia haberi oportere. 12

Sexta Interpretatio. Aureolus.

Luca 22.

Septima Interpretatio est Andreæ, à quo eam mutuatus est 13

Septima Interpretatio. Andreas. Aretha.

Aretha, & quam nos initio superioris Disputationis retulimus. Hic ait, viriditatem iaspidis esse symbolum Diuinæ naturæ semper virentis atque florentis, & vniuersis viuentibus escam & vitam largientis. Comparatur etiam Sardio lapidi, ob vim terrificam, simulque salutiferam, quam habere dicitur. Huic interpretationi, si non eadem perquam similis tamen est, octaua interpretatio, quæ nostro Riberæ placet præ ceteris. Diuinam naturam similem dici Iaspidi, propter immarcescibilem pulchritudinẽ: Et sicut variarum regionum Iaspides varios habent colores, vt Plinius docet libro 37. ita in Deo sunt variæ perfectiones, quarũ vnaquæque, cum separatim & solitariè cõsideratur, pulcherrima apparet: & sicut Iaspis pulchrè & iucundè translucet: ita Deus lux est, & natura sua maximè visibilis, & ipsum videntes inenarrabili replet iucunditate. Sardius ignei est coloris, & feris dicitur esse terrificus: Ita Deus, licet ob pulchritudinem suæ naturæ, & misericordiæ suauitatem, supra quam cogitari queat, amabilis est, nihilominus tamẽ ob seueritatem iustitiæ suæ aduersus impios admodum terribilis atque formidabilis est.

Octaua Interpretatio. Riberæ.

Nona interpretatio: Ioachimus.

14 Nona Interpretatio est Ioachimi Abbatis, qui per tres pretiosos lapides hoc in loco à Beato Ioanne commemoratos, Iaspidem, Sardium, & Smaragdum, adumbrari putat mysterium sanctissimæ Trinitatis; per Iaspidem quidem personam Patris; per Sardium personam Filij: per Smaragdum verò personam Spiritus sancti: & hanc suam Interpretationem atque sententiam ita declarat: Describens, inquit, hoc loco Beatus Ioannes trium pretiosorum lapidum similitudines, magnum nobis sanctæ Trinitatis exhibet Sacramentum: Iaspis enim viridis est coloris; rubri autem, & quasi sanguinei lapis Sardius: Smaragdus quoquẽ & ipse coloris est viridis, sed exuperans tamen viriditatem Iaspidis. Scimus autem quod viriditas est quasi vita arborum & herbarum: Sanguis verò est vita animalium, arescit enim membrum, quod sanguine non virescit, vnde non immeritò in Scriptura sanguis animalium pro anima & vita reputatur. Nam etsi spiritus est qui viuificat corpus, videmus tamen sine sanguine manere spiritum vitalem non posse, & arescere membra corporis in ijs quorum venæ sanguinis inciduntur. Herbæ porrò, & arbores ex aqua, quæ principalis liquor est, suam contrahunt viriditatem. In Iaspidis itaque viriditate persona designata est Dei Patris, quæ est principium in diuina Trinitate: vnde in enumeratione duodecim pretiosorum lapidum, quam infra Capite vigesimo primo facit Beatus Ioannes, primo loco Iaspis est commemoratus. In sanguineo autem Sardij lapidis colore aptè designatur Filius Dei, qui voluit in fine sæculorum homo fieri, & per sui effusionem sanguinis mortisque perpessionem genus humanum redimere; quamobrem apud Esaiam dicitur habere rubra vestimenta. In colore Smaragdi, qui præcipuæ & notabilis admodum, iucundæque viriditatis est, illa sanctæ Trinitatis denotatur persona, quæ viuificans spiritus appellata est, quod per ipsam humana corpora, atque etiam corda viuificẽtur, dicente Apostolo, *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, secundus autem Adam in spiritum viuificantem.* Et alio loco, *Si Spiritus eius qui suscitauit Iesum a mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Et in Symbolo Patrum dicitur, Credo in Spiritũ sanctum Dominum, & viuificantem. Et quamuis etiam Christus ipse viuificet, ait enim ipse de se: *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat,*

Genes. 9.

Esa. 63.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Ioan. 5.

erat, ita & Filius quos vult, viuificat: Propterea tamen nomen viuificantis appropriatur Spiritui sancto, quia tunc veraciter viuificatur interior noster homo, cum accipit Spiritus sancti dona, & cum ipso manet in æternum: Quæ enim vita interior esse potest eius animæ, quæ vacua est sapientia, & intellectu, & consilio & fortitudine, & scientia, & timore Domini, & quod maximum est donum, ipsa etiam charitate? Hæc autem dona largitus est nobis Dominus per Spiritum suũ, testante hoc Beato Ioanne; *De Spiritu, inquit, suo dedit nobis.* Sic Ioachimus.

1. Ioan. 4.

QVARTA Disputatio.

Exponitur decima Interpretatio, quam superioribus præfert Auctor.

10 Interpretatio.

Duæ virtutes diuinæ prouidentiæ Misericordia & Iustitia.

15 DECIMA Interpretatio bellè videtur quadrare ad mysterium huius Visionis: vnã que potissimum Visio hæc spectare ac dirigi videtur, vt in ea per varias similitudines & imagines ostendatur exactissima Dei prouidentia circa res humanas, præsertim verò Ecclesiam suam. Hæc autem Dei prouidentia duabus maximè virtutibus insignita multifariam notificatur in sacra Scriptura, Misericordia scilicet & Iustitia: & plurimis vtriusque virtutis in vtramque partem commemoratis exemplis traditisque documentis, luculenter ostenditur, quam sit Dei prouidentia & ob suauitatem misericordiæ amabilis, & ob seueritatem Iustitiæ terribilis & formidabilis, simulque ob vtrumque admirabilis atque venerabilis. Misericordia vtitur Deus erga homines non solum iustos & innocentes, verum etiam peccatores, suorum tamen criminum pœnitentes, & ad clementiam vocauit & adduxit, & verè pœnitentibus misericorditer peccata omnia remisit, pretiosaque cœlestis gratiæ suæ dona impertiuit: Misericorditer etiam datam eis iustitiam vsque in finem conseruauit. Contra verò Iustitiæ suæ seueritatem exercet aduersus impios & peccatores impœnitentes, Dei quæ bonitate ac longanimitate ad securius grauiusque in dies peccandũ abutentes. Duas istas diuinæ Prouidentiæ virtutes Dauid in Psalmo sexagesimo primo paucissimis hisce verbis indicauit: *Semel* inquit, *locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera sua.* Et in Psalmo septimo de Iustitia Dei sic loquitur: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens: nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* De Misericordia verò sic ait in Psalmo centesimo quadragesimo quarto: *Miserator & misericors Dominus patiens, & multum misericors, suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Quinetiam ipse rex Dauid duas istas diuinæ Prouidentiæ virtutes in administrando regno suo, & in regali prouidentia quam populi sui habere debebat, pro virili studuit imitari, idque confessus ipse est in Psalmo centesimo, cuius initium est, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Nam de seueritate iustitiæ suæ aduersus impios atque iniquos loquens, *In matutino* inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* De sua verò erga bonos viros benignitate ait. *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Filius

Locus Psalmi 61.

Locus Ps. 7

Locus Psalmi 144.

lius etiam eius Salomon, tum per sapientiam sibi à Deo infusam, tum longo regnandi vsu atque obseruatione hoc ipsum bene do ctus dixit, humana regna custo diri, & Regum thronos roborari atque firmari misericordia & clementia, simulque veritate atque iustitia.

Prouerb. 20.

Quoniam igitur per hanc secundam Visionem Beati Ioannis, in apertione libri septem clausi sigillis, & in singulorum reseratione sigillorum multa ostenduntur & dicuntur ad declarandam Dei prouidentiam adiutricem bonorum per misericordiam, malorumque vltricem per iustitiam, idcirco in principio huius Visionis inducitur Deus habens similitudinem Iaspidis & Sardij: Iaspidis quidē quod eius iucunda viriditas, quasi prætendat spem & fiduciam Diuinæ misericordiæ: Sardij verò quod eius rubens & tanquam igneus color præsignet ardorem & seueritatem diuinæ Iustitiæ ad puniendum Impios.

QVINTA Disputatio.

Super Iaspide & Sardio qui in supradictis uerbis Beati Ioannis nominantur.

16 NON alienum instituto nostro, neque iniucundum Lectori futurum nobis visum est, si nonnulla in hoc loco de Iaspide & Sardio memoratu minimè indigna, neque inutilia cognitu explicaremus, quæ ad Physicam eorum lapidum cognitionem, simulque mysticam, & Theologicam considerationem spectant Iaspis & Sardius, & qui proximè post nominatur Smaragdus, de numero sunt illorum duodecim pretiosorum lapidum, qui erant in Rationali summi Pontificis Iudæorum, vt scriptum est in libro Exodi cap. 28 & quos Ezechiel cap. 28 ait fuisse in corona & diademate Regis Tyri, & ex quibus constabant duodecim fundamenta super quibus constructam ciuitatem Ierusalem cœlestem vidit in Spiritu Beatus Ioannes, vt in hoc libro narrat ipse Ca. 21. Meminit quoque horum lapidum, & nominatim Sapphiri & Iaspidis Esaias in Capite quinquagesimoquarto illis verbis: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Origenes lib. 7. contra Celsum putat ex hoc Isaiæ loco sumpsisse Platonem ea quæ scripsit de terra beata, in Phædone, dicens, illic omnia nitere, & lapides splendere, vt Sapphiros & Iaspides, & Gemmas.

Locus Isaiæ cap. 54. Origenes. Plato.

17 Beatus Hieronymus super istis verbis Isaiæ pulchram de istiusmodi lapidibus facit digressionem, ex qua nonnulla quæ ad rem nostram faciunt, decerpta hic adscribam. De natura, inquit Hieronymus, duodecim lapidum atque gemmarum, non est huius temporis dicere, cum & Græcorum plurimi scripserint, & Latinorum, ex quibus nunc duos tantum nominabo virum sanctæ ac venerabilis memoriæ Episcopum Epiphanium, qui insigne nobis ingenij & eruditionis suæ reliquit volumen, quod inscripsit Περὶ λιθῶν, & Plinium Secundum, eundem apud Latinos & Oratorē, & Philosophū qui in Opere pulcherrimo Naturalis Historiæ trigesimūseptimū librū qui extremus Operis est, lapidum atque gemmarum disputatione compleuit. Hi duodecim lapides scribuntur per ordinem in Exodo, & apud Ezechielem, id est,

S. Hieronymus.

Ezech. 28.

ἐν τῷ λογείῳ, & in corona atque diademate principis Tyri. Et alijs quibusdam interpositis, quæ extra rem nostram sunt, explanans sanctus Hieronymus verba illa Esaiæ: *Ponam in Iaspide propugnacula tua:* de Iaspide hunc in modum scribit: Propugnacula Ciuitatis Dominicæ Iaspide roborantur; hi sunt, qui possunt omnem altitudinem eleuantem se contra scientiam Dei, destruere atque conuincere, & mendacium subijcere veritati. Qui ergo in disputando fortissimus est, & sanctarum Scripturarum testimonijs roboratus, iste propugnaculũ Ecclesiæ est. Iaspidum porrò multa sunt genera: alius enim est Smaragdi habens similitudinem qui reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis, & vocatur Grammatias, quo omnia phantasmata fugari autumant: alius viridior mari, & intus quasi floridus: hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundissimis specubus eius nasci referunt: Alium verò iuxta Iberos, & Hyrcanos, & mare Caspium, & præcipuè iuxta lacum Neusim reperiri: Est & alius Iaspis niuis & spumæ marinorum fluctuum similis, & dementer quasi mixto rubore subrutilans. Hæc diximus, vt vniuersas gratias spirituales in Ecclesiæ propugnaculis cognoscamus, quas qui habuerit, & vanos timores fugat, & potest cum Sponsa dicere, *Patruelis meus candidus & rubicundus:* Et hactenus quidem verba sunt Beati Hieronymi.

2. Ad Cor. 10.

Varietas Iaspidum.

Cant. 5.

18 De multiplici Iaspidis varietate Dioscorides in libro quinto legendus est. Plinius etiam qui libro 37. de Iaspide, præter alia, scribit hæc: Viret, & sępè trãslucet Iaspis, etiã si victa a multis, antiquitatis tamen gloriam retinens: Plurimæ ferunt eam gẽtes Smaragdo similem Indi. Vidi ego Iaspidem vndecim vnciarum, in qua erat effigies Neronis thoracata. Primæ dignitatis est, si habeat aliquid simile purpuræ; secundæ, si rosæ; tertiæ, si æmuletur Smaragdum; quę transuersa lineæ alba media præcingitur, & hanc totus Oriẽs ꝓ amuletis gestat: Orientales omnium optimæ. Virtus Iaspidis, secundùm Galenum in libro nono simplicium medicamẽtorũ, est os vẽtriculi, ipsumq; stomachũ fouere, ac roborare. Quã virtutem tunc inesse Iaspidi quidam dixerunt, cũ in eo effigies Draconis sculpta fuerit: Sed hoc ridet Galenus, dicens, vsum se Iaspide, sine ista Draconis effigie, ac nihilominus eam, q̃ diximus, virtutem, vsumq; habuisse.

Dioscorides. *Plinius.*

Medica virtus Iaspidis ex Galeno.

Cæterùm, quia vox Hebręa, quã 19 Latinus Interpres, & Septuaginta transtulerunt in Iaspidem, est Iahalom, ducta à verbo (halam) quod significat frangere, & conterere, ex eo coniecturam fecerunt recentiores Hebræi, & de nostris quidam nimio plus hebraizantes, istum lapidem non esse Iaspidem, vt plerique arbitrantur, sed esse Adamantem, lapidem nempe pretiosissimum & durissimum, vt qui alios frangat potiùs, quàm frangatur ab vllo. Audi Lector quid hac de re Aben-Esdra doctissimus apud Rabbinos scriptum reliquerit in hanc sentẽtiam. Magnus sapiens Hispanus dicit, Iahalom eum esse lapidem qui vulgò dicitur Adamas, qui frangit omnes lapides, atque etiam bdellium perforat; deductum autem id nominis est à verbo (halam) quod significat percutere & contundere, estque in principio eius nominis littera Iod adiectitia. Hæc ille. Sed quis obsecro inducat suum in animum credere, germanam istius vocis Hebrææ significationem meliùs esse cognitam & perspectam ab istis recentioribus Hebræis & hebraizantibus, quàm ab illis duobus & LXX. Interpretibus peritissimis Hebrææ linguæ, virisque Sapientissimis, qui eam vocem nunquam in Adamantem, sed in Iaspidem trãstulerunt.

In Rabbinos Hebræorum.

Abenesdra

Sardius lapis Hebraice dicitur 20 Odem, noĩe ducto à verbo (Adam) quod

De lapide Sardio.

quod significat rubere, quòd sit rubri admodùm coloris, idemque significat vox (Zanca) qua vtitur Paraphrastes Chaldaicus. Solinus & Plinius istum lapidem non Sardium appellant, sed Sardam: nam quia primùm repertus est Sardibus, quæ est ciuitas in Asia, inde nomen Sardæ traxit. Plinius ait, nullam fuisse apud Antiquos gemmam vsu frequentiorem ac celebriorem: eius quinque memorari species, laudatissimam omnium haberi Babylonicam, deinde Indicam, tum Arabicam, adhæc Ægyptiacam, vltimo loco Cypriam. In hoc lapide notatur differentia sexus distinctione coloris; mares enim ardentiùs rubent, fœminæ crassiùs nitent: denique omnium gemmarum Sarda, Plinio auctore, suffuso humore tardissimè hebetatur, & oleo magis, quàm alio liquore, facilis est scalpturis, nec tenax ceræ, ob idque idonea sigillis. Tostadus super vigesimo octano Capite Exodi ex Dioscoridis sententia ait, Sardium vim habere excitandi gaudia, depellendi timores, acuendi mentem, augendi audaciam, & resistendi maleficijs. Albertus ait, esse in eo virtutem sanandi hæmorrhoidas, & iram, rixasque sedandi, & prohibendi somnia horrifica, sistendique fluxum sanguinis. Verùm de istis lapidibus, quæ hactenùs dicta sunt, satis in præsentiarum Lectori esse debet.

Plinius. *Solinus.* *Virtus Sardij lapidis. ex Thostatide, & Alberto.*

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. VERS. 3.

IRis, quæ Smaragdi colorem æmulabatur, (Andreas inquit locum hunc enarrans) varia & florida Cœlestium virtutum & ordinum ornamenta, diuersaque eorum munera & ministeria adumbrat. Et quia præcipuum eorum munus & ministerium circa res creatas destinatur, & confertur ad procurandam salutem Electorum, vt in Epistola ad Hebræos testatur Beatus Apostolus, idcircò, licèt Iris tricolor sit, illa tamen Thronum Dei circumdans maximè referebat viriditatem, eamque Smaragdi. Quanquam tres colores Iridis non ineptè aptari & accommodari possunt ad tres virtutes, quas beatis illis spiritibus assignat Sãctus Dionysius, virtutem dico purgandi, & illuminandi, & perficiendi. 21

Andreas. Mysterium Iridis. *Ad Heb. 1.* *Tres colores Iridis, tres virtutes Angelicorum Ordinum.*

Sed communis est Explanatorum libri huius sententia, similitudine & mysterio Iridis, significatam esse Dei misericordiem, quæ omni ex parte, atque omni tempore circumdat eius sedem, quæ est Ecclesia. Per Iridẽ, inquit Ambrosius, quæ in signum reconciliationis & pacificationis Dei cum hominibus data est Noe, congruè clementia & misericordia Dei significatur, quæ sedem Dei, id est, Ecclesiam circumdat, hoc est, vndiq; pregit, & gubernat, & à visibilibus atq; inuisibilibus hostibus defendit; *In ipso enim*, sicut dixit Apostol⁹, *viuimus*,

Ambrosius. Gene. 8.

Act. 17.

viuimus, mouemur, & sumus. Sed & hoc quòd viriditas Smaragdi hebetatos oculos spectantium ipsum, & recreat, & reficit, & ad videndũ acuit; bene conuenit etiam diuinæ misericordię Quando enim in peccatis iacemus, & scelera nostra nos deprimunt, hebetatos mentis oculos habemus: Sed cum consideramus misericordiam Dei, qualiter meretrices, & latrones, omnimodę; scelerum generibus depressos, etiã ipsos persecutores suos, per pœnitentiam ad viam salutis reduxerit, recreamur animo, & fiduciam veniæ concipimus. & ad eum quem offenderamus, confugimus, vt per eius misericordiam ab æterna morte liberemur. Quam Dei misericordiam Psalmista contemplans, nec eam verbis explicare valens, ipsum Deum misericordiam suam vocauit, dicens, *Deus meus misericordia mea* Sic Ambrosius super hoc loco.

Psal 43.

22 Ergo misericordiam Dei significabat Iris sedem Dei circumdans; quæ triplici constat substantia siue materia, vnde triplex color eius existit, viridis, & ruber, & cœruleus; quo significatur amplitudo misericordiæ diuinæ erga homines, & erga Ecclesiam suam. Erga homines, quantum ad corpus, & animam, & spiritum: & quantum ad homines in statu legis naturæ, & in statu legis Mosaicæ, & in statu legis Euangelicæ; & quantum ad bona hominum terrena, & humana, & diuina: & quantum ad eos qui sunt in Cœlo, & in Terra, & in Inferno: & quantum ad tria maxima bona, Prædestinationẽ, Iustificationem, & Glorificationem hominum. Erga ipsam vero Ecclesiam misericordiam suam tripliciter Deus exhibet: primò, quia non sinit eam tẽtari supra virtutem eius, sed facit cum tentatione prouentum: semperque suscitat in ea viros sanctos, & prudentes atque sapientes, fortesque tanquam pastores, & rectores, & doctores, atque defensores; Deinde assistit ei, ne vnquam deficiat in ea recta fides, & sincerũ verbum Dei, & vt veras habeat semper Scripturas, veramque earum intelligentiam: adhæc, vt perpetuò in ea sit legitimus Sacramentorum vsus, verusque & purus Dei cultus.

Tres colores Iridis, quid mysterij habeat.

1. ad Cor. 10.

Eph. 4. & ad Cor. 12.

Huius porrò loci minimè aspernanda est Interpretatio quam Ticonius tradidit, vnde nimirum Primasius, & Haymo, alijque plerаque mutuati sunt, quę super hoc loco in Commentarijs suis scripta reliquerunt. Et ipsa quidem Ticonij Commentaria in Apocalypsim nunc non extant; verba tamen eius reperiet Lector in Homilia secunda illarum decem & octo Homiliarum in Apocalypsim, quæ Beati Augustini, tanquam auctoris earum, nomen præferunt, & in nono Tomo Operum eius continentur. In hunc itaque modum ille super hoc scribit: Iris Græca & Latina lingua arcus vocatur qui in die pluuiæ apparere videtur: per hunc autem quid aliud nisi reconciliatio Mundi designatur, quæ per incarnati Verbi dispensationem facta cognoscitur? Hoc certè, si solerter inspicitur, effectus ipsius Iridis iudicare videtur: Arcus enim apparet, cum radijs solis imbrifera fuerit nubes illustrata. Sole igitur nubem illustrante, Iris apparuit, quia cum Verbum Patris, quod candor est Lucis æternæ, & Sol iustitię, humanam suscipiendo illustrauit naturam; ipsa Humanitatis susceptio, quę profectò nubes à Propheta vocatur; reconciliatio facta est Mundi, quæ congruè per nubem imbriferam significetur. propter prædicationis & doctrinæ abundantiam quam in Mundum effudit. Congruenter quoque ad reconciliationem humani generis in Nouo Testamento arcus figuratè apparuisse describitur a Beato Ioanne, Qui in Veteri etiam Testamento ideò in nubibus positus est a Domino, vt post inundationem diluuij pax terris. 23

Esa. 19.

Sap. 7.

ris reddita cognosceretur, eiusque visione, quasi memor Deus pacti sui, nequaquam vltra aquarum immensitate deleri terram pateretur. Huic autem nomini si vna in fine addatur littera, & pro Iris dicatur irini, hoc ipsum quod dicimus, aperte significabit, nam Græco vocabulo *ειρήνη*, pax appellatur. Hic porrò arcus cum sit diuersi coloris, respōdeatque principaliter duobus, id est, aquæ & igni; per quod designatur Baptismus aquæ & Spiritus sancti, vel iudicium factum iam per diluuium, & quod futurum est per ignem: hic tamen non immeritò visioni Smaragdi comparatur, vt per eum, sicut diximus, propitiationis diuturnitas ostendatur: Smaragdus enim viridissimi coloris est, qui color naturæ diuinitatis symbolum habet, & diuinæ Misericordiæ spem ac fiduciam præbet. Hactenus ille.

Franciscus Ribera.

24 Quidam putant, quorum sententiæ accessit noster Ribera, illud, *Similis visioni Smaragdina*, non ad Iridem referri debere; sed ad sedentem in throno, qui dicitur hoc loco secūdum speciem in qua apparuit, fuisse similis colori trium lapidum, Iaspidis, Sardij, & Smaragdi. Illud autem quod de Iride dicitur, *Et Iris erat in circuitu sedis*, fuisse interpositum, & legendum esse per parenthesim: vt recta & plana istorū verborum constructio sit eiusmodi: *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardinis, & similis visioni Smaragdina: & Iris erat in circuitu sedis*. Non enim rectè diceretur Iris esse similis Smaragdo, quasi tantum viridis esset, cum ea tricolor sit, & viridem, & rubrum, & cœruleum habens colorem. Sic isti.

25 Sed enim, præterquam quod illi suo arbitratu mutant rectam verborum Scripturæ constructionem & ordinationem quam fecit Beatus Ioannes qui hęc scripsit; aduersantur etiam communi omnium ferme huius libri Explanatorum, tam Græcorum quàm Latinorum lectioni & interpretationi, quorum nullus illud, *Similis visioni Smaragdina*, retulit ad sedentem in throno, sed omnes illud de Iride interpretati sunt. Adijce, quòd istorum lectio & interpretatio sententiam verborum Beati Ioannis reddit minimè probabilem: Quomodo enim sedens in throno secundum speciem coloris videri potuit similis colori Iaspidis & Smaragdi? vtriusque enim lapidis color est viridis, sed Iaspidis viriditas dilutior & tenuior est, Smaragdi plenior, & viuidior, & amœnior: non poterit autem sedens in throno secundū speciem videri & mediocrem habens viriditatem, simulque maxima nitens viriditate: præsertim autem cùm non dicatur fuisse in vna parte similis Iaspidi, & in alia parte similis Smaragdo. His accedit, quòd si Beatus Ioannes illud, *Similis visioni Smaragdina*, dixisset de sedente in throno, sic vtique scripsisset: *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardij, & Smaragdi*: nec superuacuè addidisset illud: *Similis visioni Smaragdina*. Iam vero quod isti obijciunt contra communem lectionem huius lectionem & interpretationem, perfacilem habet responsionem atque solutionem: Licèt enim naturalis Iris triplicem habeat colorem, nec viriditas sit principalis, multoque alijs insignior: illa tamen Iris quam in spiritu vidit Ioannes mysterij gratia, & ob mysticam significationem, visa est similis visioni Smaragdi, quòd in ea vel sola esset viriditas, speciem tamen & figuram habens arcus cœlestis; vel certè quòd viriditas multò esset insignior, & notabilior, & aspectabilior alijs eiusdem coloribus. Hoc nempe sensit Tyconius, vt ex verbis eius supra memoratis manifestum est: Et ad hanc ipsam sententiam interpretans Lyranus illa verba, *Similis visionem Smaragdina*, Smaragdus, inquit, est viridis

coloris,

coloris, & hic est vnus de coloribus Iridis: Sed illa Iris imaginaria sic apparuit, vt color eius viridis intensior ceteris videretur, per qđ designabatur consolatio Dei, suis Electis affutura, maximè verò in tribulationibus Ecclesiæ futuræ; eo quòd color viridis est consolatiuus & confortatiuus ipsius Visus.

SEPTIMA Disputatio.

De Smaragdo, cuius speciem coloris habebat Iris, quæ erat in circuitu sedis Dei.

62 QVemadmodum supra de Iaspide & Sardio nonnulla strictim attigimus; ita nunc de Smaragdo nonnihil dicendum est. Ante alia verò lubet hic referre quæ de eo lapide Solinus in suo Polyhistore scripsit his verbis: In Asiatica Scythia terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen: Nam cum auro & gemmis affluant, Gryphes tenent vniuersa, alites ferocissimæ, & vltra omnem rabiem sæuientes: quarum immanitate obsistente aduenis difficilis & rarus est accessus; visos enim discerpunt, veluti geniti ad plectendam auaritiæ temeritatem. Cũ his dimicant Arimaspi, vt intercipiant lapides, quorum nõ aspernabimur persequi qualitates. Smaragdis hic locus patria est, quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophrastus dedit. Nam licèt sint & Aegyptij, & Chalcedonij, & Medici, & Laconici, præcipuus tamen honor est Scythicis. Nihil his iucundius, nihil vtilius vident oculi. In primis virent vltra irrigua gramina, vltra amnicas herbas: deinde, obtutus fatigatos sui coloris reficiunt lenitate: nam visum quem alterius gemmæ fulgor retuderit, Smaragdi recreant & exacuunt. Atque ob hanc causam placuit, vt non scalperetur, ne offensum decus imaginum lacunis corrumperetur; quanquam qui verus est Smaragdus, difficulter vulnerari potest. Probatur hoc pacto, si aspectum transmittat, si, cum globosus sit, proxima sibi virore suo inficiat, aere repercusso; aut cum est concauus, spectantium facies æmuletur; si neque vmbra, neque lucernis, neque Sole mutetur. Qui vitiosi sunt, intrinsecus quasdam sordes habent vel plumbo, vel capillamentis, vel etiam sali similes; lauanturque austero mero, sed viridi proficiunt oleo. Hæc Solinus, qui, vt pleraque quibus illum suum Polyhistorem refersit & ornauit, sic etiam hæc fermè ad verbum à Plinio mutuatus est: nam quæ de Gryphibus scripsit, ex secundo Capite libri septimi Plinij sumpta sunt; quæ autem de Smaragdo, ex quinto Capite libri trigesimiseptimi.

Solin. c.19

Vox Hebræa (barechet) quam 27 Beatus Hieronymus, & LXX. Interpretes in Smaragdum transtulerunt, deriuata est a barach, quod significat fulgurare seu fulgorem emittere: Quapropter secundum recentiores Hebræos & hebraizantes, significat lapidem fulgurantẽ, siue radios in modũ fulgoris emittentem: ob idque Pagninus in Lexico ait esse Chrysolytum, qui aureum habet colorem, & ardentes instar fulguris, scintillas emittit: alij putant esse Carbunculum. Ego assentior potius Beato Hieronymo & LXX. Interpretibus, qui voce illa Hebræa Smaragdum significari putauerunt: quinetiam Paraphrastes Chaldæus Smaragdin appellauit.

An vox: Smaragdi bene respondeat voci Hebrææ.

Pagninus.

Quidam, nec indocti, & huiusmodi rerum minimè incuriosi putant habere Smaragdum principia sua & originem ab ære: quod eo indicio

indicio Smaragdus probetur, si affricatus Lydio lapidi reddat æris colorem: hoc certè indicio mercatores Indici vti solent ne decipiatur. Smaragdus ponitur in hoc libro Capite vigesimoprimo quartum fundamentum cœlestis ciuitatis Ierusalem, & apud Ezechielem Capite 28. vltimus lapis pretiosus numeratur in ornamēto Regis Tyri Smaragdus.

Theophrastus.

Theophrastus inter lapides pretiosos primam dignitatem tribuit Adamanti, secundam Margaritis Indicis & Arabicis; tertiam Smaragdo.

Sex Smaragdi excellētia.

28 Multæ profectò, atque insignes sunt Smaragdi excellentiæ. Prima excellentia eius est in eximia viriditate qua superat viriditatem herbarum & frondium, prorsus adeo, vt quælibet alia res viridis cū Smaragdo composita & comparata, nō videatur virere: sua etiam viriditate proxima sibi colorat; & in tantū tenax est suæ viriditatis, vt neque in vmbra, neque in Sole, nec iuxta lucernas secundùm coloris aspectū mutetur. Altera excellentia Smaragdi est in humani obtutus oblectatione; nullius enim coloris aspectus oculis gratior est quam Smaragdi; nec est quicquam quod libentius auidiusque intueamur: eius namque viriditas & implet oculos, nec satiat tamen, eorumque ex intentione ad alia lassitudinem viridi lenitate demulcet ac recreat, & visum ad sui crassitudinem facilitate translucida transmittit, & corpus eius, si politum fuerit, rerum imagines reddit. Nero certè gladiatorum pugnas Smaragdo spectabat.

Smaragdi ob magnitudinē memorabiles. Theophrastus.

Tertia excellentia est in magnitudine: Theophrastus prodidit, à Rege Babyloniæ ad Regem Aegypti missum esse Smaragdum quatuor cubitorum: & in delubro Iouis apud Aegyptios reperiri obeliscum ex quatuor Smaragdis longitudinis quadraginta cubitorum, latitudinis, ex vna parte, quatuor cubitorum, ex altera, duorum.

Appion.

Appion Grammaticus tradidit memoriæ, fuisse in labyrintho Aegyptio Seraphim Colossæū ex vno Smaragdo nouem cubitorum. Quarta excellentia in multiplici eius miraq; varietate: duodecim enim species numerantur; sed Scythici omnium optimi; nullis enim nec maior est austeritas, nec minus vitij, tantaq; duritia, vt scalptura vulnerari non queant.

Smaragdi ad medelā morborum virtus ex Alberto & Tostado.

Quinta excellentia in medica virtute ac facultate aduersus morbos: tradit enim Albertus, valere Smaragdum contra calculos vesicæ, contra lepram, contra canum morsus cum rabie aguntur, & in vniuersum contra venena. Tostadus ex Dioscoridis sententia, ait valere contra morbum caducum, & contra fluxum sanguinis, & secundum aliquos, contra illusiones phantasticas, & deprauatam imaginandi facultatem.

De mystica significatione Smaragdi.

29 Sexta Smaragdi excellentia petitur à multiplici eius significatione mystica: nam quæ de quinque Smaragdi excellentijs paulo ante diximus, ea, secundum mysticam interpretationem accepta, rerum spiritualiū & cœlestium multa & præclara suppeditant documenta, de quibus disseruerunt Sacrarum litterarum explanatores, cum alibi, tum præcipue super Caput 28. Exodi, & 28. Ezechielis, & Mihi ad præsens satis fuerit, mysticā Smaragdi significationem, quā super 21. Caput Apocalypsis Beda explicat, hoc in loco referre:

Beda.

Smaragdus, inquit, tantæ viriditatis est, vt etiam herbas virentes, frondesque, & gemmas superet omnes, inficiens circa se viriditate repercussum aerem: qui meritò & viridi proficit oleo, quamuis natura imbuatur. Cuius genera sunt plurima, sed nobiliores frigore Scythica ferunt. Smaragdus porrò significat animas fide semper virentes, quæ quo magis aduersitate Sęculi, seu frigore Scythico premuntur, eo magis hęreditatem immarcescibilem,

bilem, & æternam conseruatam in Cœlo & mente concipere sperando, & in proximos spargere satagunt prædicando: quæ etiam internæ pinguedine charitatis ad contemptum Mundi proficiunt. Natalis etiam Smaragdi locus, pulchrè congruit mysterio: est enim terra locuples, & auro gemmisq; affluẽs, sed deserta, & inhabitabilis, propter Gryphes, feras videlicet volantes: Sunt enim quadrupedes, corpore quidem Leonibus, capite vero & alis similes Aquilis. Cum istis dimicant Arimaspi, vno tantũ oculo in media fronte insignes; Mira cupiditate, & Smaragdos rapiẽtibus Arimaspis, & feris custodientibus, huiusmodi desertam terrã, virtutum thesauris abundantem adierat Psalmista, cum dicebat, *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*, id est, A Mundi illecebris animum elongando subtraxi: In hac terra pretiosos thesauros & desiderabiles inuenire se, cum delectabili quadam admiratione manifestat dicens, *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?* & cetera quæ sequuntur vsque ad finem eius Psalmi. Cõtra Gryphes autem spirituales semen diuini verbi, & virtutum gẽmas nobis præripere conantes, quique Sanctorum inuigilant, simplici per cęleste desiderium intentione, quasi vno tantum oculo admirandi, vt gemmam fidei, cęterarũque thesauros virtutum inuestigare, & effodere queant. Quò enim quæq; virtus sublimior est, eo pauciores habet cultores, grauioresq; ab immũdis spiritibus persecutiones patiuntur: Hi etenim velut Gryphes meritorũ deiectione terrestres, sed superbæ mentis altitudine volucres, diuitias spiritales non sibi ad vsum possidere, sed hominibus auferre indefesso labore decertant. Hæc Beda.

Psal. 54. — *Psal. 30.*

OCTAVA Disputatio.

Super illis verbis:

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos, viginti quatuor seniores sedentes, &c. VERS. 4.

Qui fuerint illi viginti quatuor Seniores.

30 MIRE facit ad reuerẽtiam, & decorem, atque maiestatẽ Dei sedẽtis in throno istorum Seniorum assessio & circumsessio. Legimus enim in Sacris litteris, iussu Dei non semel factum esse delectum seniorum ad populum gubernandum, erudiendumque, & iudicandum, consilioque dirigendum; his enim quatuor ritè perficiendis muneribus, regendi, docendi, iudicandi, dandique consilij, omnium maximè idonei aptique sunt senes, ob ætatis reuerentiam, ob iudicij maturitatem, ob grauitatem morum, ob multam rerum humanarum experientiam, atque prudentiam, necnon ob perturbationum animi sedationẽ mentisque tranquillitatem.

Similis ætas ad quatuor potissimum virũ obeũda munera, maximè idonea.

Sed quinam fuere illi viginti quatuor Seniores circum thronũ Dei sedentes? Variæ sunt Explanatorum libri huius interpretationes. Prima Interpretatio est, Istorum viginti quatuor seniorum numero significari viros sapientiæ ac virtutum præstantia maximè celebres, de ijs qui fuerunt ante Christi aduentum. Si autem vellet quispiam istos viginti quatuor seniores deli-

Qui fuerint illi 24 seniores. Prima Interpretatio.

gere

gere ex omni ætate & ordine eorũ qui fuerunt ante Christum, hos potissimùm deligere posset: Ante diluuium duos, Abel & Noe: Enoch enim, quia nondum mortuus est, inter istos viginti quatuor numerandus non est: Post Diluuium tres Patriarchas, Abraham, Isaac, & Iacob: Post hos, duos primos duces populi Hebræi, Moysem & Iosue: ex Iudicibus populi hos quatuor, Gedeonem, Iephte, Samsonem, & Samuelem: ex Regibus etiam quatuor, Dauidem, Iosaphat, Ezechiã, & Iosiam: ex Pontificibus, Aaron, Phinees, Ioiadam, & Iesum filium Iosedec: ex Prophetis, ob insignem miraculorum potentiam, Elisæum; Elias namque, etiam nunc viuere creditur: Ob prophetica verò vaticinia, populiq; eruditionem atque instructionem quatuor Prophetas, quos appellant Maiores, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, et Danielem. Atque ex istis quos commemorauimus, & qui fuere maximè illustres inter eos qui præcesserunt Christi aduentum, constat numerus illorum viginti quatuor Seniorum.

Viri maximè celebres ante Christi aduentum.

31 Hanc Interpretationem tradit Ambrosius; hoc tamẽ differt, quòd istos vigintiquatuor Seniores videtur facere posteriores Mose, qui primus fuisse creditur Scriptor sacrorum librorum: putat enim Ambrosius, per illa vigintiquatuor sedilia designari vigintiquatuor libros Veteris Testamenti, in quorum scilicet lectione ac meditatione Patres illi Veteris Testamenti sedebant, id est, à laboribus, & curis Sæculi vacantes requiescebant. Ponam hic Ambrosij verba, quæ sunt huiusmodi: Viginti quatuor Seniores in hoc libro aliquando Patres Veteris Testamenti, aliquando Noui, aliquando simul vtrosque significant: sed in hoc loco, Patres Veteris Testamenti designant: qui vigintiquatuor in sedilibus sedisse dicuntur; quando autem sedemus, à labore quiescimus. Per viginti quatuor libri Veteris Testamenti figurantur, super quibus sedisse dicuntur Seniores, quia Patres Veteris Testamenti à laboribus & curis huius Sæculi in lectione & meditatione diuinorum librorũ quodammodò quiescebant. Sed quærendum nobis est, cùm illa Dei sedes Ecclesiam significauerit, vt suprà diximus, cur in circuitu illius sedis sedilia hæc disposita esse dicantur. Sed in promptu responsio est: quicumque enim paterfamilias domũ suam à latronibus & inimicis tutam esse cupiens, eam vel muro, vel sepe, vel pariete circumdat: similiter Ecclesia & contra Hæreticos, & contra Paganos, qui fidem Christi destruere conantur, Veteris Testamenti librorum doctrinis & testimonijs muniuit: Cum enim ea quæ credit & colit, longè ante Christi aduentum fuisse prædicta ostendit, iacula inimicorum, euertere Christi fidem cupientium, longè à se repellit. Illi porrò viginti quatuor Seniores amicti fuisse dicuntur vestimentis albis, & aureas in capitibus suis gestasse coronas. Per alba vestimenta, vitæ puritas & innocentia, per coronas aureas, bona opera, eorumque in cœlis præmia designantur. Hæc Ambrosius. At B. Hieronymus in sua præfatione in libros Regum dixit, viginti quatuor libros canonicos fuisse in Apocalypsi præfiguratos non per viginti quatuor Thronos, vt Ambrosius inquit, sed per viginti quatuor Seniores.

Ambrosius

VERS. 3.

32 Altera est Interpretatio Andreæ Cæsariensis Archiepiscopi, quam, perpetuus eius sectator, etiam tradit Arethas. Viginti quatuor Seniorum numerũ, inquit Andreas, quidam ex priscis Interpretibus constituunt ex Abele & alijs viginti viris Veteris Testamenti, & alijs tribus viris Noui Testamenti, Ioanne Baptista, & Beato Petro ac Paulo. Sed an certum id sit, an potius,

pro

pro vigintiquatuor Græcorum elementorum numero, rectiùs per hos accipiantur viginti quatuor qui exercitatione virtutum & cognitione rerum diuinarum præ cæteris excelluerūt, iudicium penes Lectorem esto. Nobis eorum magis probatur opinio, qui de istis viginti quatuor, duodecim interpretati sunt viros in Testamento Vetere, tū virtute, tum sapientia cæteris illustriores, quales fuerunt apud Hebræos duodecim Patriarchæ, duodecim tribuū Hebræi populi quasi principes & Capita: totidemq; alios duodecim in Nouo Testamento heroes, quos non alios quàm duodecim Apostolos licet existimare, hos enim Dominus Iesus futuros duodecim tribuum Israel iudices affirmauit. Candidæ autem Seniorum vestes symbolum habebant puræ illorum vitæ, & perpetuæ festiuitatis, solidæque lætitiæ qua in cœlis perfruuntur. Coronæ porro aureæ in eorum capitibus, victoriæ aduersus Dæmones non sine magna animi fortitudine & constantia obtentæ sunt indices. Sic Andreas.

Matth. 19.

33 Sed fortasse non est planè certum, illos duodecim Patriarchas filios Iacob, esse omnes in cœlo; cùm legamus, Rubē, & Simeonem, & Leui fuisse à Iacob, prophetico spiritu diuinitis afflatos grauissima maledictione percussos; & cùm Ioseph quosdam illorum de crimine pessimo accusauerit apud patrem suum; & insignis fuerit eorum inuidia, & odium, & credulitas aduersus innocentem fratrem suum Ioseph. Sed vt concedamus omnes esse saluos & beatos in cœlis, negari tamen non potest, plures eorū fuisse alijs compluribus Veteris Testamēti viris meritorum & virtutum laude multò inferiores. At verò, si quis pensitet ea quæ de istis viginti quatuor Senioribus varijs in locis huius libri dicuntur, perpicuè intelliget, eos fuisse tum sanctitatis laude perinsignes, tum beatitudinis gloria excellentes.

Disputatio super sanctitate 12. Patriarcharum populi Hebræi. Genes. 49. Suprà 37.

34 Ioachimus certè Abbas istā Andreæ pluriumque aliorum Interpretationem qua duodecim istorum viginti quatuor Seniorum arbitrantur fuisse duodecim Patriarchas filios Iacob, aperte confutat, super hoc ipso loco Apocalypsis ita scribens: Generalis opinio tenet, istos vigintiquatuor Seniores fuisse duodecim Patriarchas & totidem Apostolos, quorum illos filios Iacob secundùm carnem esse scimus, hos verò secundum spiritum primos Christi filios fuisse nouimus; & vtrosque Electorum Dei populorum, Iudaici scilicet & Christiani principes fuisse constat. Et de Apostolis quidem, omni remota contradictione, istud conceditur, quia eorum vita simul & numerus cum auctoritate concordat: Vita, quia vsque ad mortem pro iustitia decertauerunt: numerus, quia duodecim a Domino sunt electi: auctoritas, quia eos Dominus super sedes duodecim sessuros esse & iudicaturos prædixit, *Sedebitis*, inquit, *& vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, vnde & Beatus ipse Ioannes, vt se vnum de istis senioribus esse ostenderet, signanter se in Epistolis suis seniorem cognominat. De illis autem Patriarchis filijs Iacob multa possunt opponi. Primò, quia innocentem fratrem suum per malitiam vendiderunt. Deinde, quia vbicumq; in Scriptura sacra mentio fit de istis Patriarchis Testamenti Veteris, præter Ioseph, aliorum nulla ponitur commendatio, quin etiam vituperatio, nam de venditione fratris, de inuidia, & odio culpantur. Innuit hoc ipsum B. Gregorius, qui in quadā suarū Homiliarū de Electis atq; reprobis verba faciens, ita scribit: Duos filios habuit primus homo, quorū vnus electus est, Abel; alter, reprobus fuit, Cain. Tres filios Noe arca continuit, sed

Ioachimus. Matth. 19. Gen. 37. B. Gregor. Gen. 3.

Infra 6. *Infra 9.* eorum duo sunt Electi, Sem & Iaphet, tertius verò, maledictus & reprobus fuit, Cham. Abraham duos filios genuit, quorum vnus fuit electus, Isaac, alter reprobatus, Ismael. *Infra 16. et 21.* Similiter Isaac duos filios generauit, Iacob & Esau, sed ille fuit electus, hic autem reprobus. Duodecim filios habuit Iacob, sed eorum vnus, Ioseph, per innocentiam venditus est; alij vero per malitiam venditores fratris extiterunt. Sic Beatus Gregorius. Quoniam igitur istorum Patriarcharum numerus cum vitæ integritate atque innocentia non concordat, duodenarius eorum numerus non est sufficiens causa recensendi eos inter hos viginti quatuor Seniores, quos Beatus Ioannes tanta dignitate & gloria vidit in cęlis excellere. Hactenus ex Ioachimo.

NONA Disputatio.

Super eisdem illis viginti quatuor Senioribus enarrantur aliæ duæ Interpretationes: vna Beati Gregorij, altera Ruperti.

Tertia Interpretatio. 35 TErtia Interpretatio est quam tradit Beatus Gregorius in quarto libro Expositionis super nouũ Caput primi libri Regum, docens per istos viginti quatuor Seniores significatos esse in Ecclesia Christi perfectos Euangelicæ doctrinæ prædicatores. Sic enim scribit hunc ipsum locum Apocalypsis obiter explanans: Seniores illi viginti quatuor, quos in cœlis circũ thronum Dei sedentes vidit Beatus Ioannes in spiritu, quid aliud sunt quam Sancti prædicatores maturi sensu, & moribus graues? Qui profectò thronum Dei iuxtà positis sedibus ambiunt, quia qui præ ceteris Conditorem diligunt, per altissimam contemplationem & conuersationem ei viciniores requiescunt; Iuxta ipsum, sedent per eius perfectam imitationem, per ardentem amorem, per intimam conuersationem, & familiaritatẽ. Sed enim hæc interpretatio Beati Gregorij etsi verissima & pulcherrima est, videtur ea tamen pertinere ad sensum mysticum & allegoricum potius, quam ad historicum & litteralem, vt ex his quæ dicentur infra Lectori erit manifestum.

Quarta & Quinta & Sexta Interpretatio. *Tironius. Primasius.* Tales etiam censeri debent aliæ 36 tres loci huius Interpretationes: quarum vna est Tyconij & Primasij: per istos viginti quatuor Seniores designari vniuersam Ecclesiam in suis Præpositis, & in subditis: ita vt per vnum duodenarium istorũ Seniorum designetur vniuersitas Rectorum Ecclesiæ, ad similitudinem duodecim Patriarcharum: per alterum vero duodenarium significetur vniuersitas subditorum qui sunt in Ecclesia, ad similitudinem duodecim tribuum populi Hebræi. *Beda.* Altera Interpretatio est Bedæ: Ecclesiam, inquit, quam propter societatem fidei in vna sede viderat, eandem nunc per geminũ testamentum de Patriarchis & Apostolis generatam, in viginti quatuor sedibus cernit: Cernit autem eam sedentem propter iudiciariam eius in Christo dignitatem; Sedebunt enim & iudicabunt vniuersa membra, sed in vno, & per vnum caput: nam quomodo poterunt Sancti in Iudicio sedere, stantes ad dexteram Iudicis? Tertia Interpretatio est eiusdem Bedæ, sed quam ante ipsum tradidit Primasius, per istos viginti quatuor Seniores significari eos qui perfectionem operis, quæ senario numero commendatur, clara Euangelij prędicatione & obseruatione consumman,

Septima Interpretatio. Rupertus.

mant, nam quater sex faciunt viginti quatuor.

Septima Interpretatio est Ruperti. Nobis, inquit, videtur, sedem istam quam circumdabant Seniores viginti quatuor, figuram fuisse regni Christi, in qua sede Regia prius sedit Dauid, vt qui perinsignem figuram prætulit Christi ex ipso secundum carnem generandi: Vnde Archangelus Gabriel de Christo prædixit, *Dabit illi Deus sedem Dauid patris eius*. Et sicut post Christum successerunt duodecim Iudices, id est, Apostoli, ita ante sedem Dauid præcesserunt duodecim Iudices, qui post Iosue, & ante Regem Saul præfuerunt populo Hebræo: quorũ primus fuit Othoniel, vltimus vero Samuel. Isti sedem illam Dauid tempore præcedẽtes, quasi ab anteriori parte sedem illam in cęlo positam circumsedent. Alij verò Iudices, duodecim videlicet Apostoli, quibus dictum est, *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, filio Dauid Christo temporaliter succedentes, circum sedem illam, quasi a posteriori parte sedent. Rectè autem isti dicti sunt Seniores, quia per maturitatem fidei suæ populum Dei iuueniliter lasciuientẽ coercuerunt. Nam illi Hebræorum Iudices & a seruitute hostium Hebræos liberabant, & ab Idololatria reuocantes in veri Dei cultu continebant: & ad ignoscendũ eorum peccatis, flectebant Dei misericordiã, vnde Liberatores & Saluatores appellati sunt, vt legentib. librũ Iudicũ manifestũ est. Posteriores verò Iudices, id est, Apostolos, verè Seniores fuisse, hoc est, Sapientes, notissimũ est: illi nempe vicerunt mundum, superauerũt Diabolũ, & captiuũ peccati ac mortis populũ liberauerunt, & sempiternæ vitę gloriã sibi & quamplurimis alijs per Christi gratiã acquisiuerũt. Quã ẽt ob causam inducuntur amicti vestimentis albis, & coronis aureis redimiti. Hæc Rupertus. Ergo secundũ Rupertũ illorũ viginti quatuor Seniorũ numerus, quos Ioannes vidit in cœlo circum Dei thronũ sedentes, constabat partim ex duodecim Iudicibus populi Hebræi, partim ex alijs duodecim Iudicib. populi Christiani, id est, Apostolis.

Luca 1.

Matth. 19.

Cur dicti sint Seniores.

38 Etenim, contra istud Ruperti dictum de illis Iudicibus populi Hebræi, quos mediam partem facit istorũ viginti quatuor Seniorũ, tria possent obijci: primo non esse omnino certum, omnes illos Iudices esse in cęlo: deinde, multorũ ex illis nullã insignẽ virtutem, nullumque egregium facinus nobis esse notũ: tum, eos pluribus alijs veteris Testamenti viris pietatis, sapientiæ, virtutũque præstantia fuisse multò inferiores; ob idque non vider dignos qui inter illos viginti quatuor Seniores tanto in cęlis honore, ac dignitate, gloriaque fulgentes censeantur.

Animaduersio Auctoris in sententiam Ruperti.

DECIMA Disputatio.

Examinatur interpretatio Ioachimi.

39 OCTAVA Interpretatio est Ioachimi Abbatis, quam ipse tradit & declarat his ferme verbis: Istorum viginti quatuor Seniorum, interpretor partim fuisse duodecim Apostolos, quorum filij sunt sancti Martyres, qui pro Christi nomine passi sunt à tempore ipsorum Apostolorum vsque nunc, & qui deinceps passuri sunt vsque ad sexti signaculi apertionem, & Antichristi tempora: Ad horum enim Sanctorum Martyrum præfigurandũ

Octaua Interpretatio.

& præmonſtrandum ſtatum, hæc ſecunda Viſio Beati Ioannis præcipue ſpectat. Ceteros autem duodecim Seniores, eligendos eſſe puto ex Gentili populo, eo tempore quo venturus eſt Elias: ſicut duodecim Apoſtoli de Iudaico populo electi ſunt, eo ferme tempore quo venit Ioannes Baptiſta in Spiritu & virtute Eliæ vt quemadmodum per duodecim Apoſtolos & coadiutores eorum, vocatæ ſunt Gentes ad fidem Chriſti; ita per illos duodecim venturos in nouiſſimis temporibus intret ad fidem Chriſti vniuerſa multitudo filiorum Iſrael; & ſint reuera primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. Sed nunquid iſti viginti quatuor Seniores omnibus alijs Electis, gratiæ & gloriæ præſtantia anteponendi ſunt? Minimè verò; Conſtat enim alios eſſe & gratia & gloria præſtantiores ipſis, vt Abraham, Iſaac, & Iacob, Patres Prophetarum, & Apoſtolorum omniumque credentium; & Dauid, virum ſecundum cor Dei, cuius filius ſecundum carnem fuit Chriſtus, & Moſem, qui loquebatur cum Deo, tanquam amicus cũ amico ſuo; & Eliam, & Ioannem Baptiſtam, quorum ille præcurſurus eſt Chriſtum Iudicem, hic autem præcucurrit Redemptorem, digito eum præſentem indicans, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum. Sciendum itaque eſt, quod iuxta illud Saluatoris noſtri dictum: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ſicut in Eccleſia militante diuerſæ ſunt gratiæ gratis datæ, ſecundum quas nonnunquam aliqui ſunt inſigniores pluribus alijs viris ſanctis, qui tamen illis diuinæ gratiæ ac virtutum meritis longè ſuperiores ſunt: ita quoque in Eccleſia triũphante diuerſas eſſe glorias accidentales, & quaſi cœleſtes quaſdam prærogatiuas, quarum Deus alias alijs Beatis pro ſua volũtate ac ſapientia diſtribuit: Et hac ratione datum eſt iſtis viginti quatuor Senioribus, vt Beato Ioanni apparerent in cœlo ſedentes circum Dei thronum, amicti veſtimẽtis albis, & coronis aureis redimiti, ipſum quoque B. Ioan. multa quæ videbat, & non intelligebat, docẽtes. Denique addit Ioachimus, hác ſuam interpretationẽ, prout facit duodecim iſtorũ Seniorũ ipſos Apoſtolos, eſſe planè verã atque indubitatam; prout aũt alteros duodecim illorum Seniorũ facit quoſdã viros ſanctos futuros in nouiſſimis mundi tẽporibus, vtrũ ſit intellectus, an opinio, ait ſe lectoris iudicio relinquere. Ex quo intelligitur Ioachimum hanc ſuam Interpretionem & ſententiam non firmo aſſenſu, plenaque aſſeueratione, ſed dubitanter ac timidè tenuiſſe, aut certè ſcriptis prodidiſſe.

Luc. 1. *Matth. 20.* *An iſti viginti quatuor Seniores præcellant alios omnes qui ſunt in cœlo.* *Exod. 33.* *Luc. 1.* *Matth. 11.* *Ioan. 14.*

40 Nec immeritò ſanè Ioachimus iſti ſuæ Interpretationi non valdè confidit, ea quippe nullum videtur firmum habere veritatis, aut etiã veriſimilitudinis fundamentũ: Nec enim vel ſacra Scriptura, vel Patrum auctoritate nititur, nec fulcitur ratione aliqua, vel coniectura probabili; cum id tamen quod dicit, ante ipſum fuerit indictum atque inopinatũ. Ait, per duodecim iſtorũ Seniorũ numerum deſignari duodecim viros egregios fide ac virtutibus ex populo Gentib. qui venturi ſunt in nouiſſimo mundi tempore, & Iudæos conuerſuri ſunt ad fidem Chriſti. Dixit hoc Ioachimus, ſed nulla ratione probat, vt fiat veriſimile, nec merũ videatur eſſe figmentum. Præſertim vero cũ iſti duodecim viri, ſiue plures alij iſto numero duodenario deſignati per quos putat conuerſum iri Iudæos ad Chriſtum aliquot millib. annorum, futuri ſint poſt id tempus quòd Beatus Ioannes illorũ viginti quatuor Seniorum viſionem habuit: Iſti autem Seniores, & iam vixerant in terris, & tunc beati erant in cœlo, vt ex ijs perſpicuum eſt, quæ de ipſis pluritariã in hoc libro

Diſcutitur ſupradicta Interpretatio. Ioachimi.

An B. Ioannes fuerit vnus de numero illorũ vigintiquatuor Seniorũ, vt Ioachimus dixit.

bro prodita sunt. Illa quoque Ioachimi sententia perspicuè falsa est, Beatum Ioannem fuisse vnum de illis viginti quatuor Senioribus, & ad id significandum solere ipsum appellare se in Epistolis Seniorem. Ioannes etenim tunc viuebat in terris; illi vero Seniores iam mortali vita defuncti, beatam in cœlis vitam degebant: & ad eorum significandam æternæ felicitatis lætitiam, & gloriam, & in hoc quarto Capite, & in sequenti quinto inducuntur amicti vestimentis albis, & aureas coronas in capitibus suis gestantes, & habentes cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum in terris viuentium, quas illi Deo in cœlis offerebant. Adijce, quòd non semel in hoc libro & Beatus Ioannes inducitur multarum rerum quas videbat, nec satis intelligebat, sciscitans ab illis Senioribus & discens intelligentiam: Non igitur Beatus Ioannes erat vnus de illis viginti quatuor Senioribus in cœlo circum Dei thronũ sedentibus, tantaque dignitate & gloria fulgentibus.

VNDECIMA Disputatio.

Super noua quadam, sed ingeniosa, neque inerudita istorum viginti quatuor Seniorum Interpretatione, quam Petrus Aureolus, & Lyranus, & quidam alij tradiderunt.

Aureolus. Lyranus.

41 Nona Interpretatio à supradictis viris satis acutè, nec inscitè excogitata super istis viginti quatuor Senioribus, est huiusmodi: Cœlum, quod Ioannes vidit apertum; & in eo sedem Dei positam, significat Catholicã Ecclesiam militantem, in qua Deus, cæteris omnibus sectis & congregationibus reiectis, singulari modo residet ac præsidet: & ad cuius Ecclesiæ processum in finem vsq; mundi acie mentis diuinitus illustrata, prænoscendum, Spiritu prophetico sublatus est Ioannes. In illo cœlo sedes illa Dei posita denotabat sedem Romanã: quæ non solùm principalis est in omni Ecclesia, verùm etiam Ecclesiarum omnium caput, habens similitudinem lapidum pretiosorum, ob inuiolabilem Fidei firmitatẽ, quam, Deo ipsam protegente, perpetuò integram atque incontaminatam custodiuit. Iris sedem circumdans, perpetuæ miserationis & benignitatis Dei erga sedem hãc Romanam designat gratiam. Viginti quatuor sedilia, quæ circa istam sedem erãt, præfigurabant vniuersitatẽ Episcopaliũ sediũ quę sunt in Ecclesia per vniuersum mũdum diffusa: simulq; illi viginti quatuor Seniores figurã gerebant omnium Episcoporum Ecclesiæ, in similitudinem videlicet Sacerdotum Hebræorum, quos Dauid in viginti quatuor familias distribuit, vt per vices sacerdotalia ministeria in templo Dei obirent, vt legitur in vigesimo quarto Capite prioris libri Paralipomenon.

Sedes Romana.

Quid Iris.

Quid sedilia viginti quatuor totidemq; Seniores.

Deinde, ostenditur potentia & 42
magnificentia Dei, quantum ad influxum eius in Ecclesiam, tum luminis doctrinæ, tum virtutis miraculorũ, cùm dicitur, ex throno Dei processisse fulgura, & voces, & tonitrua: influxum præterea gratiæ, quantùm ad Sacramentum Confirmationis, in quo datur gratia septiformis, significata per septem illas lampades, siue septem Spiritus Dei: denique, influxum munditiæ ab omni peccato, signatum per mare vitreum simile crystallo, figuram videlicet Sacramenti Baptismi. Illa porrò quatuor animalia quę vidit B. Ioannes in circuitu sedis,

Quid fulgura, & tonitrua, & lampades, & mare vitreum.

Quid quatuor animalia cum senis alis, & plena oculis.

significabant vel quatuor Euangelistas, maximè idoneos fideque dignos testes diuinæ Maiestatis: vel quatuor sedes Patriarchales, Antiochenam, Ierosolymitanam, Alexandrinam, & Constantinopolitanam: Erant autem in circuitu sedis Dei, quia isti Patriarchatus à Romanæ sedis gubernatione pendent: habebant senas alas, & plena erant oculis, ad denotandam plenitudinem doctrinæ & potestatis, concordem tamen sedi Romanæ & ab ea pendentem. Iam verò perpetua, quæ memoratur in hoc loco, laudatio & gratiarum actio istorum quatuor animalium, & illorum vigintiquatuor Seniorum, significabat perpetuum fore in Ecclesia cultum Dei, & diuinæ laudis atque orationis exercitium per Horas canonicas die ac nocte celebrandum. Ex hac itaque Interpretatione dilucescit, B. Ioannem tantò antè Spiritu prophetico præuidisse & prædixisse pulcherrimam Ecclesiæ Christi dispositionem & gubernationem olim futuram, quam nos iam diu impletam esse cernimus. Sic isti.

34 Etenim, ista viginti quatuor Senioribus interpretatio nonnullis de causis haudquaquam probabilis videtur. Primum enim, illi viginti quatuor Seniores inducuntur in hoc libro tanquam singulares quędam personæ viuentes & loquentes, & præcipuo quodam honore, ac dignitate, gloriaque in cœlo præcellentes: hoc autem ad Ecclesias Cathedrales, vt isti dicunt, minimè accommodari potest. Deinde, inducuntur isti Seniores tanquam vsque in finem mundi permanentes, & mysteriorum vsq; ad finem futurorum conscij: hoc non quadrat in Ecclesias Græcas, rituq; ac magisterio Græcorum in doctrina & Sacramentis cultuque Dei viventes, quippe quæ iam pridem à recta fide defecerint, pluribus infectæ circa Fidem erroribus, & ab obedientia Romanæ sedis alienatæ ac separatæ, in schismatis malo versantur. Adhæc isti, quatuor illa animalia interpretantur principales quatuor isti Ecclesiæ Patriarchatus, Hierosolymitanum, Antiochenum, Alexandrinum, & Constantinopolitanum: Sed hæc interpretatio cum euentu, rebusque ipsis minimè congruit. Ista enim quatuor animalia inducuntur in hoc libro tanquam in cœlis beata, eximieque ac singulariter honorata, & cùm Ioanne loquentia, atq; ei nonnulla mysteria quæ Ioannes non satis intelligebat, declarantia: hoc autem ad istos Patriarchatus, qui iam diu in schismatis & hæreseos tenebris versantur, aptari non potest. Denique, ratio temporum, istorum refellit opinionem & interpretationem. Beatus enim Ioannes vidit illa quatuor Animalia tanquam tunc in Cœlo manentia: isti autem quatuor Patriarchatus multò post acceptam & scriptam à Ioanne Apocalypsin initium habuerunt: Sanè, Patriarchatus Constantinopolitanus aliquot Seculis post Beati Ioannis excessum constitutus est.

Discutitur supradicta interpretatio.

DVODECIMA Disputatio.

Explicatur Haymonis Interpretatio, quam sequitur noster Ribera.

HAymo in Commentarijs suis in Apocalypsin arbitratur, istos Seniores non fuisse dũtaxat viginti quatuor sed multò plures: & quod sæpe fit in Scriptura, positum esse determinatum numerum pro indeterminato. Isto enim numero viginti quatuor Seniorum denotari omnes viros tã Veteris quàm Noui Testamenti, perfectione virtutum ceteris insigniores, atque præstantiores.

tiores. Cur autem tanta multitudo istorum perfectorum hominum illo præcipuè numero viginti quatuor denotata sit, duas reddunt rationes: Numerus enim viginti quatuor constat ex duobus duodenarijs; quorum alter designat perfectos viros Veteris Testamenti, pro pter honorem duodecim Patriarcharum, qui fuere illorum progenitores secūdū carnē: alter verò duodenarius designat viros perfectos Noui Testamenti, ob reuerentiam, & honorem duodecim Apostolorū, qui eorum fuere quasi spirituales parentes, & Principes Ecclesiæ Christi. Deinde, Scriptura ad significandam aliquarum rerum siue personarum vniuersitatem, vel perfectionem, vtitur certis quibusdam numeris, vt septenario, denario, centenario, millenario: & inter istiusmodi numeros censeri etiam debet duodenarius, quem Beatus Hieronymus sub initium libri XVI. Commentariorum in Ezechielem appellat numerum plenæ, consummatæque virtutis. Et Beatus Augustinus libro XX. de Ciuitate Dei, Cap. V. & super primis verbis psalmi LXXXVI. Beatus etiam Gregorius lib. X. Moralium, Cap. XXXIX. aiunt, Duodenario numero significari vniuersitatem: & idcirco, cum dixit Dominus Apostolos futuros Iudices duodecim tribuū, duodenario numero Apostolorum significatos esse omnes viros perfectos qui cum Christo & Apostolis iudicaturi sunt alios: duodenario autem numero tribuum Israel, designatos esse omnes qui iudicandi sunt. Et Haymo quidem hanc suam Interpretationem hoc in loco strictim attingit; sed eam supra, enarrans id quod est in fine tertij Capitis: *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo:* expressius declarauit his verbis: Neminem moueat quod vnus thronus in hoc loco iudiciaria potestas intelligatur, cùm in Euangelio legamus duodecim fore sedes, super quas sedentes Apostoli iudicaturi sint alios. & in hoc libro legimus, viginti quatuor thronos, super quos sedebant viginti quatuor Seniores: Duodenarius enim bis ductus facit viginti quatuor, In quo numero comprehenduntur duodecim Patriarchæ, & omnes Patres perfectæ virtutis Veteris Testamenti, in altero autem duodenario comprehenduntur Apostoli, omnesque viri perfectiores Testamēti. Dicitur itaque vnus thronus singulariter, propter vnā potestatem iudiciariam: dicuntur duodecim throni, propter perfectionem Electorum qui iudicaturi sunt: Dicuntur etiam viginti quatuor throni, propter viros perfectos vtriusque Testamenti qui cum Domino ad iudicandum venturi sunt. Sic Haymo: cuius interpretationem, tacito eius tamen nomine secutus est noster Ribera: vt mihi quidem fiat verisimile, cum super hoc loco scripsit, non legisse Haymonem; aut si anteà legerat, tunc certè ei Haymonis non venisse in mentem, non enim eum interpretationis quam ipse cæteris antepo-suit, auctorem nominare prætermisisset.

Duodenarius. *S. Hieron.* *August.* *Gregor.* *Matth. 19.* *Haymo.* *Ribera.*

Hanc ego interpretationem & 45 sententiam etsi non prorsus improbo; eam tamen, quia mihi non animum explet, pleno assensu approbare non possum. Cum enim illi Seniores sæpius in hoc libro inducantur, quatuor duntaxat & viginti numero definiti atque insigniti, non video cur existimare debeamus, ipsos non fuisse tantum viginti quatuor, sed multo plures, & positum esse hic numerum definitum pro indefinito: Verba enim Sacræ Scripturæ, nisi quid plane obstet, secundum propriam eorum significationem accipienda & intelligenda sunt; in hoc enim maximè sensus & interpretationis, quam vocant historicam & litteralem, ratio consistit. Nihil autem obstare videtur

Auctoris iudicium de supradicta interpretatione.

detur quo minùs isti Seniores, sicut dicuntur, ita reuera fuerunt, tantū viginti quatuor. Nam duas contra hoc, quas noster Ribera facit obiectiones, minimè arduū fuerit diluere. Ait, istos Seniores esse eos qui cū Christo in extremo, generaliq; iudicio, iudicaturi sunt alios; eos verò qui tunc iudicaturi sunt, multò plures fore quam viginti quatuor, cōmunis est sniā Theologorum arbitrantium, omnes qui fuerint in terris Euangelicæ perfectionis sectatores, & Christi Apostolorumq; imitatores, eos cum Christo & Apostolis tunc futuros iudices aliorum. Quod etiam firmare licet auctoritate Beati Gregorij, qui in Capite trigesimonono libri decimi Moralium, Omnes, inquit, qui stimulo diuini amoris excitati, hic possessa reliquerint; proculdubio illic culmen iudiciariæ potestatis obtinebunt. Hæc obiectio ita diluitur: Equidem nō inficior, istos Seniores fore tunc de numero eorum, qui iudicaturi sunt; sed nego, istos non fuisse tantùm viginti quatuor, qui B. Ioanni apparuerunt in hac visione, nego, inquam, isto numero significatos esse viros perfectos, qui iudicaturi sunt: Neque verò isti Seniores in hac visione inducuntur tanquam Iudices, sed tanquam conscij atque Interpretes mysteriorum diuinæ Prouidentiæ circa Ecclesiam, & circa ea quæ diuersis in temporibus vsque in finem mundi & in Ecclesia, & in populo Dei, euētura erant. Extremi autem iudicij Visionem habuit postea Beatus Ioannes, eaque intra Capite vigesimo distinctè diserteque narratur: vbi tamen nulla istorum viginti quatuor Seniorum expressa fit mentio.

Soluuntur duæ obiectiones Riberæ.

S. Gregor.

46 Altera obiectio est huiusmodi: Isti Seniores Deum laudantes, eiq; gratias agentes, dixerunt verba illa quæ sunt in Capite quinto, *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*, &c. Si ergo isti Seniores erant ex omni populo & natione, non poterant esse tantùm viginti quatuor, sed eos fuisse quamplurimos necesse est. Respondeo, Seniores non dixisse illud de se, prout erant in illo tantùm numero definito, sed in persona & nomine suo, dixisse illud de omnibus hominibus per Christum redemptis, & sanctificatis, atq; glorificatis: nam istud ipsum, quod Seniores dixerunt, etiam dixisse quatuor animalia, eodem ipso in loco proditum est: Sic enim legimus in quinto Capite; *Et cùm aperuisset librum, quatuor Animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderūt coram Agno, & cantabant canticum nouum, dicentes, Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, &c.* Illa verò quatuor animalia, etiam secundùm Riberam, significabant quatuor Euangelistas, quos ex vna fuisse Hebræorum gente notum est. His accedit, quod isti Seniores inducuntur in hoc libro, tanquam qui tunc in cœlo manerent, & singulari quodam inter cœlicolas honore ac dignitate gloriaque præcellentes: eorum verò perfectorum hominum, qui futuri sunt in fine mundi iudices aliorum, quamplurimi tempore B. Ioannis nondum erāt nati: quin etiam, plurimi post hæc nostra tempora, in consequentibus vsq; ad finem mundi ætatibus atq; Seculis nascituri sunt, qui ad illum numerum Iudicum pertinebunt. Non igitur illa viginti quatuor simulacra vel effigies Seniorum quas in spiritu vidit B. Ioānes, denotabant omnes viros perfectos omnium temporum, & qui fuerant ante Ioannem, & qui post eum futuri erant vsque ad finem mundi, sed repræsentabāt certos quosdam excellentes viros in cœlo manentes, numero viginti quatuor.

DECI-

DECIMATERTIA Disputatio.

Auctoris sententia indicatur.

47 QVAENAM igitur super istis viginti quatuor Senioribus est nostra sententia? Facilius mihi sanè in hac controuersia suppetit dicere, quid non approbem, quam, quod pro explorato, certoque habeam, affirmare. Illud tamen satis probabiliter dici posse existimo, istos Seniores tot numero fuisse, quot fuisse dicuntur in hoc libro, id autem est, nec plures, nec pauciores quam viginti quatuor: neq; hoc noua eget probatione, cùm super ea re paulo supra abunde disputatum sit. Velle autem propriè ac nominatim statuere ac decernere, quinam ex Sanctis ac Beatis qui tunc erant in cœlo, fuerint isti viginti quatuor Seniores, inscitæ potius vanitatis, & temeritatis fuerit, quàm solertis prudentisque coniectationis & diuinationis. Si Lectorem tamen iuuat ex nobis super ea re audire aliquid quod nonnullam veritatis, speciem & similitudinem habeat, equidem puto non improbabiliter dici posse, istos omnes viginti quatuor Seniores fuisse ex illis viris perfectis, & in Sacra Scriptura valdè laudatis & celebratis, qui Domini nostri præcesserunt aduentũ. Tales porrò celebriores atque illustriores ceteris fuisse hos viginti quatuor, quos hic nominabo, nullus, opinor, in Sacris literis versatus, inficias ibit, Abelem, Noe, Abrahã, Isaac, Iacob, Ioseph, Melchisedech, Iob, Moysem, & Aaron, Iosue, & Samuelem, & quatuor reges à pietate ac religione valde laudatos, Dauidem, Iosaphat, Ezechiam, & Iosiã, & ob multitudinem, atque magnitudinem Eliseum, & de Prophetis qui vocantur maiores, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & Danielem; & de Prophetis qui vocantur minores, Zachariam, qui plures habuit diuinas visiones, & quasdam similes earum quas habuit & descripsit in hoc libro Beatus Ioannes. Supradictis porrò viginti duobus annumerare conuenit duos alios qui fuerunt tanquam medij inter Vetus & Nouum Testamẽtum, Veteri quasi finem imponentes, & initium Noui prætendentes, illum dico sanctissimum Senem Simeonem, tantopere laudatum in Euangelio; & gloriosum Præcursorem Domini Ioannem Baptistam, de quo Dominus ipse dixit, *Prophetæ omnes & lex vsq; ad Ioannem prophetauerunt.*

Qui fuerint illi 24. Seniores.

Luca.2

Matth.11

48 Si cui autem similius vero & cõgruentius videatur, istorum Seniorum partim fuisse ex Veteri Testamento, partim ex Nouo, licebit etiã non improbabiliter dicere, duodecim istorum Seniorum fuisse ex Veteri Testamento, & fuisse hos, Abelem, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Mosem, Samuelẽ, Danielem, & quatuor Prophetas qui vocantur maiores, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem; vel pro his duodecim, alios ex duodecim supra memoratis, vel omnes, vel eorum aliquos. Alteros verò duodecim ex Nouo Testamento, contentaneum est putare non alios fuisse quã duodecim Apostolos; qui iam erant in cœlo eo tempore, quo Beatus Ioannes hanc in terris visionem habuit. Et hanc quidem opinationẽ adiuuare videtur quod scriptum est infra decimoctauo Capite huius libri, vbi agitur de suprema euersione ac desolatione ciuitatis Babylonis, quo nomine significatur congregatio omnium impiorum, & regnum in terris Diaboli, & Sectatorum

eius: Ad gaudendum enim & exultandum super hac re inter omnes cœlicolas præcipuè ac nominatim inuitantur præstantissimi viri & Veteris Testamenti, & Noui, Prophetas dico, & Apostolos. Hęc autem sunt, eo loci verba Scripturæ, *Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam iudicabit Deus iudicium vestrum de illa.*

Cõmemoratio eorum, quæ de istis seniorib in hoc libro scripta sũt.

49 Visum deniq: mihi est, pro clausula huius Disputationis, ponere hìc tanquam in conspectu Lectoris omnia quæ de istis Senioribus in hoc libro tradita sunt, quò nimirũ facilius ei & præstantia honoris, & dignitatis, gloriæque istorum Seniorum, & probabilitas eorum, quę de illis supra disputauimus, dilucescat. In hoc quarto Capite hæc de illis leguntur: *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor; & super thronos, viginti quatuor Seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* & paulo infra: *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorũ, procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes, Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* In quinto Capite sic est: *Et ego flebam multum quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et vnus de Senioribus dixit mihi, Ne fleueris: ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, &c.* & paulo infra, *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum: & cantabant canticum nouum dicentes, &c.* & in Capite septimo, *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor Animalium, & ceciderunt in conspectu throni, in facies suas, &c.* & paulo post, *Et respondit vnus de Senioribus, & dixit mihi, Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? Et dixi illi, Domine mi, tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, &c.* & in Capite decimoquarto, loquens de illis centum quadraginta quatuor millibus, quos Ioannes vidit in monte Sion corã Agno, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, *Et cantabant*, inquit, *quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor Animalia, & Seniores.*

DECIMA QVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei. VERS. 5

ILlud de fulgoribus, 50
& vocibus, & tonitruis ex throno procedentibus, positum est ad ostendendam sedentis Dei super thronum maiestatem, & ad incutiendum mortalibus terrorem, quo scilicet maiori reuerentia & veneratione diuini maiestatem Numinis colant atque venerentur: Similiter etiam, cum Deus in montem Sina descendit daturus Hebræis legem, similia esse facta legimus in Exodo; totus enim mons fumabat, & flammis ardebat, multaque & horrifica fulgura, & tonitrua facta sunt. Quam- Exodi 19. 20.

obrem

obrem Hebræi ingeniti terrore per cussi, ac propemodum exanimati rogabant Mosen, vt ipse loqueretur eis, non autem Deus, cuius præsentiæ talia signa perhorrescebant vt quæ mortem sibi allatura putarent. Dauid etiam in Psalmo 17. inducens Deum magna cum potentia venientem ad sibi auxiliandum maximo in discrimine versanti, profligandumque hostes suos, similibus rebus eius descripsit aduentum: Nam inter alia dicit hæc, *Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: grando, & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.*

Andreas. Ista fulgura & tonitrua declarans Andreas, Hinc quoque, inquit, planum fit, quam terribilem & formidabilem Deus ijs exhibere sese soleat, qui illius patientia & mansuetudine abutuntur: Nam hominibus salute dignis, tonitrua isthæc & fulgura lucem verius & voluptatem, quam terrorem afferent: Fulgura enim mentis illorum oculos lumine perfundent, tonitrua verò spiritales eorum aures perficient, & quadam suauitate afficient. Illud porro. *Voces & tonitrua*, siue, vt alia lectio habet, *Tonitrua, & voces*, dupliciter accipere licet: possumus enim intelligere tã quam vnam rem, vt illud, *Tonitrua & voces*, idem significet quod tonitrua vocalia, & voces humanas proferentia: talia quippe tonitrua voces articulatas & humanas proferentia audiuisse Beatum Ioannem in hac sua Apocalypsi, ipsemet affirmat & ostendit in decimo Capite huius libri.

51 Sed plerique tamen Interpretum, per fulgura, & tonitrua, & voces interpretantur efficaciam verbi Dei, & potentiam miraculorum & terrorem comminationum æterni supplicij; his enim tribus rebus præpollebat Apostolorum, & Apostolicorum virorum prædicatio. Audi Lector Ambrosium, Per fulgura, inquit, significantur miracula, quæ per Sanctos suos operatur Deus: per voces, prædicatio diuini verbi intelligitur; per tonitrua vero, terror Gehennæ ignis designatur: Sancti namque prædicatores, quos amore cœlestis Patriæ reuocare à vitijs non queunt, eis tormenta æterna quæ impijs præparata sunt, opponunt; vt quos blanditijs nequeunt, terroribus saltem compescant à vitijs. Sic ille. De verbi Dei efficacia luculentum habemus Beati Pauli testimonium, cuius in quarto Capite epistolę ad Hebræos hæc sunt verba, *Viuus est Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Illustre nobis etiam huius efficaciæ verbi Dei exemplum idem Paulus suppeditat: eo namque disputante coram Felice Præside de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, expauefactus & tremefactus est Felix. Act. 24. Beati quoque Petri prima concio, quam post acceptum Spiritum Sanctum ad Iudæos habuit, adeo fuit efficax, vt tria millia Iudæorum ad Act. 2. fidem Christi conuerterit De miraculis sanctorum prædicatorum verbi Dei refertus est liber Beati Lucæ de Actibus Apostolorum, & nũc satis fuerit referre extrema illa verba Marci de Apostolis: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Ambrosius.

52 Sequuntur illa verba, *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Quorum communis est interpretatio, istis verbis significari septem dona Spiritus Sancti, quæ Isaias vocauit Spiritus Dei. Dicuntur ista dona lampades ardentes, quia per hæc dona Deus Ecclesiam & cognitione rerum diuinarum illuminat, æternorumque bonorum amore inflammat:

Quid significent septem lampades ardẽtes in conspectu Dei. Esa. 11.

mat: Dicuntur etiam in conspectu Dei esse, quia non sine his, nec nisi per hæc ad beatum Dei conspectũ perueniri potest; vel quia Deus ea ad manum & in promptu habet, vt quibuscumque voluerit, largiatur. Etenim, multò planior, expeditiorque atque probabilior est illa interpretatio, per septem istos Spiritus significari certos quosdam Spiritus angelicos numero septem, in executione diuinæ prouidentiæ præcipuos, & qui excellunt inter eos de quibus dixit Dauid, *Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Dominum omnes virtutes, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Septem enim istorum Spirituum ministerio præcipuè Deus vtitur in gubernatione Mundi, potissimum autem Ecclesiæ suæ. Hos congruè admodum & condignè dixit esse tã quam septem lampades ardẽtes in conspectu Dei, nam singulari quadam eximiaque ratione, & Dei cõsiliorum & arcanorum cognitione lucent: & amore iussa Dei exequẽdi, & ministeria sibi à Deo imposita efficaciter perficiendi ardent; in quos nimirum bene quadrat quod Dauid in Psalmo centesimotertio dixit, *Qui facis Angelos tuos, spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*, aptissimè videlicet similitudine venti & ignis denotans Angelorum in explendis Dei ministerijs velocitatem, simulque efficacitatem. Verùm de istis septẽ Spiritibus copiosè supra disseruimus in Disputatione septima super primum Caput huius libri. Andreas Cæsariensis vtramque supradictam septem istorum Spirituũ interpretationem commemorat & commendat, super hoc loco ita scribens: Per septem hos Spiritus, aut septem Angelos ceteris præstantiores cum Irenæo accipere oportet, aut septem viuifici illius Spiritus charismata, quorum mentionem fecit Isaias, & vtraque quidem expositio ratione & auctoritate nititur.

Psal. 102. *Andreas.* *Cap. 11.*

DECIMAQVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum, simile crystallo. VERS 6.

MVLTAE sunt horũ verborum interpretationes: sed quæ, vt maximè communis, ita peruetus est, Victorini scilicet, Tyconij, Primasij, Bedæ, & qui hos deinde secuti sunt, Haymonis, Ruperti, Ricardi, aliorumque, Ea est huiusmodi: Per istud mare vitreum simile crystallo significari Sacramentum Baptismi, in conspectu sedis: id est, in ipsa Ecclesia, tanquam limine positum, per quod necessario transeundum est omnibus ad thronum & conspectum Dei accedere cupientibus. Baptismus autem dicitur mare, quod omnibus populis & Gentibus ad salutem propositus est: Aquæ enim multæ in Sacris Litteris significant populos multos, & more Scripturæ, ingens quælibet congregatio aquarum, mare appellatur. Vel mare dicitur Baptismus ad similitudinem Maris rubri, quod saluos transuexit Hebræos, demersis in profundũ Aegyptijs: similiter per Baptismum demersis deletisque peccatis animus hominis saluus euadit. Et hoc videtur consonum sententiæ Apostoli aientis, veteres illos Hebræos ductu nubis Mare rubrum transgressos, fuisse in figura per Mosen in nube & in mari baptizatos. Vel dictus est Baptismus mare, ad similitudinem

53 *1. Interp.* *Cur mare significet baptismũ.* *Apoc. 17.* *Genes. 1.* *Exod 14.* *1. ad Cor. 10.*

1.Reg.7. Exod 21, tudinem Maris ænei à Salomone facti similitudinem labij ænei, quod fecerat Moses, & posuerat in tabernaculo. In hoc autem mari siue labio æneo Sacerdotes exuti vestes seculares sese lauabant, & abstersis sordibus & maculis omnibus induebant vestes Sacerdotales, vt ritè peragerent in templo diuini cultus ministeria. Baptismus porrò cõparatur vitro, quod non aliud continet intus, quam quod foris cerni tur: sic etiam Baptismus sinceram exigit puramque fidem, & confessionem peccatorum; vt quod ore dicitur & promittitur in Baptismo, id etiam corde credatur, & opere complendum proponatur; *Corde enim creditur ad iustitiam*, vt dixit Apostolus, *ore autem confessio fit ad salutem*, Vel, secundum Richardum Sancti Victoris, Baptismus assimilatur vitro ob puritatem & claritatem, vel quia ob perspicuitatem peruium est, & penetrabile, atque illustrabile, à radijs & luce Solis: In Baptismo enim mens hominis per sinceram fidei & cognitionis rerum diuinarum claritatem ei diuino munere collatam illuminatur: quamobrem Græci Patres Baptismum appellauerunt φωτισμόν, id est, illuminationem, vt videre licet apud Beatum Dionysium in libro de Ecclesiastica Hierarchia, & Nazianzenum in Oratione de Baptismo. Beatus etiam Paulus in Capite 6. Epistolæ ad Hebræos indicat, per Baptismum illuminari homines, & gustare donum cœleste & bonum Dei verbum, virtutesq; sęculi venturi, & participes fieri Spiritus Sancti. Sed quam Baptismus habet similitudinem crystalli? Hanc nempe, quod gratia Baptismalis fragilitatem humanę conditionis, & instabilitatem nostræ mentis valdè confirmat: quasi ex mari tollens instabilitatem, & ex vitro fragilitatem, habensque maris amplitudinem, perspicuitatem vitri, & soliditatem, firmitatemque crystalli. Secundum Rupertum gratia baptismalis in hac vita est similis vitro, partim ob suam claritatem, qua mentem clarificat; partim ob fragilitatem hominis in quo est: Dum enim in terris versamur, cęlestem istum thesaurum habemus in vasis fictilibus, ob liberi arbitrij mutabilitatem in malum. At verò, post hanc vitam, gratia quam in terris accepimus, fit in cęlo consummata, & vt ita dicam, inamissibilis: tunc sanè similis est crystallo ob maiorem claritatem, & soliditatem, atque firmitatem.

Cur Baptismus compa retur vitro & crystallo. *Ad Ro. 10.* *Richardus.* *Dionysius. Areopagita Nazianzenus. Ad Hebr. 6* *Rupertus.* *2. ad Cor. 4*

54 Altera Interpretatio est, quam refert Dionysius Carthusianus; quorundam qui mare vitreũ simile crystallo interpretati sunt Sacramentũ Pęnitentiæ, quod rectè vocatur mare, tum ob amaritudinẽ doloris de peccatis commissis; tum ob abundantiã aquæ lacrymarum quas generat perfecta penitentia; Dicitur vitrum, ob perspicuitatem & claritatem, quæ esse debet in cõfessione peccatorum, ita vt animus pęnitentis fiat perspicuus & perlucidus Confessario: Vel appellatur vitreũ, quod qui à peccati statu per pęnitentiã translatus est ad statum gratiæ, valde timere sibi & cauere debet, ne ad pristina peccata relabatur, memor & conscius vitreæ fragilitatis suæ, partim natiuæ, partim ex præteritorum peccatorum habitu vsuque contractæ. Denique vocatur simile crystallo, tum ob soliditatem & firmitatẽ propositi nũquam in posterum peccandi; tum ob claritatem & pulchritudinem gratiæ quæ per virtutem & Sacramentũ Pęnitentiæ comparatur.

2. Interp. Dionysius Carthusia.

55 Tertia Interpretatio est nostri Riberæ: Ego, inquit, mare vitreum dici arbitror multitudinem hominum in terris viuentium, more Hebręorum videlicet, quamlibet congregationem aquarum mare appellantium, & in hoc libro Apocalypsis Capite XVII. aquæ super quas, sede-

3. Interp. Ribera.

sedebat illa meretrix, significasse di cuntur multas gentes & populos. Dicitur autem mare vitreum non propriè quasi condensatum duratumque fuerit in naturam vitri; sed figuratè tali Epitheto tranquillum, & perlucidum mare significando. Multitudo itaque hominum in terris viuentium dicitur mare vitreum in conspectu Dei, quòd hominum facta, & dicta, & cogitata, quantumuis abdita & occulta sint, Deo tamen maxime perspicua & clara sunt: & ideò iustè omnes iudicaturus est, & redditurus vnicuique secundùm opera eius. Huc spectat illud Apostoli, *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Et illud Dauidis: *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Illud autem *Simile crystallo*, adiectum est amplificationis gratia, ad ostendendum illud mare fuisse maximè perspicuum & trãslucidum, sicut est crystallus magis quàm vitrum.

Ad Hebr. 4

Psal. 138.

DECIMASEXTA Disputatio.

Quemadmodùm istud mare vitreum simile crystallo interpretatus sit Andreas Cæsariensis, necnon & Ambrosius, & de ipsius auctoris sententia.

4. Interp. Andreas.

56 ANdreas tres vel quatuor istius maris vitrei & similis crystallo interpretationes commemorat: quarum prima est, per istud mare significari immẽsam cœlestium ciuium multitudinem, rerumque diuinarum ab omni labe munditiem, & ab omni errore vacuitatem, necnon & immutabilem futuræ vitæ tranquillitatem. Altera est quorundã aliorum interpretatio, significari aquas illas cœlestes supra firmamentum locatas, mortalibusq; prorsus inaccessas atq; incognitas, de quibus nimirum Psalmista dixit, *Et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*: vel significari crystallinã cœli naturam, & cœlestis illius pauimenti fulgorem ac perspicuitatem. Est aliorum præterea interpretatio, Beatũ Ioannem in his verbis spectasse & allusisse ad Propitiatorium superimpositum Arcæ, super quo Deus sedere ac præsidere credebatur, edens inde Oracula, reddensque responsa: Illud autem Propitiatorium erat totum ex auro purissimo, ob idque mirandum in modum fulgens ac resplendens, & ad crystalli similitudinem quasi translucidum.

5. Interp.

Psal. 148.

6. Interp.

Exodi 25. 26. 2. & ad Heb 9.

Ambrosius sic hũc locum interpretatur, Vetus, inquit, Testamentum significatum fuit per mare æneum quod fecit Salomon, vt legitur in Capite septimo libri tertij Regum, in quo mari æneo lauabantur Sacerdotes antequam accederent ad altare, & ad hostias offerendas, æris autem splendor quadã velut nigredine cito nubilat. Per mare itaq; illud æneum lex Mosis designata est, quæ fulgorem intelligentiæ spiritualis, ceu quadam litteræ nigredine obscurat. Sicut autem æs si lima teratur, splendor eius apparet: ita & intelligentia spiritualis q̃ litteræ superficie obscuratur in lege Mosis, si à fidelibus viris diligenter discutiatur, per gratiã Dei manifestatur. In hoc igitur mari æneo Sacerdotes lauabantur, quia per sacrificia, & oblationes, & quasdam alias obseruationes legales, quædã peccata veteris populi delebantur. Per mare porrò vitreũ, & crystallo simile quod Ioannes vidit in conspectu sedis Dei, non incongruè Nouum Testamentum intelligi potest, 57

7. Interp. Ambrosius

Et

Et quia hic tria nominantur, & mare, & vitrum, & crystallus, per mare historica diuinæ Scripturę sententia significatur; per vitrum, moralis sensus & intellectus denotatur; per crystallum spiritualis designatur intelligentia. Rectè autem per vitrum, ex quo specula fiunt, doctrina moralis accipitur: sicut enim homo quicquid turpe habet in facie, in speculo deprehēdere potest; ita & quicquid vitiosum est in animo, moralis doctrina patefacit. Per crystallum verò quæ clarior est omnibus gemmis, & quæ splendorem nonnunquam igneum etiam emittit ex se, spiritualis intelligentia insinuatur; ea quippe obscura quæ sunt in diuinis Scripturis dilucidat, mentesq; ę spiritualium hominum & illuminat, Deique ac rerum cœlestium amore inflammat. Et hæc quidem Ambrosius.

58 Totam hanc Ambrosij interpretationem maris vitrei, & proximè sequentem quatuor animaliū, prorsus iisdem verbis comprehensam, Dionysius Carthusianus assignat cuidam Berengando, quem ipse honoris gratia Venerabilem Patrē appellat: Nec hoc tantùm loco, sed plurifariam in explanatione huius libri, multa quæ leguntur in Commētarijs Ambrosij, ad verbum isti Berengando Carthusianus attribuit: vt existimare liceat, vel ipsum ea ex Ambrosij Commentarijs (tacito eius nomine) ad verbum in sua Commentaria transtulisse, quod quia satis turpe videtur, ægre possum inducere in animum vt credam; vel fortasse Commentaria in Apocalypsim, quæ nunc Ambrosij nomine prænotata feruntur, in ætate Carthusiani sub nomine istius Berengaudi euulgata sunt. Sed hoc ego dixerim suspicando, & quasi diuinando potius quam affirmando.

Berengandus.

59 Similiter Ambrosio locum hunc interpretatus est Ioachimus, cuius interpretatio mihi quidem hoc in loco visa est commemorari non indigna. In mari vitreo, inquit, sacrum designatur Scripturarum volumen, quod ideo manet in conspectu sedis Dei, id est, Ecclesiæ, vt in eo valeant Electi contemplari faciem animæ suæ, turpis ne sit, an pulchra: deinde vt cognoscere queant inuisibilia Dei per speculum, & in ænigmate, & quasi per vitrum quoddam perspicuum. In vitro enim & in aqua res videtur per imaginem eius. Bene autem mare istud dicitur vitreum, & simile crystallo; Vitrum enim perspicuum est, Crystallus vero est congelata, & in duritiem lapidis solidata: Talia erant multa in lege Mosis secundum litteram intellecta, valde dura, rigida, & terribilia. Vnde per Psalmistam dictum est, *Mittit crystallum suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Quasi enim buccellas crystallum suam Dominus misit, quando illi populo carnali præcepta legis dedit valde dura, & rigida, & quæ secundum nudam litteram intellecta videbantur importabilia. Sed quid ibi sequitur, *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. flabit Spiritus suus, & fluent aquæ?* Missus enim in Mundum Dei Filius pręcepta legis temperauit & molliuit, & declarando ea spiritaliter, & virtutem seruandi ea largiendo, mutauit quodammodo duram glaciem in liquorem, & quod portare fideles non poterant, missus à Christo Spiritus Sanctus facile portatu reddidit. Sic ille.

Ioachimus

Locus Ps. 147.

Fit mihi satis verisimile, per 60 istud mare vitreum simile crystallo significatam esse vniuersam beatarum animarum in cœlo manentium multitudinem: In hac enim Visione Beatus Ioannes vidit circū sedem Dei viginti quatuor Seniores, vidit quatuor animalia, vidit millia millium Angelorum qui erāt in circuitu Throni, & Seniorum, & Animalium: Consentàneum autē fuit, vt reliqua omnis Cœlicolarū multitudo ei ostenderetur. Hæc

8. Interpretatio, quæ est ipsius Auctoris.

autem

autem ei ostensa est sub specie & similitudine Maris vitrei similis crystallo: Per mare significata est amplissima beatarum animarum multitudo: Mare vitreum significat tranquillitatem vitæ quam illæ degunt in cœlis: per crystallum soliditas & firmitas gloriæ ac felicitatis quam in cęlo habent, & claritas cognitionis tam Dei, quam ipsarũ inter se: nam & clarissime Deum cernunt, & seipsas vident, ita vt quę in singulis sunt, manifesta sint omnium, tanquam proprijs suis, gaudent omnes: & quia omnes sunt in præsentia Dei, & cernunt eum faciem ad faciem, & beatissimo eius aspectu semper fruuntur, idcirco dictum est, istud mare vitreum positum fuisse in conspectu sedis Dei.

1. Cor. 13. 1. Ioan. 3.

61 Posset etiam dici, per istud mare significatam esse Patriam cęlestem & cœlum empyreum quod est habitaculum Beatorum: cuius maximam amplitudinem denotat similitudo maris; tranquillitatem verò, & firmitatẽ, & claritatem eius loci, significat vitrum simile crystallo. Et quia claritas eius loci non est à Sole, nec ab alia vlla re creata, sed eum locum omnem Deus præsentia sua vultuque clarificat, & illustrat, iccirco istud mare dicitur fuisse in conspectu sedis Dei, Hæc interpretatio non paruam ex eo capit fidem, quod scribit infra Capite 21. Beatus Ioannes ostensam sibi fuisse in spiritu cœlestem illam ciuitatem, cuius claritas erat tanquam claritas chrystalli; & platea eius erat tanquam vitrum perlucidum, nec egebat illa ciuitas Sole, & Luna, vt luceant in ea, sed claritas Dei illuminabat eam, & lucerna eius erat Agnus.

9. Interpr. eiusdẽ Auctoris.

†

DECIMASEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor Animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum, simile Leoni: & secundum animal, simile Vitulo: & tertium animal, habens faciem quasi hominis: & quartum animal simile Aquilæ volanti. Et quatuor animalia singula habebant alias zonas in circuitu, & intus plena sunt oculis. VERS. 6. 7. 8.

VISIO hæc quatuor Animalium quam habuit & narrat hoc loco Beatus Ioannes, quantum ad numerum, & figuras Animalium, & multitudinem oculorũ quibus erãt prædita, simillima eius Visionis est quam habuit & describit Ezechiel in Capite primo & decimo suæ Prophetiæ: Quantum verò ad numerum alarum quas habebant ista Animalia, & quantum ad perpetuam Dei laudationẽ & gratiarum actionem, hæc Ioannis Visio magnam habet similitudinẽ admirandæ illius Visionis Isaiæ, quæ ab eo narratur in Capite sexto. Quinque porrò Disputationes super istis Animalibus à nobis pertractandæ sunt hoc loco: quarum prima erit de numero istorum Animalium; secunda, de figuris eorũ; tertia, quid ista Animalia significarent, & secundum historicam sententiam, & secundum intelligentiam

gentiam mysticam; quarta, de oculis eorum; quinta, de alis.

62 Quod ad numerum istorum Animalium attinet; scire conuenit, & quatuor fuisse animalia, & vnum fuisse animal. Ezechiel quippe in toto Capite primo, & sæpius in decimo, numero pluratiuo appellat ista animalia, & pluries numero quaternario definit: idem tamen in Capite decimo de istis ipsis Animalibus loquens, ea bis vocat numero singulari, quasi vnũ esset animal, dicens, *Ipsum est animal quod videram iuxta fluuium Chobar*: & non multo post in eodem illo Capite, *Ipsum*, inquit, *est animal quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chobar, & intellexi quia Cherubim essent*. Etenim secundum numericam distinctionem, erant quatuor animalia inter se distincta & separata; at vero secundum figuram, erat vnum animal, omnia enim erant vniformia, cum eorum vnumquodq; esset quadriforme.

63 Videtur quidem Esaias duos tantum in illa sua Visione vidisse Seraphim; ait enim, *Seraphim stabant supra illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri*: & rursus, *Clamabant alter ad alterum*: Sed enim, fuisse plures duobus ex eo licet existimare, quòd pro eo quod habet Latina translatio, *Stabant super illud* (solium Dei) Septuaginta Interpretes habent, *Stabant in circuitu illius*: Sicut etiam B. Ioannes hoc loco dixit, quatuor Animalia fuisse in circuitu sedis Dei. Solium porrò Dei, secundum Esaiam, & sedes siue thronus Dei, secundũ Ioannem, repræsentabant Arcam Dei quæ erat in Sanctuario: quemadmodum Cherubini Ezechielis, & Seraphini Isaiæ, & Animalia Ioannis, repræsentabant Cherubinos qui erant in templo circum Arcam Dei: istos autem, post fabricatum a Salomone templum, quatuor fuisse, licet ex sacra Scriptura intelligere: duos etenim Cherubinos Moses Dei iussu fecerat ex

Locus Isa. cap. 6.

solido auro, & posuerat in tabernaculo circum Arcam Dei, de quibus ita scriptum est in Capite vigesimoquinto Exodi, *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi: vtrumque latus propitiatorij tegent, expandentes alas & operientes oraculum: respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium quo operienda est Arca. Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonij cuncta quæ mandabo per te filijs Israel*. Alios duos Cherubim adiunxit Salomon ex oliua factos, sed vndique auro vestitos, de quibus in tertio libro Regum Capite sexto sic est: *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum, posuitque Cherubim in medio templi interioris, qui extendebant alas suas; tangebant autem ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum, alæ autem altera in media parte templi se inuicem contingebant: texit quoque Cherubim auro*. De Cherubinis autem factis à Mose videtur esse intelligendum illud quod in Capite octauo eiusdem libri Regum scriptum est his verbis, *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi, in Sanctum sanctorum subter alas Cherubim: siquidem Cherubim expandebant alas super locum Arcæ, & protegebant Arcam & vectes eius desuper*. Ergo tibi quatuor Cherubim arcæ latera claudebant, (quod duo tantum facere non potuissent) manibus sustinentes propitiatorium superstans Arcæ, & expansis in sublime alis circa ipsum propitiatorium, velut solium quoddam figurabant, in quo Deus quasi residens, responsa dabat & oracula.

Sed qui fieri potuit quod ait Beatus Ioannes, ista quatuor Animalia fuisse in medio sedis, & in circuitu sedis? neque enim simul & in medio sedis, & in circuitu eius esse poterant. Nam quamuis & 64

apud Ticonium, & apud Andreā, & Aretham non legatur illud (in medio sedis) sed tantum (in circuitu sedis) ferè tamen tam Græci, quàm Latini codices habent vtrūque. Noster Ribera sic interpretatur: Tria istorum Animalium fuisse in circuitu sedis, quartum Animal, id est, Aquilam fuisse in medio sedis, id est, intra ambitum sedis, quasi sublimiter volitando ante faciem Sedentis in throno; ob idque Ioannem dixisse, quartum animal fuisse simile Aquilæ volanti. Illud quoque responderi potest, ista Animalia non fuisse eodem tempore in circuitu, & in medio sedis, sed per interualla temporum, nunc ambiēdo sedem, & aliàs in medium sedis ambitum procedendo.

Ribera.

DECIMAOCTAVA Disputatio.

De figuris istorum quatuor Animalium.

65 SECVNDO loco disputandum est super figuris istorum Animalium: Et Ioannes quidem ait, primum Animal fuisse simile Leoni, secundum Vitulo tertium habuisse faciem quasi Hominis, quartum animal fuisse simile Aquilæ volanti; eandemque quadruplicem istorum animalium figuram descripsit Ezechiel. Sed quemadmodum istas figuras haberent illa quatuor animalia, triplex est imaginandi modus, triplexque Auctorum sententia. Nonnulli, magno imaginationis errore, imaginati sunt, quodlibet illorum quatuor Animalium habuisse quatuor capita, & quatuor facies, vnam Leonis, alteram Bouis, tertiam Hominis, & quartam Aquilæ: in quam sententiam propterea isti adducti sunt, quòd Ezechiel dixit, quatuor facies fuisse vnicuique illorum Animaliū, & quatuor pennas. Verum istam esse falsam imaginationem, perspicuum fit ex eo, quod ibi subiunxit Ezechiel dicens, quòd vnumquodque istorum animalium gradiebatur ante faciem suam: Si autem vnumquodque habuisset quatuor facies diuersas, necessum fuisset ipsum moueri simul ante omnes facies suas, & in diuersas, atque etiā in contrarias partes, quod fieri natura non patitur. Quid autem per faciem intelligēdum sit, in eo quod Ezechiel dixit, quatuor facies fuisse in vnoquoque illorum animaliū, paulo infra explicabimus. Videtur S. Iustinus Martyr in responsione ad 44. quæstionem Orthodoxorum isti sententiæ fauere, ista Animalia vocans quadrifrontia: verum de sententia Iustini infrà dicturi sumus.

Triplex modus imaginandi figuras illorum Animaliū. Prim⁹ imaginādi modus.

66 Alij verò imaginantur, quod etiam in publicis picturis cernere licet, vnumquodque illorum Animalium vnam duntaxat habuisse figuram ex illis quatuor, sed aliud aliam, verbi gratia, vnum Animal habebat figuram Leonis tantum, & alterum Bouis, & itidem alia duo: & hoc apertè videtur dicere Beatus Ioannes hoc loco, dicens, fuisse primum Animal simile Leoni, secundum Vitulo, tertium Homini, quartum Aquilæ. Etenim, licèt istud de quatuor Animalibus B. Ioannis aliquo modo dici possit; de Animalibus tamen Ezechielis dici non potest: Istam namque imaginationem prorsus excludunt verba illa Ezechielis, *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni*: idemque repetit in Capite decimo; Sicut igitur quodlibet illorum animalium habebat quatuor pennas, id est, alas, ita etiam habebat quatuor facies, & non vnam tantum faciē.

Secundus modus imaginandi.

S. Gregor. Et hoc sensu verba ista Ezechielis interpretatus est Beatus Gregorius in tertia homilia in Ezechielem: Cùm enim docuisset, per ista quatuor Animalia significatos esse quatuor Euangelistas, deinde, quemadmodum intelligi debeat quemlibet Euangelistam quatuor habere facies, pluribus verbis declarat, cuius verba hic adscribenda esse non duximus, satis esse ratu, & Gregorij sententiam, & locum in quo verba eius legi possint, indicasse. Iudæorũ quoq; doctissimus Iosephus in li. 3. Antiquitatum, Cap. 8. & in libro 8. Cap. 2. ait, species & formas Cherubinorum qui erant in Templo, & quos ista Animalia significabant, tales fuisse, quales nec mortalium quispiam vidit vnquam, nec ipsa vllo tempore aut loco natura procreauit: at secundùm imaginationem illorum qui faciũt vnum simile Boui, secundum Leoni, tertium Homini, quartum Aquilæ, figuræ illorum Animalium quæ ipsos repræsentabant templi Cherubinos, fuissent omnibus notissimæ ac vulgatissimæ. *Iosephus.*

Tertius modus imaginandi, quẽ Auctor solũ approbat. 67 Putandum igitur est, quodlibet illorum animalium Ezechielis habuisse quatuor facies. Sed nomen faciei eo in loco non proprie significat vultum & os, sed ample quamlibet speciem & similitudinẽ, siue id quod quia proprium est alicuius rei, vel personæ, ex eo res illa, vel persona discretè ab alijs cognoscit. Latini sane, eleganteſq; Scriptores faciẽ pro specie & similitudine vsurpare solent, qđ (vt alia nunc omittam) satis ostendunt illa Salustij verba ex libro 2. Historiarum eius a nonnullis citata: Sardinia, inquit, est in mari Africo, facie vestigij humani: Sardiniam dixit Salustius habere faciẽ vestigij humani, pro eo quod est, habere speciem quandam & similitudinem vestigij humani. Voluit igitur Ezechiel dicens, cuilibet illorum quatuor animalium fuisse quatuor facies, significare, quodlibet illorum habuisse similitudinem quatuor Animalium, quantùm ad aliqua videlicet cuiusque illorum propria. Vnumquodque enim habebat similitudinem Hominis quantùm ad vultum, & manus, & crura, & rectitudinem corporis; habebat etiam similitudinem Leonis, quantùm ad iubas ex pectore ac ceruice diffusas atque pendentes; habebat similitudinem Aquilæ, quantùm ad pennas siue alas; habebat similitudinem Vituli vel Bouis, quantùm ad plantas pedum, habebat enim tanquam vngulas bifidas, quales nempe sunt Boui. *Salustius.*

Sed quid respondebimus ad id 68 quod supra attigimus, Beatum Ioannem hoc loco vnicuique istorum quatuor Animalium non quatuor figuras, sed vnam tantùm assignare, ait enim, primum Animal fuisse simile Leoni, secundum Vitulo, tertium Homini, quartum Aquilæ? Respondebimus, Beatum Ioannem vnam cuilibet Animalium figuram tribuere, nõ quod alias tres non haberet, sed quòd vna illa figura in eo insignior & expressior esset quàm aliæ figuræ, & quàm illa ipsa figura esset in alijs tribus Animalibus; Exempli causa, similitudo Leonis erat in vno illorum quatuor Animalium insignior expressiorq; quàm similitudo Bouis & Aquilę & Hominis & quam illa figura Leonis esset in alijs tribus Animalibus, idemq; de alijs dicendum est. Hac igitur de causa Beatus Ioannes ab vna illa figura, quam vnumquodque Animal insigniter expresseque præ alijs habebat, ipsum denominauit. *An vnumquodque eorũ quatuor Animaliũ, quæ vidit Ioãnes, habuerit vnã tãtũ faciẽ, an plures.*

Nisi quempiam fortè iuuet dicere hanc Ioannis Visionem nonnullis rebus diuersam esse ab illa Visione Ezechielis; primùm quòd hic vidit quodlibet illorum Animalium quadriforme, ille autem vniforme: deinde multitudinem oculorum

Ioannes assignat Animalibus, Ezechiel vero rotis attribuit: tum, alio ordine vidit Ioannes ista Animalia, quam Ezechiel; nam primum vidit Leonem, secundum Vitulum, tertium Hominem, quartum Aquilam. Ezechiel autem in prima Visione illorum animalium vidit ea hoc ordine, Hominem, Leonem, Bouem, & Aquilam; In secunda vero eorundem Animalium Visione quã narrat ipse in Capite decimo, hoc ordine ea memorat, Vitulum, Hominem, Leonem, Aquilam.

Cur illa quatuor animalia sub istis figuris potius quàm sub alijs visa sint.

69 Ceterum, illud etiam hoc loco quæri dignum est, Cur illa quatuor Animalia haberent istas quatuor figuras potius quam alias. Sed existimare licet, istis quatuor animalibus esse repræsentatos Cherubinos qui erant in Sanctuario circa Dei arcam; illi vero effigiabantur tanquam animalia nobilissima, & quicquid perfectionis est in animalibus, collecte exuperanterque continentia: Illa porro quatuor animalia, in suo quodque genere principatum tenent, Leo etenim princeps est ferarum; Aquila volucrũ; Bos, armentorum, tum ob magnitudinem corporis patientiamque laboris, tum ob multiplicem eius vsum, commoditatemque; Homo denique, rex vniuersorum est animalium.

DECIMANONA Disputatio.

Quid significaret istud animal quadriforme, & quid in eo mysterij lateret.

1. Interpr. Ruperti.

70 RVpertus arbitratur, significatũ esse Christum, & per quadruplicem figuram, principalia quatuor eius mysteria, quæ nulli Christiano licet ignorare, Per faciem quidem Hominis, mysterium Incarnationis: per similitudinem Vituli, mysterii passionis & mortis: per Aquilam, mysterium ascensionis in cœlum: per Leonem, mysterium resurrectionis: sic enim prædixerat Iacob, *Catulus*, inquit, *leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiens accubuisti vt leo, quis suscitabit eum?* *Gen. 49.* Andreas Cæsariensis Leonem interpretatur regiam Christi dignitatem; Vitulum, Sacerdotium eius: *2. Interpr. Andreæ.* Hominis faciem interpretatur veram in Christo naturam humanã, salutis nostræ causa susceptã: Aquilam demum interpretatur missionem Spiritus Sancti, quem Christus de cœlis misit in Discipulos suos. Hoc ipsum alij paulo secus: *3. Interpr.* Per Aquilam, Christi Deitatem: per Hominem, eius Humanitatẽ: per Vitulum, Sacerdotium eius & hostiam quam Deo obtulit: per Leonem, Regalem eius potẽtiam: Christus quippe, quia verus Deus fuit, verusque homo, pro peccatis omnium hominum cumulatissimè potuit satisfacere: quia verò Sacerdos fuit, & hostia, Deum nostris offensum peccatis potuit placatum & propitium nobis reddere: quoniam autẽ Rex fuit sapientissimus, & humanæ salutis amantissimus, subiectum sibi populum prudenter atque vtiliter regere potuit.

4. Interpr.

71 Alij existimarunt per istas quatuor figuras animalium significatas esse quatuor proprietates Angelorum ministrantium & seruientium DEO: per Leonem, fortitudinem eorum & potentiam, eos quippe Dauid Psalmo centesimosecundo, appellauit potentes virtute: per Bouem, eorum obedientiam & constantiam in peragendis Dei mandatis explendisque ministerijs. per faciem Hominis, eorum amorem & curam salutis hominum, vel eorum sapientiam & prudentiam; cuius nempe solus omnium animalium

homo

homo capax est: per Aquilam, sublimitatem contemplationis rerũ diuinarum, vel eorum ad exequenda Dei iussa velocitatem atque pernicitatem, qua etiam de causa in cẽtesimo tertio Psalmo & ventis, & flammæ ignis comparantur. Est præterea quorundam Interpretatio, istas figuras animalium ad quatuor diuinæ Prouidentiæ proprietates referentium: Est enim diuina Prouidentia fortis, vt leo; velox & per omnia pertinens ac penetrans vt aquila; est suauis & amabilis, nostræque fragilitati compatiens atque condescendens, vt homo; est demum, vt bos, patiens & longanimis in dissimulandis peccatis hominũ, & in differenda eorum vindicta. *5. Interpre.*

6. Interpre. Aretha. Aretha per istud animal quadriforme significari ait, vel hominem Dei visionis & fruitionis capacem, vel ipsum Mundum quem Deus à se conditum admirabili modo gubernat, ea scilicet ratione, vt ex quatuor elementis, Aere, Terra, Igne, & Aqua, vterque consistit. Per Leonis enim velut igneam ferociam & audaciam, significatur potentia & efficacitas Ignis: per Bouem animal vtilissimum & commodissimum humanæ vitæ & in terræ laboribus exercitum, significatur elementum Terræ: per Hominem significatur Aer, siquidem homo cęlestis & sublimis creatura est propter mentis subtilitatem: per Aquilam designatur Aqua, genus quippe auium ex aquis primã habuit originem. Fertur & hæc istorum Animalium sub nomine Gregorij Nazianzeni & Origenis Interpretatio, per istas quatuor figuras Animalium significari quatuor Animæ humanæ vires siue facultates: per Hominem significari vim rationalem; per Leonem, vim irascibilem: per Bouem, vim concupiscibilem; per Aquilam supremã animæ vim dictam vulgo Mentem, rerum supernarum æternarumque contemplatricem, quam Paulus spiritum hominis appellare solet. Sanctus Ambrosius in libro tertio de Virginibus istorum Animalium significationem ad quatuor refert virtutes Cardinales, per Leonem significari dicens Fortitudinem; per Hominem Prudentiam per Bouem siue Vitulum Iustitiam quod bos, inquit Andreas, proprijs opibus laboribusque contentus, sibique sufficiens sit; per Aquilam denique, Temperantiam; ferunt enim, vt refert Andreas, temperantiam esse aquilis familiarem. *Gen. 1.* *7. Interpre. Origenis & Nazianzeni.* *8. Interpre. S. Ambrosii.*

Galfridus putat istud animal quadriforme figuram gessisse boni Prælati in Ecclesia Christi, Is enim in reprehendendis & corrigendis magnis subditorum peccatis debet esse terribilis, vt leo; & vt bos, patiens & laboriosus, totusque subditorum saluti incumbens & insudans; debet esse vt homo, & prudentia, & benignitate ac misericordia præditus; denique, vt aquila sæpius euolare debet ad superna deditus diuinarum rerum contemplationi, ibi discens quid docere populum suum, & quemadmodum regere debeat. Catina Syrus istam Visionem refert ad populum Hebræum, dicens per Hominem significari vniuersum populum suum, & quemadmodum regere debeat. Catina Syrus istam Visionem refert ad populum Hebræũ, dicens, per Leonem, Regale sceptrum regiamque maiestatem quę fuit in tribu Iuda; per Bouem, Sacerdotalem potestatem, atque dignitatem quæ fuit in tribu Leui; per Aquilam, sublimem Dei vindictam super impietatem Hebræi populi. Sed commodius diceretur, p Aquilam significari donum miraculorum donũque prophetiæ, quo Deus populũ illũ mirifice ornauit atq; decorauit; misit enim omnib. ferme seculis Prophetas, qui & prophetando, & miracula faciendo populum illum continerent in cultu veri Dei, ne ad Idololatriam de- 73 *9. Interpre. Galfridi.* *10. Interpr. Catinæ Syri, in Ezechielem.*

laberetur, vel iā lapsum reuocarēt, eiusque deprauatos mores ad diuinæ legis obseruantiā reformarent.

11. Interp. Aureoli & Lyrani.

74 Petrus Aureolus & Nicolaus Lyranus per ista quatuor Animalia significatas esse aiūt quatuor primarias sedes Patriarchales in Ecclesia: per Leonem quidem, Patriarchatum Ierosolymitanum; per Bouem, Antiochenum; per Hominē: Alexandrinum; per Aquilam, Cōstantinopolitanum. Rabbi Dauid & Rabbi Salomon istorum Animalium significationem referunt ad quatuor illas celeberrimas Mundi Monarchias, vel Angelos eius præpositos, Assyriorum, Persarū, Græcorum, & Romanorum: vt per Leonem designata sit ferocitas & crudelitas Assyriorum & Babyloniorum, præsertim verò aduersus Iudæos; per Bouem, opulentia, & luxus Persarum; per Aquilam, Græcorum sublimitas ingenij, & doctrinarum, & sapientiæ, atque eloquētiæ; per Hominem, Romanorum, & prudentia, & patientia, atque cōstantia, & benignitas etiam in hostes a se debellatos & subiugatos, per quas virtutes tantum Imperiū dominatumque, vt in priori Machabæorum libro scriptum est, obtinuerunt.

12. Interp. Rabbi Dauid & Salomonis.

VIGESIMA Disputatio.

Quemadmodum istorum Animalium visionem interpretatus sit Beatus Martyr Iustinus, & de communi sententia Doctorum ista quatuor Animalia sanctos quatuor Euangelistas interpretantium.

13. Interp. S. Iustini.

75 BEATVS Iustinus, loco à nobis paulo supra commemorato, per istud Animal quadriforme duas res putat esse significatas: primum enim, præmonstratum fuisse ait miserrimum horrendumque statum regis Nabuchodonosor, sub cuius Imperio populus Iudæorū captiuus tenebatur: Is enim rex ob nimiam elationem animi atque superbiam transformatus quodammodo est in bestiā; nam, vt de eo narrat Daniel, pili & capilli eius creuerunt in similitudinem crinium leonis, & vngues etiā increuerūt & recuruati sunt in modum vnguium aquilæ, & ipse fœnū comedebat quasi bos, nec tamen interiorem hominis formam, id est, animam rationalem, neque naturam humanam amisit. Deinde, eadem ista Visio Animalium valebat plurimum ad consolationem captiuorum Iudæorum, erigendo in spē recuperandæ libertatis eorum animos. Nam in isto Animal quadriformi coniunctio Leonis & Hominis, illius, sæuissimi animalis, huius verò, mansueti, portendebat commutationem fore imperij ex Nabuchodonosor sæuo Iudæorum hoste & oppressore, in Regem Cyrū beneuolum Iudæis, & mansuetum atque beneficium, qui eis captiuitate solutis, donatisque libertate, potestatem fecit reuertendi in patriam. Similiter copulatio Bouis, quod est animal subiugale & seruile, & Aquilę, animalis liberi, nec seruituti hominū addicti, significabat Iudæos excusso captiuitatis iugo quod tunc ferebant, quasi Aquilas liberè in patriam reuolaturos.

Dan. 4.

1. Esd. 1. & 2.

Sed præstat, tanti viri, nobilissimæ Visionis nouam & à ceteris diuersam interpretationem afferentis, verba hoc loco legenda & pensitanda Lectori proponere. Ponit huiusmodi quæstionem, quæ inter quæstiones Orthodoxorum est quadragesima quarta: Quoniam multorum oculorum Animalium Visionem viderūt Isaias & Ezechiel, quæritur, vtrum eadem Visio vtrique ostensa sit, an verò alteri altera, & quid in ea Visione præsignatum

gnatum sit. Huic quæstioni Iustinus ita respondet: Per Visionem Isaiæ declaratum est mysterium Christi sedentis in solio gloriæ, & esu Sanctissimæ carnis suæ expiantis peccata per totum Orbem celebrantium Sanctã Trinitatem pari honore præditam, in cuius nomine baptizati & iustificati, spem participationis æternorum bonorum adepti sunt. Carbo autem ignitus immundis prophetæ labijs purgandis admotus significationẽ habebat Dominicæ carnis purgantis ab omni iniquitate conscientiam eorum qui eam comedunt. In Ezechielis autem Visione præmonstrata sunt, quæ Nabuchodonosor, Regi Babylonis euentura erant, & solatio futura Hebræis Babylone exulantibus: Vidit autem Ezechiel quadrifrontia Animalia, similitudinem habentia Hominis, Vituli, Aquilæ. Narrat verò Daniel de Nabuchodonosor, quòd ei creuerint vngues vt aquilę, & pili leonis, & quòd herbas comederet tanquã vitulus, & quòd ei cor hominis datum fuerit. Hac præterea Visione consolatio data est Hebręis præ graui seruitute Babyloniorum pressis, & de recuperanda libertate desperantibus. Vt enim istam eis desperationem Deus auferret, ostendit Prophetæ in illo quadriformi animali coniunctionem mansueti & immansueti animalis, id est, Hominis & Leonis, & item coniunctionẽ animalis subiugalis & seruilis, & animalis liberi, & nulli seruientis, id est, Bouis & Aquilæ. Per hoc autem declarauit, Regni feritatem commutatum iri in mansuetudinem, & triste seruitutis iugum in lætitiam & gaudium adeptæ libertatis. Hactenus ex B. Iustino.

Esa. 6.

14. Interpr. qua est cõmunis Doctorum. 76 Sed illa percelebris est istorum Animalium interpretatio, & communis omnium ferme doctorum tam veterum, quàm recentiorum, per ista quatuor Animalia significatos esse quatuor Euangelistas, quanquam quod animal cuius Euãgelistæ figuram proprie gesserit, nõ vna eademque omnium est sententia. Ego quatuor applicandi ista Animalia ad quatuor Euangelistas modos reperio. Prima applicatio est Sancti Irenæi in Capite 11. lib. 3. aduersus Hæreses, Leonis similitudinem applicantis ad Euangelium Ioannis; similitudinem Hominis ad Matthæum; similitudinem Vituli ad Lucam: similitudinẽ Aquilę ad Marcũ. Secũda applicatio est communis, & ab antiquioribus, vt Ambrosius inquit, tradita, eam certè tradunt Hieronymus in primum Caput Ezechielis, & initio Commẽtariorum suorum in Matthæum, & Gregorius in Homilia 4 & 4. in Ezechielem, & hos plurimi deinde secuti sunt: Aiunt isti, per similitudinem Hominis significatum esse Euangelium Matthæi; per Leonem Euangelium Marci; per Bouem Euangelium Lucæ; per Aquilam Euangelium Ioannis. Tertia applicatio est Augustini in primo libro de Consensu Euangelistarum Capite sexto, differens a præcedenti in Matthæo, & Marco; putat enim Euangelium Matthæi significatum esse per similitudinẽ Leonis, Marci verò Euangeliũ per similitudinem Hominis. Quarta est applicatio quam in hoc loco refert Ambrosius, in eo tantum differens a præcedenti, quòd similitudinem Vituli applicat ad Marcũ; Hominis verò similitudinem ad Lucam. Quibus porrò quælibet istarum applicationum rationibus nitatur & probetur, videre poterit Lector apud Auctores earum supra commemoratos.

S. Irenæus.

VIGESIMAPRIMA Disputatio.

Explicatur Auctoris sententia de propria & primaria significatione istorum quatuor Animalium.

77 EGO superiores omnes istorum Animalium interpretationes veram & piam continere doctrinam atque sententiam agnosco & confiteor; videor mihi tamen non temerè dicturus, si plures earum interpretationum dixerim haud quaq̄ cōgruere cum eo quod de istis Animalibus scripsit in hoc libro Beatus Ioannes. Facit enim ista Animalia tanquā naturas quasdam intelligentes, & in cœlo manentes & beatas, & arcanorum diuinæ Prouidentiæ conscias, & in perpetua Dei laudatione & gratiarum actione versari; Ponerem hic verba Ioannis in eius rei confirmationem, sed ea legi possunt in quarto, & quinto, & decimonono Capite huius libri. Ex his palā est, Animalia ista repræsentasse vel quatuor Animas beatas in cœlo manētes, vel quatuor Angelos: neque enim Deum laudare, & Prouidentiæ eius secreta nosse, & alijs reuelare, in vllam naturam cadere possunt præter Angelicam vel Humanam. Hinc igitur apparet, a primaria istorum Animalium significatione multum abesse superiores interpretationes, quæ significationem istorum Animalium referebant ad Christi mysteria, vel potestates, & dignitates eius, vt prima, & secunda, & tertia interpretatio; vel ad proprietates diuinæ Prouidentiæ, vel ad quatuor Mundi elementa, vel ad quatuor vires & facultates Animæ humanæ, vel ad quatuor virtutes Cardinales, vt habet quinta, sexta, septima, & octaua interpretatio, vel ad dignitatem regalem, & sacerdotalem, & propheticam populi Israel, vel ad quatuor Mundi Monarchias, vel ad miserrimum statum Regis Nabuchodonosor, & cōsolationem captiuorum Hebræorum ob spem recuperandæ libertatis, vt tradit decima, & duodecima, & decimatertia interpretatio.

Vndecimam verò Interpretationem quam diximus esse Aureoli, & Lyrani, istorum Animalium significationem referentiū ad quatuor primarios in Ecclesia Patriarchatus, prorsus excludit B. Ioannes, inducens ista animalia in cœlo manentia, & beata, & cum ipso loquentia, eique nonnulla de mysterijs quæ videbat, declarantia; hoc autem ad istos Patriarchatus minimè accommodari potest. Ratio præterea temporum istam refellit interpretationem: vidit enim Beatus Ioannes ista animalia tanquam tūc in cęlo manentia, quo tempore isti Patriarchatus nondum constiterāt; Patriarchatus certè Constantinopolitanus aliquot sęculis post excessum B. Ioannis constitutus est. 78

Quartam porrò Doctorum Interpretationem, istorum quatuor Animalium significationem applicantium ad quatuor Euangelistas, licet Visio istorum Animaliū quam habuit Ezechiel, possit admittere, eam tamen Visio istorum quatuor Animalium quam habuit Ioānes, & quæ in hoc loco narratur, videtur excludere: Ioannes etenim, vt supra non semel diximus, inducit ista animalia tanquam in cœlo manentia, & beata, & a quibus ipse multa diuinæ prouidentiæ mysteria doceretur: at quo tempore hęc Visio facta est, Beatus Ioānes, etiam tunc Viator, vitamque degens mortalem in terris versabatur; non igitur ipse vnus erat 79

ex illis quatuor Animalibus, nec, quod necessariò consequens est, illa quatuor Animalia significabant quatuor Euangelistas. Ad hoc respondens noster Ribera, ait, Visionem istam fuisse propheticam, & pertinuisse ad tempora proxima consummationi Mundi & extremo Iudicio, & idcirco non id quod tūc erat, sed quod multò post futurum erat, vidit tunc Ioannes, quemadmodum etiā vidit viginti quatuor Seniores qui repræsentabant plurimos multo post Ioannis tempora futuros. Sic ille. Cuius responsionē ego ad alia nunc properans nolo discutere, sed lectori excutiēdam discutiendamque relinquo. Ad illud certè Ribera non respondit, quod est tamen prævalidum cōtra istam interpretationem argumentum, Beatum Ioannem in sexto Capite huius libri narrare, quatuor ista Animalia secum esse locuta, & vnumquodque eorum separatim loquens secum, demonstrasse sibi notabile aliquod mysterium rerum futurarum: Vt autem quæ de tribus animalibus prioribus scribit nunc taceam, ponam hic quod de quarto Animali scribit in hæc verba, *Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti Animalis dicentis Veni, & vide. Et ecce equus pallidus, &c.* Istud quartum animal Ioannes supra dixit fuisse aquilæ volanti simile, & secundùm istam communem interpretationem significabat quartum & vltimum Euangelistam, id est, Ioannem, qui vltimus omnium scripsit Euangelium. Quomodo autem fieri potuit, vt quartū animal, quod, secundùm istos, erat Ioannes Euangelista, loqueretur cum ipso Ioanne & doceret Ioannem mysteria, quæ Ioannes ipse ignorabat?

Auctoris sētētia de isto vīsu quatuor animalium primaria significatione.

80 Quæ igitur est nostra sententia? hæc nempe: Per sedem, siue Thronum Dei, quem circumstabant ista quatuor Animalia, repræsentata est & significata Arca cum propitiatorio quæ erant in templo: quatuor verò Animalia significabant quatuor Cherubinos templi, qui circumdabāt Arcam, & quatuor eius latera complebāt. Istis autem Cherubinis affingebantur figuræ quatuor illorum Animalium duas ob causas; Primum enim, illi Cherubini significabant quatuor Cœlestes Spiritus principales diuinæ Prouidentiæ administros in administratione mundi, præcipuè verò in gubernatione olim Synagogæ, nunc autem Ecclesiæ Christi; & vt significaretur, istos esse maximè idoneos Dei prouidentiæ administros & executores, affingebatur eis similitudo Leonis, ad declarandam eorum fortitudinem & potentiam; & Bouis, vt maxima eorum ostenderetur obedientia & constantia in Dei seruitio; & Hominis, ad denotandam eorum prudentiam atq; sapientiam, & amorem humani generis, salutisque Electorum; denique, tribuebatur eis similitudo Aquilę, vt per hoc intelligeretur maxima eorum velocitas & pernicitas ad mandata Dei exequenda obeundaque ministeria. Altera causa cur istæ figuræ tribuebantur Cherubinis, fuit huiusmodi: Cùm illi essent, vt diximus, principales Diuinę Prouidentiæ administri, per istas quatuor figuras Animaliū ipsis affictas significatæ sunt quatuor proprietates diuinę Prouidentiæ, quæ est fortis, vt leo; per omnia permeans & penetrans, vt aquila; suauis & amabilis, humanisq; necessitatibus inuādis accommodata, vt homo; denique, vt bos, patiens & longanimis, diu peccata hominum dissimulando & vindictam differendo, vt longum illi temporis spatium habeant ad resipiscendum, & agendam pœnitentiam. Hæc quæ diximus, firmari simul atq; illustrari possent auctoritate B. Dionysij similia docentis nos in libro De Cœlesti Hierarchia Cap. vltimo, cuius verba referemus in Disputatione 25.

VIGESIMASECVNDA Diſputatio.

De multitudine oculorum quibus illa quatuor Animalia erant prædita.

IN hoc Capite quarto Apocalypſis & in verſu ſexto ſcriptum eſt, iſta Animalia fuiſſe plena oculis antè & retrò; & paulò infra in verſu octauo dicitur, ea fuiſſe plena oculis in circuitu & intus, hanc enim lectionem habent Sixtiana Biblia, eamq; ante annos quadringentos habuit & ſecutus eſt hoc loco Rupertus. Alij tamen illud (in circuitu) iungunt non cum oculis, ſed cum eo quod proxime antecedit de alis illorum Animalium, *Singula eorum habebant ſenas alas in circuitu:* Et hic ſignatis duobus punctis, legunt deinde, quod proximè ſequitur, *Et intus plena ſunt oculis.* Victorinus & Primaſius aliam habent lectionem, huiuſmodi, *Plena ſunt oculis intus & foris.* Ezechiel hanc multitudinem oculorum non iſtis Animalibus aſſignat, vt Ioannes, ſed tribuit rotis eius currus ſiue quadrigę Dei quam ambiebant Animalia, idque licet videre apud illum in Capite primo, expreſſiuſque in Capite decimo, vbi loquens de rotis, *Et omne*, inquit, *corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli, plena erant oculis in circuitu earum.* Loquitur enim Propheta de rotis, quaſi de quibuſdam animalibus, & partes earum nominat ad ſimilitudinem partium animalium.

Varia lectio huius loci.

Quid ſignificaret multitudo oculorũ in illis Animalibus.

1. Interp. Ambroſius

82 Sed nos quid iſta multitudo oculorum quam vidit Beatus Ioannes ſignificet, commemorando varias Doctorum interpretationes inueſtigemus. Ambroſius ſuper oculis iſtorum Animalium diſputat hunc in modum; Sancti prædicatores, quorum Animalia illa figuram gerebant, oculos habent & antè & retrò, à dextris, & a ſiniſtris, intus, & foris, ſuperiùs, & inferiùs, & in circuitu. Oculos habent antè, quia ſupplicia Improborum & præmia Iuſtorum aſpicientes, auditoribus ſuis quid timere, & quid deſiderare debeant, oſtendunt. Retrò oculos habent, quia præcedentium Patrum virtutes & facta dum reſpiciunt, & ipſi in eorum imitatione proficiunt, & eorum doctrinam ac vitam ſuis auditoribus ſequendam atque imitandam proponunt: Vel retrò oculos habere dicuntur, quòd in eo laborant, ne in peccata quæ aliquando fecerunt, rurſus relabantur; eorumq; recordantur aſſiduè, tum humilitatis, tum cautionis cauſa. A ſiniſtris oculos habent, quia omnes Diaboli tentationes à ſuis mentibus repellunt. A dextris oculos habent, dum cauent, ne propter bona opera quæ faciunt, ſuperbe extollantur: ita vt nec aduerſis proſternantur, nec ſecundis inflentur. Inferiùs oculos habent, dum ſolicitè carnalia deſideria reſtinguere. Supernè oculos habent, cùm ad cęleſtem patriam toto mentis deſiderio anhelant. Intus oculos habent, quia vigilanter corda ſua à ſordidis cogitationibus & deſiderijs cuſtodiunt. Extra oculos habent, dum cauent ne vel ipſi re vlla offendant alios, neque ex alijs ſpirituale aliquod detrimentum capiant ipſi. Hactenus ex Ambroſio.

2. Interp. Andreas.

Andreas Cæſarienſis multitudi- 83
ne iſtorum oculorum ſubindicari ait mirificam vim, qua cęleſtes beatique ſpiritus ad hauriendos diuinitatis radios pollent: Tanta enim intelligendi perfectione a Deo illuſtrantur, vt & illa videant quæ iam pridem antè ſunt facta, & illa etiam videant quæ olim futura ſunt. Sic Andreas. Tertia interpretatio

3. Interpr. Rupertus. pretatio Ruperti. Quid est, inquit Rupertus, animalia illa fuisse plena oculis & in circuitu, & intus? Per oculos quos habebant in circuitu, vita actiua; per oculos quos habebant intus, vita contemplatiua rectè intelligitur. Qui enim actiuæ vitæ seruiunt, per multa eos circuire necesse est, sicut Dominus dixit *Lucæ 10.* Marthæ, illam fuisse solicitam, & turbatam erga plurima: qui autem vacat contemplationi, intus est, cum Maria sedens ad pedes Domini, & sermonibus eius intentus. Similiter prædicatores Euangelij & Prælati Ecclesiæ pleni oculis, in circuitu & intus esse debent, vt tam in exteriori actione, quam in contemplatione interiori vsquequaque circumspecti & prouidi sint.

4. Interpr. 84 Qui legunt hoc loco, Animalia fuisse plena oculis intus & foris, ita lectionem istam interpretantur, oportere Doctores & Pastores Ecclesiæ tam in exteriori & historico sensu Scripturæ doctos esse, quam in sensu interiori & spirituali eiusdem Scripturæ perspicaces & sagaces esse: penitus etiam nosse doctrinam Ecclesiasticam, nec profanam ignorare: in diuinarum rerum cognitione toto studio versari, nec tamen humanarum rerum incuriosos & improuidos esse. Nos verò & consequenter & conuenienter ijs quæ supra diximus de primaria istorum animalium signifi- *5. Interpr. & Auctoris sententia* catione, arbitramur, ista oculorum multitudine significatam esse perfectam intelligendi omnia vim quã habent & in vniuersum omnes beati spiritus Angelici, & præcipuè quatuor illi beatissimi Angeli per ista quatuor Animalia significati sũt, q sũt pricipales Diuinæ Prouidentiæ in Mundi administratione & gubernatione Ecclesiæ administri. Ergo tota illa Animalia fuisse plena oculis, significat, naturam Angelicam non secundùm vnam aliquam tantùm partem, sed secundùm se totam esse intellectualem atque intelligentem, hac videlicet re differentem, multumque præstantem humanæ naturæ, quæ plures & diuersas cùm habeat facultates, secundùm vnam earum tantùm est intellectualis, nec semper est intelligens. Sed præter istam naturalem intelligendi vim qua pollent Angeli, habent ex dono gratiæ superadditam diuinæ intelligentiæ lucem, per quam sunt perspicacissimi ad intelligendum obscurissima & abditissima, & ad remotissima videndum.

VIGESIMATERTIA Disputatio.

De alis istorum Animalium super illis verbis:

Singula eorum habebant alas senas. VERS. 8.

Exponuntur aliorum Interpretationes.

DE significatione sex alarũ quibus vnumquodque illorum Animalium erat præditum, nonnullas Doctorum sententias & 85 interpretationes referemus, & ad extremum, nostram sententiam indicabimus. *Prima Interpretatio. Victorinus.* Victorinus, quem omnium huius libri Explanatorum habemus vetustissimum, refert numerum istarum alarum, ad numerum viginti quatuor sacrorum librorum Veteris Testamenti: Si enim senæ alæ cuiusque illorum quatuor Animalium simul iungantur, numerum viginti quatuor efficiunt; Senæ igitur alæ testimonia sunt Veteris Testamenti, Sicut enim animal sine alis volare non potest, ita prædicatio Noui Testamenti

menti

menti fidem non habet, nisi prænunciata in Vetere Testamento habeat testimonia, Sēper enim quod antea dictum est, eidem, cum postea factum est, indubiam fidem facit. Nec vero aliæ nisi ipsis hæreāt animalibus, vigere, aut etiam viuere possunt; ita quæ prædixerunt Prophetæ, nisi omnia in Christo cōsummata essent, inanis tam illorum prædictio, quam nostra foret prædicatio. Hoc tenens Ecclesia Catholica, per antè prædicta, & postea consummata volat vt viuum animal. Hæreticis autem, qui prophetica respuunt testimonia, adsunt quidem animalia, sed non volant, sine alis enim sunt. Iudæis vero, qui prophetica testimonia amplectuntur, sed Noui Testamenti doctrinam non admittunt, alæ quidem adsunt, sed non vigent neque viuunt; inanem quippe Prophetarum faciunt vaticinationem, prædicta cum factis minimè concordantes. Et hæc quidem ex Victorino.

Ambrosius Secūda Interpretatio.

86 Hoc ipsum sed paulò aliter tradidit Ambrosius; putat ille, per viginti quatuor sedilia, & viginti quatuor alas istorum quatuor animalium, significatos esse viginti quatuor libros sacros Veteris Testamēti, sed eos libros fuisse Hebræis quasi sedes, in quibus illi non procul á terra conquiescebant, litterali duntaxat eorum sensu contenti, nec spiritualem eorum intelligentiam requirentes. Verum hæc ipsa sedilia Patribus Noui Testamenti conuersa sunt in alas, quia Veteris Scripturæ libros spiritualiter intelligētes, per eorum doctrinam ad cęlestia quotidie subleuantur, Hebræi itaque terrena sapiebant & quærebant; Christiani omnia terrena siue bona siue mala pro nihilo ducētes sursum volant, sola expetentes æterna bona, solaque æterna mala metuentes, & quamuis corpore etiam nunc versentur in terris, spiritualem, tamen conuersationem habent in coelis.

Ad Philip. 3.

Alia est istarum alarum interpretatio, quam Haymo & Lyranus, & Carthusianus in hanc fermè sententiam tradunt: Alæ Sanctorum sunt virtutes quibus alta conscendunt. Quoniam itaque senarius numerus est perfectus, & per eum frequenter in Scriptura perfectio designatur, idcirco vnumquodque animal sex alas habere dicitur, quia in cuiusque Euangelistæ libro omnium virtutum perfectio edocetur & nouæ legis doctrina perfecta cōtinetur. Præterea, sex alæ significāt sextuplicem doctrinam, per quam Sancti spiritualiter volant, & ascendendo ad cognitionem & contemplationem rerum diuinarum, & ad notitiam, & vsum, prudentiamque humanarum rerum descendendo. Prima doctrina est legis naturalis, & communiter indita notaque cūctis mortalibus: secunda est doctrina legis Mosaicæ: tertia est doctrina Prophetica: quarta est doctrina Euangelica: quinta est doctrina Apostolica in Apostolorum Epistolis explicata; sexta est doctrina quæ in Generalium Conciliorum & Sūmorum Pontificum decretis continetur. Et apud Esaiam quidem Seraphim, quæ illi apparuerant, & similiter Animalia Beato Ioanni ostensa, sex alis erant prædita ob eam videlicet causam, quod per Euangelicæ doctrinæ fidem atque obseruantiam ad Angelicam perfectionem & beatitudinem, & ad Seraphicum caritatis ardorem, etiam homo terrenus & mortalis per Dei gratiam peruenire queat.

87

Tertia Interpretatio. Haymo. Lyranus. Carthusia.

Sex tuplex doctrina.

VIGESIMA QVARTA Disputatio.

Explicatur de istarum alarum significatione Auctoris sententia.

88 Nos quoq; sententiam nostram de istarum alarum significatione breuiter exponemus, respondẽtem scilicet atq; congruentem ijs quæ suprà de istorum Animalium figuris & oculis diximus. In Cherubinis qui erant in Templo, duæ tantùm cuiusq; eorum alæ memorantur in Capite 25. Exodi, & in sexto Capite libri tertij Regum. In Ezechiele quatuor tantùm cuilibet illorum Animalium pennæ siue alæ tribuuntur: at verò Seraphini Esaiæ, & quatuor Animalia B. Ioannis senis alis vnumquodque præditum inducitur. Sed fortasse, si propriè loquamur, quatuor tantùm alas habebant singula, & Esaias atq; Ioãnes etiam ipsa brachia atq; manus alarum vocabulo appellauerunt, quod brachia in homine similitudinem habeant alarum quæ sunt in auibus: nam & axilla vocatur, locus concauus subter hominis brachia pilos generans, & Plinius Cap. 40. lib. 11 scripsit, Elephantem habere mammas, non quidem in pectore, sed citra, & in alis occultas. Cherubini porrò templi manibus suis sustentabant propitiatorium, superioribus alis expansis & elatis ipsum circumtegebant, inferioribus verò alis demissis femora sua pedesq; velabant. Apud Esaiam aũt Seraphini duabus alis siue manibus operiebãt faciem suam, duabus verò inferioribus alis tegebant pedes suos, duabus aũt superioribus alis volabant.

Plinius.

Declaratur mysterium sex alarũ.

89 Quoniam autem numerus senarius est perfectus numerus, & perfectionem aliquam eius rei cui applicatur, significare solet, per senarium alarum numerum perfectam vim & potentiam volandi intelligere debemus. Per istam verò perfectam volandi potentiam, tria significantur quæ sunt communiter in omnibus beatis Angelis, Sed ea in illis quatuor Angelis primarijs diuinæ Prouidentiæ administris, de quibus supra sæpius diximus, & qui per ista quatuor Animalia repræsentati sunt, singulari quadam & præcipua ratione inesse putandum est. Primùm itaq; perfecta volandi potestas per sex alas indicata, symbolicè significat incomparabilem agilitatem Angeli in motu locali secundùm omnes differentias positionum, siue sursum, siue deorsum, siue ad dexteram, siue ad sinistram, siue ad anteriora, siue ad posteriora. Hæc sanè Angeli secũdùm motum localem agilitas, longè superat omnẽ aliam celeritatem motus, siue quæ est in volatu aquilæ, siue quę est in cursu atq; impetu vẽtorum, siue qua primum cœlum ab ortu mouetur ad occasum. Deinde, per istam volandi potentiam significatur sublimissima Angelicæ mentis eleuatio ad contemplanda diuina, & ad percipiendas quasdã Dei singulares eximiasq; illustrationes, & reuelationes earum rerum quæ à cognitione omnium remotissimæ sunt, & habent obscurissimam atq; impenetrabilem sine Dei reuelatione intelligentiam. Denique, per istã volandi perfectam vim significatur Angelorum promptissima expeditissimaque obedientia ad iussa & mandata Dei capessenda, & exactissima tum Dei mandatorum, tum etiam ministeriorum quæ ipsis circa res humanas obeunda & perficienda sunt, executio, eorumq; certissima, simulq; celerrima ad destinatum exitum finemq; perductio.

Agilitas Angelorũ secũdũ motum localẽ

VIGESIMAQVINTA Disputatio.

Commemoratur quid Beatus Dionysius Areopagita de istorum animalium figuris, & alis, atque oculis senserit, & scriptum reliquerit.

90 PLACVIT mihi, neque id opinior, Lectori displicebit, referre hoc loco, quasi clausulam eorum quæ de istis Animalibus, disputata sunt, verba quibus Beatus Dionysius suam de istorum Animalium figuris, oculis, & alis grauiter vt solet, diuineque sententiam exposuit, superioribus nostris sententijs maximè congruentem. Dionysius itaque in Capite vltimo libri de cœlesti Hierarchia, de istorum quatuor Animalium figuris quæ Angelis attribuuntur disputans, Legimus, inquit, etiam Bestiarum figuras interdum Beatis Spiritibus afflictas, quapropter earum quoque figurarum significatio explicanda nobis est. Leonis faciem signare putamus in Angelis vim illam principalem, & robustam, & indomabilem, per quam occultissimo illi ineloquibilis Diuinitatis arcano pro viribus similes nituntur euadere, operti spiritualibus vestigijs, & expedita illa atque ineffabili celeritate itineris ad diuini fulgoris secreta tendentis. Bouis autem imago fortitudinis & roboris præfert speciem, quo scilicet Angeli spiritales sulcos suscipiendis cælestibus fœcundisque imbribus scindunt: Forma item Bouis seruatricem illam atque insuperabilem vim designat.

Quid leonis figura in Angelis significet.

Quid figura bouis.

Quid figura aquilæ.

Effigies porrò Aquilæ regiam significat dignitatem, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium reparandis viribus cibú agilitatem, atque vigilantiam, & cursum, & celeritatem summam: Præterea verò singularem illam vim speculandi, ac liberè, & directè, & in nullam partem inclinando, aciem luminum intendendi in radium illum vberrimum lucidissimæ Deitatis, quem ex se instar Solis emittit. De figura autem Hominis, in qua sæpissime Angeli apparuerunt hominibus, ante scripserat Dionysius in eiusdem libri Capite XV. his verbis: In humana forma describuntur Angeli, quod mente vigeant homines, videndique vires habeant ad superna tendentes sublimique ore, & erecta sint statura, & per naturam ad imperandú & regendum idonei: cumque sensu ac viribus, brutorum animaliú comparatione minimum valeant, præstanti tamen virtute animi, ac rationabilis scientiæ dominatu, & quod anima natura libera seruire vincique non possit, omnia superant.

Quid figura hominis.

Deinde, in hoc ipso loco Beatus Dionysius agit non solum de oculis, verum etiam de naribus, & auribus, & gustu, & tactu, quorú sensuum & nomina, & figuræ beatis Spiritibus attribuuntur. Dicimus, Dionysius inquit, oculis & visu in Sanctis Angelis clarissimam signari aciem, qua diuinis hauriendis luminibus inhiant. Simplicem præterea illam, & liquidam nihilque obluctantem, sed motus celeritate constãtem, puramque, & patulam suscipiendis absque perturbatione vlla diuinæ claritatis fulgoribus qualitatem. Palpebras autem & supercilia, statum illum significare arbitramur quo diuinæ speculationis sensus atque intelligentias, cœlestes Spiritus cautissime seruant. Naribus porrò olfaciendi ac diiudicá-

Oculi, nares, aures, gustus & tactus, in Angelis quid significent.

di vi præditis, capacem eorum perceptionem intelligere debemus, qua summam illam suauissimamque fragrantiam pro viribus admittunt. Cetera verò quę huiusmodi non sunt, scite diiudicant, & penitus fugiunt. Aures significant vim illam participandi, diuinamque participationem scitè suscipiendi. Gustus designat intelligibilis alimoniæ respectionem, & diuinorũ atque nutrientium liquorum admissionem. At verò tactu constantiam illam exprimi putamus, qua quod vtile, quodve noxium est, peritè discernunt.

92 Iam verò de alis cum quibus visi sunt Angeli, & Animalia ipsos significantia, eo ipso in loco hæc scribit: Sanctos Angelos, etiam alatos Theologia effingit; Alis quippe signatur celeritas alta conscendens, & cęlestis vitæ cursus, iter in anteriora semper & celsiora consternens, &, quod ad superiora ferantur, mortalibus atque infimis omnibus excepti. Sed enim, & alarum leuitas id in Sanctis Angelis indicat, quod terreni corporis sarcina liberi, toti absque vlla admixtione, vel pondere ad celsa ferantur. Idé Dionysius anteà dixerat in Capite XIII. eiusdem libri, per sex alas illorum Seraphim Esaiæ significatam esse absolutissimam summamque in Deum intentionem in primis, & medijs, & vltimis Intelligentijs. Et hæc quidem ex Beato Dionysio.

De alis Angelorũ.

†

VIGESIMASEXTA Disputatio.

Exponitur Ioachimi Abbatis minimè aspernanda, super istis Animalibus Disputatio.

IOACHIMVS tripartitam hoc loco facit 93 super istis Animalibus disputationem, satis profectò longam & parum ordinatam & distinctam, sed piam tamen, & moralis ac spiritualis doctrinæ plenam, ideoque memoratu cognituque non indignam. Primum, disputat de figuris istorum Animalium: deinde, de senis cuiusque eorum alis: denique, de oculis quibus illa vndequaque plena fuisse dicuntur. Putat itaque per ista quatuor Animalia figuratos esse quatuor Ordines hominum in Ecclesia percelebres. Per Leonem qui est fortissimus bestiarum ad nullius pauescens occursum, significata est fortitudo fidei Apostolorum, qui tanquam leones, nec Iudæorum, nec Gẽtium, nec totius mundi minas terroresve, potentiamque timuerunt: sed debellato mundo & sub imperium Christi subiugato, gloriosè triumpharunt. Per Bouem, qui patientissimus est ad laborandum, & ad ferenda onera, solusque istorum quatuor Animaliũ in Sacrificijs offerri solitus, significatur inuicta Martyrum patientia, qui propter Christum seipsos immolauerunt. Per Hominem rationis capacem, & sapientiæ, scientemque verum à falso, bonumque à malo discernere, sanctorum Ecclesiæ Doctorum Sapiẽtia designatur. Denique, per Aquilam velocissimè & altissimè volantem, atque irreuerberatis solem oculis contuen-

Ioachimus

Quid per leonem. Prouerb. 30.

Quid per bouem.

Quid per hominem.

Quid per aquilam.

tuentem, significatur sacer ordo Sanctarum virginum & virorum Religiosorum studentium contemplationi rerum cœlestium, Euangelicamq; perfectionem æmulantium, & vitam in terris angelicam potius quàm humanam colentium.

Quid sex alæ singulorum animalium.

94 Sex porrò alas cuiusque istorum Animalium Ioachimus ita explicat: Non est, inquit, dubium, quin sex istorum animalium alæ similiter intelligendæ sint, vt sex alæ Seraphim quæ vidit Esaias, quarum duabus velabant pedes secundum Esaiam, & corpus secundùm Ezechielem. Istæ autem duæ alæ significabant duas virtutes, Pœnitentiæ & Misericordiæ, per quas confusio & Misericordiæ, per quas confusio & turpitudo peccatorum velatur: *Pœnitemini*, dixit Beatus Petrus, *vt deleantur peccata vestra*. Et Dominus noster dixit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Duæ verò alæ quibus tegebant faciem, significant duas alias virtutes, Humilitatis & Patientiæ, per quas Sancti viri suarum virtutum, & benefactorum, meritorùmque humanam laudem & gloriam refugiunt, Deique solius testimonium requirunt, neque aliam, nisi à Deo promissam mercedem expetunt & sperant. Reliquæ autem duæ alæ quibus volabant, duas virtutes Theologicas significant, fidem, & spem: per fidem, ad contemplationem rerum diuinarum, æternorumque bonorum; per spem, ad eorundem bonorum ardentissimum desiderium & amorem Sancti extolluntur. Ezechiel quatuor tantùm alas memorat, quia videlicet fides & spes in alijs quatuor supradictis virtutibus continentur, neque enim sine fide ac spe quisquam verè pœnitens, & misericors, nec verè humilis, & patiens esse potest.

Act. 3.

Matth. 5.

95 Eadem quoque Animalia oculis ante & retro plena fuisse dicuntur: quia & carnalia desideria prudenter deuitant, & opera iustitiæ quæ facienda sunt, ab operibus tenebrarum sapienter discernunt, & quamuis bona quæ retrò sunt, & ab ipsis facta, per humilitatem Sancti non respiciant, sed obliuiscantur; mala tamen quæ fecerunt, subinde recordantur & respiciũt, tum ad cauendum, tum ad plangendum. Habent oculos antè, quia considerantes quam longa & ardua restet eis via, & qualia quantaque sint futura & bonorum præmia, & malorum supplicia, ad anteriora semper sese extendunt, magis in dies proficere in seruitute Dei studentes atque conantes. Habent itaque oculos antè & retrò, quia & bonum semper deinceps facere cogitant, & culpas præteritas assiduis piisque fletibus tergunt; sicque à futuris malis cauent, vt etiam præteritis à se commissis peccatis veniam postulare nunquam desinant.

Cæterùm alia lectio huius loci habet, ista Animalia oculos habuisse in circuitu & intus; & vtraque profectò lectio, secundùm mysterium, vera est salubre admodùm præbens documentum. Aliud enim est, habere oculos antè & retrò, & aliud, oculos habere in circuitu & intus. Per illud enim deflentur commissa peccata, & ne committantur in posterum cauetur: per hoc autem, spiritualia vitia quæ latent in animis nostris discutiuntur, & ne occulti hostes qui ambulant in circuitu, (siquidem, vt Dauid dixit, *In circuitu impij ambulant*) vt incautos nos rapiant & deuorent, aditũ aliquem ad animũ nostrũ incustoditũ reperiant, omni studio, & vigilãtia, industriaq; cauetur. Per illud recogitantur præterita mala, & futura cauentur; per hoc bella spiritualia quæ perpetuò nobis imminent, exterius & interius detecta vitantur. De illo dixit Dauid, *Iniquitatẽ meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper*: de hoc etiam idem Propheta dixit, *Delicta quis intelligit? ab oc-* 96

Psal. 11.

Psal. 50.

Psal. 18.

ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Et Beatus Petrus dixit, *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Atque hæc est Ioachimi super istis Animalibus prolixæ admodum disputationis sententia.

VIGESIMA SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 8. *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, Qui erat, & Qui est, & Qui venturus est.*

AQVATVOR potissimum rebus mystica ista Animalia Deum laudant: primum, à duabus proprijs Dei perfectionibus, Omnipotentiam dico & Æternitatem, cum aiunt, *Dominus Deus omnipotens &, Qui erat, & qui est, & qui venturus est*, qua verborum circumlocutione denotatur æternitas: Deinde, laudant Deum ab eo quod ipse est creator & conseruator omnium, illis videlicet extremis huius Capitis verbis, *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Adhæc ob id ipsum prædicant, Deum dignissimum esse laudari, & honorari, & glorificari ab omnibus, cum aiunt, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Denique, vel eo nomine dignissimum omni laude Deum prædicant, quod bonorum omnium quæ Sancti vel faciunt, vel merentur, ipse principalis auctor, & causa sit, eique bona omnia quę habent & homines, & Angeli accepta ferri oporteat, Hoc enim significat, Sanctos mittere coronas suas ante Thronum Dei.

Sed quid significat illud, *Requiem non habebant die ac nocte?* Ambrosius & Ioachimus verba hæc referunt ad Sanctos qui versantur in terris; & Ambrosius quidem duas eorum verborum affert interpretationes, quarum prior est hæc: Requies Reproborũ vita præsens est, sed post eam, sequitur eos tribulatio quæ finem non habet: Contra vero, Iusti in hac vita tribulantur, vt post eam possideant requiem æternam, dicente Apostolo, *Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei.* Altera interpretatio quæ proprior vero est, sic habet: Sancti requiem non habent, quia a laudibus Dei, & ab orationibus non cessant, dicente Domino, *Oportet semper orare, & non deficere*, idemque Paulo attestante illis verbis, *Sine intermissione orate.* Ioachimus prætereà illud, *Die ac nocte*, interpretatur ita vt significet tam in rebus secundis, quam in aduersis laudare Deum: Non enim, inquit, magnum est laudare Deum cum omnia prospera nobis succedunt; at verò in summis calamitatibus & ærumnis, & acerbissimis corporis doloribus nihilominus tamen laudes Dei celebrare, hoc sane perfectæ virtutis argumentum & opus est, Hac nimirum ratione volebat Satan, vt Deus virtutis Iob periculum faceret: Et sanè, facto periculo, maxime virtus eius enituit, maximis enim percussus, bonorum omnium calamitatibus, grauissimisque corporis doloribus conflictatus, tum maximè pietatem erga Deum colens, dicebat, *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Et hæc dicta sine

Marginalia: *Qui sit cælites nõ habere requiẽ in laudando Deum. Ambrosius Ioachimus* — *Act. 14.* — *Luc. 18.* — *1. ad Th. 5* — *Iob 1 & 2*

secundùm interpretationem Ambrosij & Ioachimi.

99 Etenim vera Interpretatio & intelligentia huius loci est hæc Illa quatuor Animalia quæ significabant quatuor illos Angelos de quibus multa diximus supra, die ac nocte requiem non habebant, id est, nullo tempore cessabant laudare Deum, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus; illud enim, *Die ac nocte*, secundùm phrasim Scripturæ, eandem vim habet atque Omni tempore & semper, quemadmodum dixit Dauid, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Iam verò frequens est in Scriptura (verbum quiescere) pro eo sumi quod est (cessare) Sic enim interpretandum est quod dicitur in libro Genesis, die septimo requieuisse Deum ab omni opere quod patrauerat: non quod Deus, quasi labore fessus, & requietis indigens, die septimo quietem vllam cœperit, sed quòd tunc cessauerit ab operando circa rerum creationem, cõsummato iam Mundi opificio. Hac item significatione vsurparunt verbum (quiesco) etiam Latini, elegantesque Scriptores, quod manifestum potest esse Lectori ex verbis illis, quibus est vsus Q. Claudius Quadrigarius, perantiquus, apprimeque laudatus Romanorum Annalium Scriptor. Hic T. Manlij pugnam cum hoste Gallo purissimè atque illustrissimè (vtar Gellij verbis) simplicique & incompta antiquæ orationis suauitate describens, inter alia sic ait: [Maxime iam prælio commoto, atque vtrisque summo studio pugnantibus, Gallus quidam processit, & manu significare cœpit vtrique vt quiescerent pugnare: Pugnæ facta pausa est.] In his verbis extremis, illud (vt quiescerent pugnare) idem significat, quod vt cessarent pugnare, nam hoc apertè declarat quod proximè sequitur (Pugnæ facta pausa est.)

Psal. 33.

Genes. 2.

Gell. lib. 9. cap. 13.

100 Hæc porrò incessabilis laudatio Dei quemadmodum fit in Ecclesia triumphanti, non est difficile intelligere, nulla quippè causa illic esse potest intermittendi laudationem Dei, tam in ipsa Beatorùm vniuersitate, quàm in singulis Beatis: Hoc etenim Beatorum omnium in cœlis opus est, hoc est illorum negotium, hoc otium, hoc officium, hæc occupatio, & hanc ob rem beati sunt, quod Deum quem præsentem cernunt, perpetuò laudant, sicut dixit Dauid, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Perpetua quoq; Dei laudatio viget in Ecclesia militante, non similiter tamen vt in triumphante; sed quia omni hora diei in aliqua Ecclesia, vel congregatione fideliũ, alicubi celebrantur Dei laudes. Cũ enim Christi Ecclesia per vniuersũ terrarum orbẽ diffusa sit, omni hora diei est tẽpus opportunum & solidũ canẽdi Horas Canonicas, & celebrandi Missã in aliquo terrę loco.

Psal. 83.

Quemadmodum verò perpetua hæc Dei laudatio locum habeat etiam in singulis hominibus, secundùm illam Domini sententiam; *Oportet semper orare*: Et illam Pauli; *Sine intermissione orate*: hunc in modum declarat Ambrosius: Ponamus ante oculos, inquit, duos homines, vnum doctum, assiduè orantem & psallentem, & Missas celebrantem, vitijs tamen inquinatum & deditum. Alterũ verò idiotam, sed fidelem tamen, Deumq; timentem & amantem, & Proximum diligentem, in prosperis humilem, in aduersis patientem: Vter istorum hominum videtur tibi magis seruare illam Pauli sententiam, *Sine intermissione orate*: Illène qui assiduè orat, & nihilominus vitijs subiacet; an hic qui nescit orare, à vitijs tamen mundus est, & operibus bonis deditus? Omnibus clarum est, huius innocentiam & bona opera exaudire magis Deum, quam illius qui vitijs sordidus est, multas orationes & cantus. Ille itaque sine intermissio- 101

Luc 18.
1. Thess. 5.
Pulchra similitudo.
Ambrosius

termissione orat, qui congruis temporibus mente & lingua Deum deprecatur, & in bonis operibus assiduus est; Cuius etiam cum dormit, vel alijs humanæ vitæ necessarijs operibus occupatus est, opera bona effulgent in conspectu Dei, & pro ipso sunt intercessores apud Deum, sicut Angelus dixit Cornelio, *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.* Hæc Ambrosius. *Act. 10.*

VIGESIMA OCTAVA Disputatio.

Super venerendo illo Trisagio:

VERS. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.*

101 DE vera & germana significatione illius vocis Sanctus, referam hoc loco doctam Iansenij obseruationem, proprijs eius verbis ex Commentarijs in quartum Caput Concordiæ Euangelicæ huc transpositis. Pro Latina, inquit, voce Sanctus, vox Hebræa ei respondens (cados) significat propriè id quod ob suam puritatem à rebus profanis & immunditiam aliquam habentibus separatum est: Quoniam autem soli Deo perfecta conuenit puritas, & ab omni vitio & labe munditia; idcirco solus ipse dicitur propriè cados. Cumque integritati potissimum & virtuti reuerentia & honos debeatur, vox (cados) simul etiam includit significationem reuerentiæ & honoris, indicans, Deum cui ea vox tribuitur, omni reuerentia, & honore, ac veneratione esse dignissimũ. Huic voci Hebrææ Græca vox ἅγιος cõgruè apteq; respondet: Qua voce significari putat Beda (extra terram, vel sine terra) vt ea vox composita sit ex particula priuatiua α, & ex nomine γῆ, quod significat Latinè terram. Sed quia priuatiua illa particula α, cùm ponitur in compositione, non aspiratur, in voce autem ἅγιος aspirationem habet; idcirco probabilius est, quod Græci arbitrantur, vocem ἅγιος deriuari à verbo ἅζομαι, quod Latine est, colo & veneror, vt sit ἅγιος pro ἅζιος. & significet eum qui ob integritatem & perfectionem virtutum sit ab omnibus honorandus atque venerandus. Iam vero & Hebrææ, & Græcæ voci respondet aptè Latina vox (Sanctus) quæ à verbo (sancire) deriuata est; Sancire autem, proprie loquendo, est confirmare aliquid sanguine hostiæ, quemadmodum in faciendis, firmandisque pactis fieri solebat: Quoniam vero, quæ ita erant confirmata, violari nefas & piaculum erat, sanctum vocari cœptum est, quod inuiolatum, & incorruptum, & integrum est; quæ significatio bene congruit cum significatione vocis Hebrææ suprà expositæ. Hæc Iansenius.

Quid propriè significet vox (Sanctus) secundùm Iansenium

Sed quid sibi vult trina illa vocis (Sanctus) vsurpatio? Ea profectò illustrem expressamque Trinitatis diuinarum Personarum in vna Deitate demonstrationem habet; quasi diceretur, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus, vnus Dominus Deus omnipotens. Ita sanè istud Trisagion interpretati sunt Patres tam Græci, quam Latini, quorum vnius duntaxat hoc loco, qui est quasi aliorum Coryphæus, Beati Dionysij verba referam ex Capite septimo libri de Cœlesti Hierarchia: Beatissimi, inquit, Spiritus laudatissimam illam, & honoris, & reuerentiæ, ac sacratioris intelligentiæ plenam clamantes emittunt vocem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* 103

Quid potissimùm denotet illud Trisagium

S. Dionys.

Esai. 6.

Deus Sabaoth, plena est omnia terra gloria eius. Et quibusdam interpositis subdit, à cœlestibus illis Spiritibus laudari diuinissimam Monadem, atque in tribus Personis Vnitatem, quæ à summis illis Angelicisque substantijs, vsque ad terræ nouissima, ineffabili benignitate pertingat, & quæ sunt, omnia prouidentiæ suæ ratione moderetur, tanquam totius prouidentiæ singulare principiũ, & causa, omnia super substantialiter, & inuiolabili modo comprehensa continens. Ita B. Dionysius. B. Epiphanius etiam hoc Trisagion de Diuina Trinitate & Vnitate interpretatus, in suo Ancorato ita scribit: Beata Seraphin, & sancta illa, & spiritualia quatuor Animalia in cœlo clamant perpetuo ter dicentia Sãctus. Non enim per duas voces glorificatio Dei in cęlis perficitur, neque per vnam, neque per quatuor, aut plures, sed per tres voces, & has sigillatim, & in singulari numero. Non enim dicunt, Sancti, Sancti, Sancti, sed Sanctus, Sanctus, Sanctus: quo singulare celebre pronũcient, neque multitudinis numerum occultent: sed ter dant sanctificationem, vniformiter autem, & singulariter proferunt sermonem: nec multitudinẽ Deorum nominent, vnus enim est Deus, Pater in Filio, & Filius in Patre cum Sancto Spiritu. Pater verus in substantia, & Filius verus in substantia, & Spiritus verus in substantia: tria existentia, vna Deitas, vna Essentia, vna glorificatio, vnus Deus. Sic Epiphanius.

Epiphanius.

204 Sed enim, Ariani sanctissimæ Trinitatis hostes negabant, trina illa vocis Sanctus, inclamatione significatas esse tres diuinas hypostases in vna substantia Deitatis: sed quia numerus ternarius denotat perfectionem, aiebant, per trinam illam sanctitatis appellationem significari infinitam perfectionẽ sanctitatis quæ est in Deo: vt idem sit dicere, Deus sanctus, sanctus, sanctus, quod, Deus maximè atque infinite sanctus, iuxta illud videlicet quod Poeta dixit,

In Arianos

O terque quaterque beati.

Virg. 1. Aeneid.

Verum Arianos aperte confutat narratio Esaiæ qui Deum cui Seraphim Trisagion acclamabant inducit hæc loquentem, *Et audiui,* inquit *vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis.* Illud, *Quem mittam,* Deitatis vnitatem demonstrat; Illud verò, *Et quis ibit nobis,* pluralitatem in vna Deitate indicat Personarum.

Admonendus hoc loco est Lector, ex hoc Trisagio quod cantabant apud Esaiam Seraphim, & apud Ioannem in hoc loco Apocalypsis, quatuor Animalia, tribus additis illis vocibus (Deus, & Fortis, & Immortalis,) adiectoque illo, (Miserere nobis) ductum, factumque esse illud à Græcis tantopere celebratum Trisagium, (Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis miserere nobis.) De cuius Trisagij cęlesti & Angelica origine, & de Catholica verborum eius sententia, & de malitiosa eorundem verborum deprauatione ab Hæreticis facta, deque summa eius Trisagij apud Catholicos reuerentia & veneratione, videat Lector Damascenum in Capite decimo libri tertij de Fide orthodoxa, & in Epistola quam de Trisagio scripsit ad Iordanum, videat etiam Felicem Papam in Epistola quam de eodem Trisagio scripsit ad Zenonem Imperatorem. Ampla etiã & honorifica huius Trisagij mentio fit in duobus Concilijs generalibus, in quarto quod fuit Chalcedonense; & in quinto quod fuit secundum Constantinopolitanum. 105

Locus Esa. 6.

Damascenus.

Felix Papa.

VIGESIMANONA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 9. 10. 11. *Et cum darent illa Animalia gloriam & benedictionem sedenti super thronum, procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant Viuentem in secula sæculorum, & mittebant coronas suas ante sedentem in throno dicentes, Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*

Ambrosij usq; hic, quomodo possit quispiam dare aliquid Deo.

106 SVPER eo quod hic dicitur illa quatuor Animalia dedisse gloriã, & honorem, & benedictionẽ Deo, ponit, Ambrosius quæstionem huiuscemodi: Quid potest aliquis dare Deo, aut quid ab vllo Deus accipere potest, cùm ipse creauerit omnia, & sine ipso nihil facere homines possint, ipsomet dicente, *Sine me nihil potestis facere.* *Ioan. 15.* Si autem Sancti sine Deo nihil possunt facere, quid ipsi possunt dare Deo? Sed quia hominum talis est natura, vt nihil boni a seipsis habere possint, nisi à Deo id accipiant qui est summè bonus & fons bonorum omnium; idcirco Deus dat id Sanctis, ob quod ipse remunerare eos possit, Regnũ nãque cœlorum Deus promisit Sanctis ea conditione vt pretiũ bonorũ operũ pro eo dent: Quoniã aũt hoc pretiũ Sancti non habent nisi à Deo accipiant, ipse dat eis hoc pretiũ vt eo possint ipsi vitam æternam emere. Dãt itaque Sancti gloriam Deo, cùm quicquid boni faciunt, eõ consilio & studio faciunt, vt glorificent Deum, sicut Dominus ipse dixit, *Vt videant, opera vestra bona, & glorificent Patrẽ, vestrum qui in cœlis est.* *Matth. 5.* Et Ioannes Petrũ dixit glorificaturum fuisse morte sua Deũ. *Ioan. vlt.* Dant ẽt honorem Deo, cũ in omnib. quæ agunt, honorẽ Dei non aũt suum quærunt. Et quia Sancti cũ magna & mira faciunt, benedicuntur ab hominibus omnẽ istiusmodi benedictionẽ hominũ referunt ipsi ad Deũ. Quantoperè aũt Sancti, pro virtutib. suis & bonis operib. refugerent accipere laudẽ & honorẽ ab hominibus, ostendit liber Actuũ Apostolorum: Cũ enim ob sanitatem redditã claudo, Iudæi mirabundi Petrũ & Ioãnem intuerentur, Petrus dixit, *Quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus suscitauit Filium suum Iesum, Et fides qua per eum est, dedit integram sanitatem istam.* *Act. 3.* Paulus quoque & Barnabas volentibus populis ob miracula quæ viderant, sacrificare ipsis, scindentes vestimenta sua dixerunt, *Viri quid hoc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.* *Act. 14.* Hæc Ambrosius.

Quid sit, Sãctos mittere coronas suas ante thronum Dei.

Sed videamus quid mysterij 107 habeat, quod illi viginti quatuor Seniores coronas aureas de capitib. suis deposi as miserunt ante thronum Dei. Hoc nempe significabat Dei esse muneris & gratiæ quòd Sancti fortiter aduersus hostes certauerint, & quod perseuerãter certando vsque ad finem victoriæ suæ coronam cœlestem obtinuerint: Deus enim, vt Paulus inquit, operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate; *Ad Phil. 2.* & Esaias dixit, *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* *Esa 26.* Et Dauid ait, misericordiam Dei præuenire & subsequi nos. *Psal 22.* *Psal. 58.* Et illa quidem corona

cœlestis, est corona iustitiæ, sicut eam vocauit Paulus, quod iustè, tanquam merces reddatur meritis bonorum operum; eadem tamen appellatur corona misericordiæ cō testante hoc Propheta illis verbis: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Quemadmodum autem vita æterna sit in Sanctis & corona iustitiæ, simulque corona misericordiæ, nos copiosa disputatione tractauimus in secundo Tomo nostrarum Selectarum Disputationum in Epistolam ad Romanos in disputatione nona super sextum eius Epistolæ Caput.

2. ad Tim. 4.

Psal. 102.

108 Beatus Gregorius libro 22. Moralium Capite 5. hunc locum Apocalypsis similiter vt nos suprà, interpretatus est: Coronas, inquit, ante thronum Dei Sanctos mittere, est certaminum suorum victorias non sibi sed Deo tribuere: vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis. Per coronas, inquit Ambrosius, bona opera designantur: Mittunt autem Sancti coronas ante thronum Dei, quia bonorum operum suorum laudem & gloriā non sibi assumunt, sed omninò referunt ad Deum, secundum illud præceptum Apostoli. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Victorinus, per istud quod fecerūt illi viginti quatuor Seniores, significatum esse putat, victorias omnium Sanctorum Veteris Testamenti subijci victoriæ Christi, & vt maximæ, & vt causæ omnium victoriarum. Victoria sane Christi tres ob caussas maxima fuit: Primū enim, maximos hostes qui genus humanum dominatione sua oppressum & captiuū tenebant, superauit; vicit enim malignitatem Mundi, & Diaboli potentiam euertit, Mortisque destruxit imperium. Deinde, victoriam Christi quatuor maxima bona cō secuta sunt: quorum vnum fuit nominis Dei per vniuersum mundum manifestatio, & glorificatio; alterum generis humani à seruitute peccati, & potestate Diaboli, reatuque mortis æternæ, redemptio & liberatio; tertium, interclusi mortalibus aditus ad cœlum reseratio; quartum ruinæ Angelorum reparatio. Fuit etiam victoria Christi aliarum omnium victoriarum quas fecerunt Sancti, causa non solum exemplaris, verum etiā efficiens; per hanc quippè datur Sanctis virtus, & cum hostibus fortiter, & perseueranter pugnandi, & vincendi eos, & de victoria eorum in cœlis triumphandi, cęlestesque atque æternas coronas consequendi.

S. Gregorius.

Ambrosius

2. ad Cor. 10.

Victorinus.

Victoria Christi, tres ob caussas fuit maxima.

Cum extremis illis verbis huius Capitis, *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt,* bene congruunt & consonant verba illa quæ sunt in Capite XI. libri Sapientiæ, *Quomodo,* inquit, *posset aliquid permanere, nisi tu Deus voluisses, aut quod à te uocatum non esset, quomodo conseruaretur.* Sed Ambrosius super illis verbis: *Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*: hanc ponit quæstiunculam: Si iam, inquit, erant, quomodo creata sunt? Creatio namque non est, nisi eorum quæ non sunt. Respondet ipse: Erant, inquit, priusquam crearentur, in potestate & voluntate Dei, creata verò sunt eo tempore quo disposuit Deus. Sed aduertat Lector, potentiam Dei vt creatiuam rerum dupliciter considerari posse: vno modo præcisè, & absolutè, & ante decretum diuinæ voluntatis creandi res; & hac ratione non est verum dicere, res priusquam crearentur, suisse in potentia Dei creatiua propter voluntatem eius: non enim Deus potuit creare mundum, quia voluit creare illum; talis quippè creatiua potentia prior est, secundum naturæ vel rationis ordinem, quam decretum diuinæ voluntatis creandi Mundum. Altero modo potentia creatiua considerari potest, non 109

Ambrosij quæstio.

Duplex cōsideratio, potentia, creatiua, quæ est in Deo.

vt

vt per se indifferens est ad creandum & non creandum, sed vt per diuinam voluntatem determinata est ad creandum Mundum vnum, & non plures, tantum, & non maiorem nec minorem, & hoc tempore, & hoc modo atque ordine: Et sic verum est dicere, creaturas priusquam crearentur fuisse in potentia Dei creatiua propter voluntatem eius. Est autem illa potentia creatiua priori modo considerata, tanquam potentia remota; hæc vero coniuncta cum decreto diuinæ voluntatis creandi, est tanquam potentia proxima. Signanter porrò & consulta opera Beatus Ioannes hoc loco Dei voluntatem facit creationis rerum omnium causam, vt indicaret fecisse Deum omnia, nulla impulsum necessitate, sed mera suæ voluntatis libertate, sicut dixit etiam Dauid; *Omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra.* *Psal. 134.*

CAPVT QVINTVM.

1 ET * vidi in dextera sedentis super thronum
librum scriptum intus & foris, signatum si-
2 gillis septem.* Et vidi angelum fortem, præ-
dicantem voce magna: Quis est dignus
aperire librum, & soluere signacula eius?
3 * Et nemo poterat neque in cęlo, neque in
terra, neque subtus terram aperire librum
4 neque respicere illum. * Et ego flebam
5 multùm, quoniam nemo dignus inuentus
est aperire librum, nec videre eum.* Et vnus de senioribus dixit mihi:
Ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire li-
6 brum, & soluere septem signacula eius.* Et vidi: & ecce in medio
throni & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem
tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem; qui
7 sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Et venit; & acce-
8 pit de dextera sedentis in throno librum.* Et cum aperuisset librum,
quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderũt coram Agno,
habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum,
9 quæ sunt orationes Sanctorum: * & cantabant canticum nouum, dicen-
tes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius:
quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tri-
10 bu, & lingua, & populo, & natione: * Et fecisti nos Deo nostro re-
11 gnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. * Et vidi, & au-
diui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, &
12 seniorum: & erat numerus eorum millia millium. * dicentium voce
magna, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & di-
uinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam,
13 & benedictionem: * Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super
terram, & sub terra, & quę sunt in mari, & quæ in eo: omnes audi-
ui dicentes. Sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor, & glo-
14 ria, & potestas in sæcula sæculorum. * Et quatuor animalia dice-
bant, Amen. Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas
& adorauerunt viuentem in sęcula sæculorum.

IN CA-

IN CAPVT QVINTVM APOCALYPSIS DISPVTATIONES SEXDECIM.

DIXIMVS supra, enarrationẽ huius secundæ, Visionis à B. Ioanne traditam, esse tripertitã. In superiori enim quarto Capite declarata est magnificentia huius Visionis, describendo maiestatem Dei in throno sedentis, atque eum thronum circumstantium viginti quatuor Seniorum, & quatuor Animalium, perpetuò laudantium & glorificantium Deum. In hoc autẽ quinto Capite exponitur materia huius Visionis: ea verò fuit liber qui erat in dextera Dei sedentis in Throno, scriptus foris & intus, & signatus sigillis septem. In sexto autem, & septimo Capite, ostenduntur mysteria rerum futurarum per librum illum præsignata, ita vt in resolutione cuiusque illorum septem sigillorum, nouum aliquod & insigne mysterium ostendatur.

PRIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Et uidi in dextera sedentis super Thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. VERS. 1

1 QVid liber iste scriptus foris & intus & signatus septem sigillis significauerit, obscurissimũ habet intellectum, explicatumque perdifficilem; quam ob causam variæ admodum istius libri excogitatæ ac litteris proditæ sunt interpretationes; quas me hoc loco fideliter, ac distinctè, diligenterque Lectori exponere conuenit. Andreas Cæsariensis duas attigit libri huius interpretationes. Per hunc librum, inquit, tenacissimam & sapientissimam Dei memoriam accipimus, in qua, tanquam

1. *Interpr. Andreæ.*

Psal. 138.

tanquam in libro quodam, omnes homines, secundùm Dauidem, descripti sunt: operum etiam & iudiciorum Dei abyssum inscrutabilé. Libri huius intima, propter spiritum in eo inclusum, captu sunt difficilia: Externa verò, ea scilicet quæ per litteram offeruntur, minori negocio capiuntur. Septem porrò sigilla, certam libri huius fidem, nullique mortalium satis perspectam eius firmitatem significant: aut eius ordinem & dispositionem, qui diuini Spiritus profunda scrutatur; quæ omnia nulli omnino creatæ naturæ nota esse possunt. Licet præterea per istum librum ipsam in vniuersum prophetiam intelligere quam Christus Dominus in se adimpletam esse in Euangelio secundùm Lucam asserit. Sic Andreas.

2. Interpr.

3. Interpr. Victorini, Ticonij. S. Hieron Primasii, Beda, & aliorum.

2 Sed communis fermè interpretatio & sententia Explanatorum huius libri est, per istum librum significatam esse sacram Scripturam Veteris & Noui Testamenti. Hæc nimirùm est interpretatio Victorini, Ticonij, & B. Hieronymi in secundum & quadragesimum quartum caput Ezechielis, Primasij, Ambrosij, Bedæ, Haymonis, Ansberti, Anselmi, Ruperti, Ricardi, Ioachimi, aliorumque Sacra autem Scriptura, licèt multos in libros digesta sit, singulari tamen numero dicitur liber; tum quia vno Dei Spiritu vniuersa est inspirata & condita, tum propter summam inter se Veteris ac Noui Testamenti consonantiam atque concordiam. Dicitur iste liber in dextera Dei fuisse, sicut etiam de lege diuina scriptum est, *In dextera eius ignea lex.* Dicitur liber scriptus fuisse intus, quantùm ad Nouum Testamentum; foris autem, quantùm ad Vetus: quia Vetus erat velamen & promissio Noui, & Nouum est reuelatio & adimpletio Veteris: vel foris, quantùm ad litteram; intus verò, quantùm ad spiritum: vel foris quantùm ad historiam; intus, quantum ad allegoriam, & tropologiam, & anagogiam.

Deuteronomij 33.

Iam verò septem sigilla significant plenitudinem mysteriorum Christi, quę in sacra Scriptura continentur, quæ nisi Christus ipse adueniens compleuisset, nemo intellexisset; quocirca Iudæi qui etiam nunc Messiam venturum expectant, licèt manibus versent teruntque hunc librum, & oculis lustrent, linguaque pronuncient ac celebrent, eum tamen haudquaquam intelligunt. Quin etiam interpretari eum volentes, valde alienas, & ineptas, & absurdas, atque impias, ridiculasque efficiunt interpretationes. 3

Secundùm Primasium & Bedam, septenario numero sigillorum significatur multitudo vel etiã vniuersitas difficultatum atq; obscuritatum sacrę Scripturę propter mysteria quæ in ea latent. At verò, secundùm Rupertum, significantur septem præcipua Christi mysteria, Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio in Cœlum, Missio Spiritus Sancti, Vocatio Gentium, & secundus eius aduentus.

4. Interpr.

Nonnulli per istum librum similiter ac supradicti Auctores, intelligunt sacram Scripturam: Septem tamen eius libri sigilla diuersè interpretantur. Aiunt enim, per ista sigilla esse significata septem genera rerum proprie ad Messiam pertinentium, quæ in sacra Scriptura continentur. Primi generis fuerũt Prophetiæ de Generatione & Passione Messiæ. Secũdi generis fuerũt multiplices in veteri Testamento figuræ ipsius Messię, tam in Legalibus ceremonijs & sacrificijs, quam in quibusdam insignioribus personis, earumq; personarum factis memorabilibus. Tertij generis fuerũt diuinæ promissiones ingentium bonorum, in speciem quidem, corporalium & temporalium, reuera tamen spiritualium æternarumque, quæ Messiæ tempore futura erant, 4

Septem genera rerũ ad Messiã pertinẽtiũ, & in veteri scriptura latentium.

Quarti

Quarti generis fuit mysteriũ æternitatis & diuinitatis Messiæ, simulque Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Quinti generis fuit duplex Messiæ aduentus, prior in humilitate; posterior in maiestate. Sexti generis fuit Legis, & Sacerdotij Iudaici translatio in Legem & Sacerdotium Euangelicum. Septimi generis fuit repudiatio Synagogæ & populi Iudaici, & electio Ecclesiæ Gentium.

5. Interpr.

5 Quidam arbitrati sunt, per istum librum esse significatum maximum illud debitum, & damnum, atque reatum, quo Adam per suum peccatum & se, suamque posteritatem, atque vniuersum genus humanum obstrinxit, ac perdidit, reuera cõtinens Væ & lamentationes amarissimas, sicut liber ille Ezechielis. Dicitur autem iste liber fuisse scriptus intus & foris, quia genus humanum ob peccatum Adę vitiatum est & intus, quantum ad animam, & foris, quantum ad corpus & res externas. Erat porrò liber signatus sigillis septem, quia ob peccatũ Adæ facti sumus septem grauissimis malis obnoxij. Primum malum fuit Iniuria & offensa Dei: secundum, Pœna damni, id est, amissum ius capessendæ hæreditatis cœlestis: tertium, Reatus æternæ mortis: quartum, Necessitas corporaliter moriẽdi: quintum, Captiuitas sub Diaboli potestate: sextum, Natiua quædam obliquitas & auersio ab incõmutabili & increato bono qui est Deus, & vehemens procliuitas & conuersio ad bona creata & temporalia: septimum denique fuit Concupiscentiæ fomes, & rebellio carnis aduersus Spiritum. Hæc verò mala nec omnia, nec singula vllus præter Christum superare ac delere potuit: Ea tamen omnia mala superasse ac sustulisse Christum, ex doctrina Euangelica & Apostolica, præsertim autem ipsius Pauli, manifestum est.

Ezech. 2.

Septẽ ingentia humani generis mala ex peccato Adæ.

SECVNDA Disputatio.

Commemorantur & sancti Bernardi, aliorumque Interpretationes qui significationem huius libri & septem sigillorum eius referunt ad Christum Dominum nostrum.

SAnctus Bernardus in sermone primo de sancto die Paschæ locũ hunc Apocalypsis sane quàm pie & docte, ac luculenter tractans hunc in modũ scribit: Liber iste Christus ipse est. Quis autem aperire eum posset, cũ Ioannes Baptista se indignum esse esse profiteatur soluere corrigiam calceamenti eius? Venerat nimirũ ad nos calceata Maiestas, Diuinitas incarnata; Venerat Dei Sapientia, sed in libro clauso vtique & signato: quod enim ligabat corrigia calceamenti, hoc ipsum claudebant signacula libri. Sed quæ fuere septẽ illa signacula? Subdit eorum duas Bernardus interpretationes: Vel enim per illa significabatur, Christum fuisse perfectum hominem, cõpositum scilicet ex anima rationali tribus insignita potentijs, Intellectus, Memoriæ, Voluntatis: & ex corpore, cuius quadrifaria ex elementis est compositio: Vel per ista septem sigilla significabantur septẽ res in quibus maximè celabatur præsentia diuinæ Maiestatis in humana carne, ita, vt non posset aperiri liber, & sapientia quæ in eo latebat, agnosci. Primum sigillum fuit Matris desponsatio, qua partus virginis & conceptionis puritas ita vela- 6

6 & 7. Interpretatio. B Bernard. Matth. 3.

Septem res, per quas Christi latens in carne diuinitas maximè occultabatur.

velaretur, vt hominis fabri filius fabricator hominis putaretur. Secundum sigillum fuit infirmitas corporis, qua plorans, lactans, dormiens, ceterisque subiacens infirmitatibus carnis, latentem intra hæc virtutẽ Diuinitatis continebat. Tertium sigillum fuit signum circumcisionis, quam recepit quasi peccati remedium & ægritudinis medicinam qui morbum omnem tollere venerat & peccatum. Quartum sigillum fuit eius fuga in Aegyptum, nã fugiens irã Herodis Reguli nec Dei Filius agnosci poterat, nec Rex cœ-

Matth. 4. li. Quintum sigillum fuit trina Diaboli tentatio in deserto, in pinnaculo, & supra montem, per quas Dæmoni explorare cupienti vtrum Filius Dei esset, ita suam ipse diuinitatem abscondit, vt ille seductor pro certo haberet, illum esse purum hominem: & in tantam vesaniam superbia cœca prorupit, vt iam diceret: *Si Filius Dei es*, &, *Hac omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Sextum signaculum fuit scandalum crucis, in qua pependit inter latrones, & cum iniquis reputatus est Dominus maiestatis. Septimum sigillum fuit sepultura eius: nec sanè vllum aliorum sic obstruxit, & sic occultauit magnum illud pietatis Sacramentum; sepulto nimirum Domino sola restare desperatio videbatur, adeò vt Discipuli eius dicerẽt,

Luc. 24. *Et nos sperabamus quòd ipse esset redempturus Israel*. Quis non fleret in tempore illo clausum arctius librũ, nec esse qui aperiret eum? Sed qui tanquam agnus occisus fuerat, vt leo victor resurrexit, & resolutis sigillis librum aperuit, declarans ea signacula vel operimenta fuisse voluntaria & non necessaria, nec fuisse conditionis, sed dignationis. Hæc sanctus Bernardus.

8. Interp. 7 Est alia quorundam Interpretatio, similis quidem proximè superiori quantum ad libri significatum qui est Christus, sed quantum ad sigillorum libri significationem est dissimilis. Est itaque secundũ istos, iste liber ipse Christus: & est intus & foris scriptus, intus, quantum ad mysteria Diuinitatis, foris, quantũ ad mysteria Humanitatis, & vtraque mysteria sunt incomprehensibilia tam homini, quàm Angelo. Tria porro sigilla spectant ad Diuinitatem: & horum primum est illud arcanum impenetrabile, Cum sit Deus perfectissimè vnus atque simplicissimus, nihilominus tamen simul cum ista perfectissima vnitate & simplicitate, esse in Deo personã realiter producentem, & personam realiter productam, easque omnino idem esse secundum substantiam, & secundum omnem perfectionẽ. Secundum sigillum Diuinitatis est, cum diuinæ personæ secundum aliquid realiter conueniant, & secundum aliquid realiter distinguantur, & cum nihil in Deo sit quod non sit perfectio, hoc tamen nihil diminuit de summa simplicitate Dei, nec vllam facit in eo compositionem. Tertiũ sigillũ, cur secunda persona diuina producta sit vt filius, & nõ itidẽ tertiã persona; cum vtraque persona producatur a simili, & secundũ omnimodam naturæ similitudinẽ. Quatuor reliqua sigilla pertinẽt ad quatuor mysteria humanitatis Christi. Primum pertinet ad vnionem naturæ humanæ cum natura diuina in persona Verbi: Secundum, ad generationẽ Christi ex matre Virgine sine virili semine: Tertium, ad duplicem statum eius dum fuit in terris, fuit enim secundùm partem superiorem comprehensor & beatus; secundum verò partem inferiorem viator & passibilis, nec vnus istorum statuum re vlla perturbabat & impediebat alterum: Quartum ad inenarrabilem modũ existendi in Sacramento Eucharistiæ. B. Vincentius Ferrerius in Sermone 1. de Trinitate, hæc septem sigilla refert ad septem maximas difficultates quæ sunt in mysterio Trinitatis.

Seraphi-

8 *8. Interpr. Seraphinus Firmanus.* Seraphinus Firmanus istum librum interpretatur passionē Christi: qui scriptus fuit foris quantum ad passiones corporis, & intus, quantum ad passionem animæ, sicut ipse dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Septem sigilla sunt septem secreta quæ latuerunt in passione Domini, hominum sensibus atque iudicijs omnino contraria: quorum secretorum ignoratio illius libri cognitionem reddit abscōditam & incomprehensibilem. *Septē res, quæ in passione Christi latuerunt, mortalium iudiciū prorsus cōtraria.* Septem verò ista secreta sunt huiusmodi: Primum, Summa (hominum iudicio) impotentia in Omnipotente: Secundum, Summa pœna & dolor in impassibili: Tertium, Summa stultitia (secundum existimationem hominum) in diuina Sapientia: Quartum, Summa paupertas & inopia in Deo diuitiarum: Quintum, Summa ignominia in diuina gloria & maiestate: Sextum, Summa derelictio Christi in Cruce pendentis à Deo Patre in vnione perfectissima cum ipso: Septimum, Summa seueritas & quasi crudelitas (vt putabatur) Dei Patris aduersus Christum tali morti eum tradentis, in summo tamen amore Patris erga Filium in ea ipsa mortis atrocitate. Hęc igitur quæ videntur humano iudicio incredibilia atque impossibilia, verissima tamen esse in Christi cruce & passione inuenta sunt.

†

TERTIA Disputatio,

Refertur eiusdem libri & sigillorum eius interpretatio, à supradictis interpretationibus longè diuersa, sed eis, quod ad litteralem sensum attinet, probabilior quam Aureolus, & Lyranus, & Carthusianus tradiderunt.

LIBER iste, ait Petrus Aureolus, est liber Diuinæ præscientiæ in qua tanquam descripta continētur futura omnia. 9 *10. Interp. Aureolus.* Dicitur fuisse scriptus foris & intus, vt indicetur plenitudo Scripturæ & multitudo eorum quorum præsciētiam continebat liber. Et vt significaretur magna eius libri obscuratio, & rerum in eo contentarū occultatio, dicitur liber fuisse signatus sigillis septem. Sic ille. Sed hāc eius breuissimam interpretationē explicatius, & distinctius, expressiusque tradens Lyranus, hunc in modum scribit: *Lyranus.* Liber iste est Dei præscientia, in qua omnia futura distinctè velut descripta continentur: Scientia verò Dei dupliciter considerari potest: *Duplex cōsideratio scietiæ Dei.* vel vt extenditur ad omnia possibilia etiam quæ nunquam fuerunt neque vnquam erunt, quæ vocatur a Theologis scientia simplicis notitiæ vel intelligentiæ; vel consideratur Dei scientia, vt respicit existentiam rerū secundum quamlibet temporis differentiā, id est, res omnes & præteritas, & præsentes, & futuras: & huiusmodi res sunt in potētia Dei operatiua, & hęc vocatur scietia visionis, quā Deus omnimodā tradidit Christo, & Christus per Angelum tradidit

tradidit Ioanni, non quidem ex toto, sed ex ea parte, qua respicit ea quæ in Ecclesia erant futura, & quę in Apocalypsi per diuersas Visiones significata sunt. Dei verò potentia eiusmodi rerum effectiua metaphoricè appellatur dextera, quia nos per manum, maximè verò per dexteram, operamur: Quam ob rem liber continens notitiam eorũ quæ Deus facturus erat, vel fieri permissurus, dicitur fuisse in dextera Dei. Libri autem signatio, est occultatio diuinæ scientiæ respectu futurorum quæ facturus est Deus; quoad ipse reuelet ea, vel quoad illa perducta sint ad effectum. Septenarius numerus sigillorum quibus liber signatus est, denotat, vt placet quibusdam, vniuersitatem obscuritatum, & difficultatum latentium in diuina præscientia futurorum, ita vt determinatus numerus sit positus pro indeterminato. Sed quia paulo infra singillatim aperiuntur septem ista sigilla, & in apertione cuiuslibet sigilli, noua & distincta ostenduntur portenta rerum futurarum, idcirco rectius dicetur; sigilla illa non esse aliud nisi Dei voluntatem quæ arcana suæ præscientiæ claudit & aperit quamdiu vult, & prout vult, & quibus vult. Septenaria igitur sigillorum apertio, est septenaria reuelatio Dei facta Ioanni per septem imagines & similitudines, ad significandum septem genera rerum quæ in diuersis temporibus futura erant. Hæc Lyranus.

Carthusianus.

20 Ad eandem fermè sententiam, & librum & sigilla eius Carthusianus interpretatur: In volumine, inquit, Apocalypsis per varias visiones & imagines significatur multiplex Ecclesiæ status, & processus ab eius ortu vsque ad finem in terris. Vidit igitur Ioannes in dextera Dei librum illum continentem ea quæ de futuris in Ecclesia siue prosperis, siue aduersis reuelata sunt Ioanni, & in hoc volumine scripta. Sicut etiam Ezechiel vidit librum quã continebat ea quæ volebat ei Deus reuelare, & quæ ab ipso in illo suo prophetico volumine conscripta & memoriæ prodita sunt. Quòd autem liber ille quem vidit Ioannes erat intus & foris scriptus, id significabat; librum illum fuisse multis & magnis refertum mysterijs, vel quòd quędã haberet clara, & quasi foris exposita, pleraque verò haberet recondita & perobscura, vel quędam pertinentia ad præsentem Ecclesiam militantem, alia verò ad triumphantem. Obsignatio autem libri significat, ea quæ in eo sunt & & obscurissima esse, & pretiosissima, & certissimæ fidei atque auctoritatis; ob hæc enim tria & libri & aliæ res obsignari solent. Signatio itaque libri, est occultatio mysteriorum quæ in eo continentur: apertio verò libri est reuelatio eorum mysteriorum. De significatione autem septem sigillorum in particulari cõmodius infra dicetur, vbi apertio sigillorum enarratur. Illum porrò librum fuisse in dextera Dei, tria significat, & res quæ in eo continentur, esse maximi pretij & momenti; & in solius Dei esse potestate & voluntate, ea res tradere vel non tradere; ac demum, eas res in potentia & prouidentia Dei esse, quippe qui vel facturus eas res sit, vel fieri permissurus: vt intelligatur, omnia quæ fiunt, vel facienda sunt, vel aliquando facta sunt, à Dei voluntate vel effectiua, vel permissiua pendere. Et hæc quidem interpretatio. nis Carthusiani sententia est.

Cur fiat rerum obsignatio.

QVAR-

QVARTA Disputatio.

Auctoris de supradictis Interpretationibus iudicium indicatur.

11 HÆC mihi vltima Interpretatio videtur non solùm superioribus interpretationibus esse verisimilior, verùm etiam planè vera & certa; quòd ea sit tũ ijs quæ in hoc Capite dicit Beatus Ioannes describendo Visionem illius libri; tum etiam ijs quæ scribit in duobus proxime sequẽtibus Capitibus apertionem singulorum sigillorum enarrando. Liber itaque visus à Beato Ioanne in dextera Dei, significabat diuinam præsciẽtiam & prouidentiam rerum maximè insignium & memorabiliũ, præcipuè deinceps circa Ecclesiã futurarum, tam aduersarum, quã secundarum. Hæc autem præscientia & prouidentia in solius Dei potestate ac voluntate est, & supra omnem creatæ naturæ facultatem: quam primò Christus accepit à Patre, & per Angelum reuelauit Ioãni, eamque reuelationem scripto tradi voluit Ecclesiæ: Septem autem eius libri sigilla significabant maximam obscuritatem & difficultatem circa septem mysteria futurarum rerum quæ in apertione septem illorum sigillorum ostenduntur. Et Christus quidem per Angelum aperuit Ioanni sigilla, non modo quantum ad figuras & imagines futurarũ significatiuas, sed etiam quantum ad ipsarum rerum figuratarum atque imaginatarum intelligentiam: nobis autẽ reuelationem ipsarum figurarum & imaginum scriptis comprehensam prodi voluit, earum tamen significationem & intellectum nõ manifestauit.

Confutatio aliarum interpretationum.

12 Alias porrò superiores interpretationes quæ librum & signacula eius referunt vel ad sacram Scripturam, & varias in ea latentes obscuritates, & difficultates, vel ad Christum & vitæ eius mysteria; vt non negauerim & veram, & piam, & theologicam continere doctrinam; ita non dubitanter dixerim, eas ad mysticum potius sensum, quam ad historicam & litteralem pertinere; nec satis cohærere & cõgruere cum ijs quæ dicit Beatus Ioannes, tam in descriptione huius Visionis, quàm deinde in apertionis singulorum sigillorum enarratione. Hoc ego duobus ad præsens declarabo & firmabo argumentis: Secundùm enim istas interpretationes non videtur illud esse verũ quod dixit Ioannes, Nullum esse inuentum neque in cœlo, neque in terra, qui librum aperire & signacula eius soluere posset. Veteris namque Testamenti prophetias intellexerunt Prophetæ qui à Deo eas acceperunt, & prædicauerunt alijs, & monumentis litterarum consignatas tradiderunt posteris: Et Dominus Iesus post resurrectionem suam Apostolis aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas: (*Luc. vlt.*) & mysteria vitæ Christi cognita habuerunt Apostoli, Paulus enim in suis Epistolis plurifariam gloriatur in Domino quòd profundissima mysteria ad Christum & Ecclesiam eius pertinentia, & quæ prioribus generationibus fuerant abscondita; & sibi & alijs Apostolis reuelata & manifestata fuissent. Quòd si hæc in tempore huius Visionis iam fuerant in terris nonnullis hominibus reuelata, quanto magis in cœlo Angelis & beatis hominibus qui ante huius Visionis tempora in cœlis? Cũ igitur Ioannes dicat, eo tempore

quo

quo hanc ipse Visionem habuit, fuisse librum illum clausum, nec esse tunc inuentum aliquem qui posset librum aperire, aut videre illum, id est, quæ in libro illo scripta erant legere & intelligere; ex eo manifestum fit, librum illum, & signacula eius, neque ad Scripturę obscuritates & difficultates, neque ad mysteria vitæ Christi pertinuisse, secundùm litteralem & primarium sensum.

13. Alterum argumentum eidem rei fidem faciens est huiusmodi: Supradictæ interpretationes minimè conueniunt neque congruunt cum apertione singulorum septem sigillorum quæ infrà Capite sexto, & septimo distinctè, ac singulatim, & subtiliter enarrantur. Namque in apertione cuiuslibet illorum sigillorum nouũ semper aliquod ostentum videtur, nouumque proditur mysterium præsignificans ferè non præterita, vt sunt Scripturæ & vitæ Christi mysteria, sed futura, etiam quę nouissimis temporibus, & proximè finem mundi ventura sunt. Hoc autem secundùm alias interpretationes prænarratas suprà, quæ omnia referunt ad Scripturas vel Christi mysteria, consistere non potest: Quòd autem Visio hæc maxima in parte ad futura spectet, prædocuit Ioannem Angelus, vt supra initio quarti Capitis scriptum est, cum ei dixit, *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri citò*, vel sicut habet Græca lectio, *Quæ oportet fieri post hæc.*

†

QVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et uidi Angelum fortem prædicantem uoce magna; Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multùm, quia nemo inuentus est dignus aperire librum, nec uidere illum. VERS. 2. 3. & 4.

Etiam infrà Beatus Ioannes duorum Angelorum mentionem faciens, eos appellat Angelos fortes, sicut initio decimi Capitis, *Et vidi*, inquit, *alium Angelum fortem descendentem de cœlo.* Et in Capite 18. ita scriptum est, *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum, & misit in mare.* Quęrunt Explanatores huius libri, quisnam fuerit Angelus ille fortis quem in hac Visione Beatus Ioannes vidit. Lyranus putat fuisse Gabrielem, quia nomen eius significat fortitudinem Dei. Carthusianus verò arbitratur, fuisse eundem illum Angelum per quem Deus omnia mysteria, in hoc libro descripta, reuelauit Beato Ioanni. Is enim fingebat in animo Ioannis imagines diuersarum personarum cum ipso loquentium, interdum quidem Angelorum, alias verò quatuor Animalium, aliquando verò viginti 14

Quis fuerit ille Angelus fortis.

Lyranus.

Carthusianus.

viginti quatuor Seniorum, nonnunquam etiam ipsius Christi: Nisi fortasse dictus sit Angelus fortis, quia erat vnus ex Angelis primarijs, quibus præcipuè custodia & cura hominum à Deo imposita est. Hic autem Angelus clamabat voce magna, quò vehementius animum mentéq; Ioan. aduerteret ad cōsiderāda mysteria ei demōstrāda & quò ardentius eū cupiditate noscendi ea mysteria inflammaret.

Audit.

15 Ioachimus opinatur, Angelum illum fortem fuisse Ioannem Baptistam, qui & Angelus dictus est, & se dixit ipse. *Venit fortior me, cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius* Vt enim in calceamento pes, ita in litera, spiritalis intelligentia latet; Ioannes itaque Angelus fortis erat, quia ad fortitudinem Dei prænuntiandam & digito demonstrandam missus fuerat, qui se tamen imparem esse fatetur soluēdæ corrigiæ calceamētorū eius, id aūt est, aperiendo libro & soluendis signaculis eius; idem enim calceamenti corrigia ligat, quod signaculis liber signatus clauditur.

Ioachimus. Matth. 11. Matth. 3.

16 Rupertus (videtur autem quæ dicit hoc loco, mutuatus ab Ambrosio) Angelum illum fortem voce magna prædicantem, significasse ait veterum Patrum expectationem & anhelans ardensque desiderium aduentus Messiæ, & mysteria eius completa videndi. *Multi Prophetæ & reges*, dixit Dominus discipulis suis, *voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt* Audierāt illi veteres Iusti, & legerant de Filij Dei incarnatione, passione, resurrectione, ascensione in cęlum, missione Spiritus Sancti, de vocatione Gentium, & de nouissimo Christi aduentu ad iudicandum Mundum Legerant, inquam, hæc, & desiderantes atque suspirantes eorum adimpletionem clamabant, Quis erit dignus aperire librum, & soluere signacula eius? & nullum talem reperiebant, neque in cęlo inter Angelos, neque in terra inter Prophetas aliosve homines iustos, neque sub terra inter sanctos Patres qui erant in limbo, nullum, inquam, talem reperiebant in quo & per quem talia mysteria complerentur. Sic Rupertus. Satis profectò fuerat dixisse, nullum fuisse inuentum in cœlo dignum aperire librum, Si enim non erat in cęlo, multominus in terra vel sub terra: sed amplificandi gratia hoc addidit, significare volens nullam prorsus creatam naturam fuisse dignam aperire librum. Et in eo quidem tempore quo facta hæc Visio est, nullus iam erat sub terra in limbo illorum veterum Patrum & Iustorum, quos scilicet omnes inde Christus eduxerat, & secum ascendens in cęlum in cœlestem Patriam introduxerat.

Rupertus ex Ambrosio.

Sequuntur illa verba: *Et ego flebam multū, quia nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.* 17 Inopinabile profectò est, &, vt vocant Græci, παράδοξον, quod explanans hæc verba, scriptum reliquit Andreas, Ob id forsitan, inquit Andreas, tantopere flebat Ioannes, quod animo suo versaret num fortè ipsa etiam Angelica natura in mortiferam ignorationem prolapsa esset. Sic ille. Verum absit vt credamus tam crassam Beato Ioanni dubitationem vel suspicionem accidisse, cui nempe penitus cognitum, & omnino certum erat, nullam, ne leuem quidem culpam, nedum mortiferam in cęlestes beatosque Angelos cadere posse. Ergo Beatus Ioannes, cum bene intelligeret, præstantissima cognituque dignissima in eo libro contineri mysteria, partim dolore, quod nullus eum librum aperire potuisset partim flagrantissima cupiditate cognoscendi ea mysteria, prorupit in fletum, non sanè verū fletū, hæc enim omnia in visione imaginaria gerebant: sed in illa extasi & raptu spiritus videbatur sibi fle-

Andreæ falsa opinio.

re. De quo fletu loquens Rupertus, In illa, inq t, mirabili Visione & mẽtis excessu, præ dulcedine rerum quas viderat, & multo magis quas cognoscere cupiebat, flebat Ioannes, suoque fletu veterum Sanctorum desiderium quàm fuisset flebile, in seipso experiebatur: Sicut igitur Daniel, ita etiam Ioãnes vir desideriorum appellari potuit. *Dan. 10.*

18 Super illis verbis, *Nemo inuentus est dignus aperire librum, nec videre eũ,* mouet Ambrosius quæstionem huiusmodi: Quo modo verum est, neminem videre potuisse librum illum, cum ipse Ioannes dixerit, se librum illũ vidisse in dextera Dei, & vidisse scriptum intus & foris, & signatum septem signaculis? Huic quæstioni Ambrosius ita respondet, Antiquos Patres librum, id est Scripturam Veteris Testamenti vidisse quidem secundum litteram, sed non vidisse secundum spiritalem intelligentiam in littera inclusam: quæ tamen intelligentia spiritualis potior multo est quam litteralis notitia. Sic Ambrosius. Sed enim hoc Ambrosij responsum, si præcisè & absolutè accipiatur, nõ est verum: Prophetæ namque alijque viri diuinitus illuminati, & legis, & prophetiarum non solum litteralem & historicum sensum foris apparentem, sed etiam interiorem intellectum, principaliter à Spiritu sancto intentum, per spectum & cognitum habuerunt: Hac enim de causa de Mose dixit Dominus, *Ille de me scripsit.* Adijce, quòd non solum de hominibus qui in terra sunt, sed etiam de Angelis qui sunt in cœlo, dictum est, quod nullus videre poterat librum: quis autem dixerit, nullum Angelorum habuisse spiritualem & principalẽ intelligentiam sacræ Scripturæ & mysteriorum eius, cum ea ipsa mysteria per Angelos Prophetis reuelata fuerint? Ergo *Videre librum*, hoc loco dictum est pro eo quod est videre, & cognoscere mysteria quæ in eo libro continebantur; sicut apud Danielem scriptum est, nullum potuisse legere scripturam illam in pariete exaratam, cum ea tamen esset vel Hebraicè, vel Chaldaicè scripta.

Quæstio Ambrosij.

Animaduersio in Ambrosij sententiam

Ioan. 5.

Danielis 5.

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 5.

Et vnus de Senioribus dixit mihi, Ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere signacula eius.

QVIDAM diuinare voluerunt quis fuerit ille vnus de Senioribus qui hæc locutus est Beato Ioãni; Et aliqui, referente Carthusiano, dixerunt fuisse Matthæum Apostolum & Euangelistam, cuius extrema fermè Euangelij verba sunt illa Christi Domini, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, quæ potestas insinuari videtur hoc loco. Sed hæc opinio non placet Lyrano, cui videtur probabilius, istum Seniorem fuisse Beatum Petrum pluribus ante Visionis huius tempora annis martyrio coronatum, & in cœlo manentem. Sed, vt dixi hoc diuinare potius est quam probabile quippiam dicere. 19

Quis fuerit ille Senior. Carthusianus.

Illis verbis, *Vicit leo de tribu Iuda*, proculdubio alluditur ad illud vaticinium Iacob de Iuda, *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum?* Dicitur hoc loco præcisè, *Vicit*, vt denotaretur excellentia victoriæ CHRISTI super victorias omnium Sãctorum, Solus enim ipse vicit, nec vi- 20

Gen. 49.

ctus

Ioan. 16. ctus est vnquam, nec vinci potuit, de qua victoria ipsemet loquens, *Ego*, inquit, *vici mundum*, &, *Nunc Princeps huius mundi ejcietur foras*, &, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum* Verùm de victoriæ Christi excellentia pluribus verbis supra dictum est in Disputatione XXIX. super Caput quartum huius libri. Ponitur autem hoc loco verbum *Vicit*, intransitiue, pro eo quod est præualuit, siue potens fuit, ad hoc, vt aperiret librum, & solueret signacula eius. Similiter ponitur idem verbum *Vinco*, in illis verbis Psal. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Comparatur porrò Christus leoni propter eximiam fortitudinem, & aduersus omnia impauidum animum, & propter regiam quandam inter cætera animalia dignitatem. Dæmon etiam comparatur leoni a Beato Petro, *Diabolus*, inquit, *tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*, propter naturalem videlicet leonis voracitatem, & ferocitatem, & vim nocendi tam dentibus quam vnguibus.

1. Pet. 5.

Quomodo Christus dicatur radix Dauid quatuor interpretationes.

21 Sed quid est illud *Radix Dauid*? Nam sicut dixerat, fuisse eum de tribu Iuda, ita dicendum videbatur, ipsum esse ex radice Dauid, non autem quod ipse esset radix Dauid. Respondet Andreas & Rupertus & complures alij, Christum, quantùm ad Humanitatem, fuisse ex radice Dauid: Factus enim est ex semine Dauid secundum carnem; quantum verò ad Diuinitatẽ fuisse eum radicem ipsius Dauid, id est, Creatorem & Dominum ipsius. Atque vtrumque hoc videtur indicasse Esaias in Capite vndecimo, nam primo loco loquens de Messia secundum Humanitatem eius, *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse.* Et paulò post de eodem Messia secundum Diuinitatem loquens subdit, *In die illa radix Iesse, qui stat insignum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Sicut igitur Dominus illis verbis Dauidis, *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*, argumentabatur contra Iudæos, Messiam non modo futurum fuisse filium Dauidis, sed etiam Dominum eius, volens vtrique significare, non tantum ipsum fore hominem, sed etiam Deum, ita verè dicitur idem Messias fore & ex radice Dauidis, & radix ipsius Dauidis.

1. Interpr. Andreas. Rupertus. Rom. 1.

M. 22. Psal. 109

2 Interpre.

22 Dici præterea Christus potest radix Dauidis, etiam secundum Humanitatem, non quidem generationis Dauidis, non enim Dauid ex Christo, sed Christus ex Dauide secundum carnem generatus est, sed radix dicitur Dauid respectu eximiæ sanctificationis eius, & exaltationis, atque glorificationis; Ob eam enim maximè causam Dauid tot tantisque bonis & spiritualibus & corporalibus atque temporalibus ornatus à Deo & cumulatus est, quod ex eius stirpe præcipua quadam ratione generandus erat Messias, & specialiter appellandus Filius Dauid. Posset item illa vox *Dauid*, sumi adiectiuè, vt Christus dictus sit radix Dauid, pro (radix Dauidica) subintelligendo, vel (Gẽtium,) vel Ecclesiæ, vel (Electorũ) Omnino Beatus Ioannes paucis, hisce verbis ostendere voluit, Dominum nostrum Iesum fuisse verũ Messiam, qui scilicet prædictus fuerat à Iacob Patriarcha, & Regi ac Prophetæ Dauidi promissus. Putat noster Ribera Ioannem appellasse Messiam radicem Dauid ex more loquendi Hebræorum qui radicẽ vocant non solum eam quæ dicitur propriè radix, sed ipsum etiam germen ex radice succrescens, & virgam ex ipsa radice prodeuntem: Nam in illis verbis Isaiæ, *Egredietur virga de radice Iesse*, ipse cum Hebræis virgam interpretatur Messiã radicem vero Iesse, ipsum Dauidem filium Iesse. Et apud eundem Esaiam, *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*,

Genes. 49.

4 Interpre. Ribera.

Esa. 11.

Esa. c. 53.

Deus Sabaoth, plena est omnia terra gloria eius. Et quibusdam interpositis subdit, à cœlestibus illis Spiritibus laudari diuinissimam Monadem, atque in tribus Personis Vnitatem, quæ à summis illis Angelicisque substantijs, vsque ad terræ nouissima, ineffabili benignitate pertingat, & quæ sunt, omnia pro uidentiæ suæ ratione moderetur, tanquam totius prouidentiæ singulare principiũ, & causa, omnia super substantialiter, & inuiolabili modo comprehensa continens Ita B. Dionysius. B Epiphanius etiam hoc Trisagion de Diuina Trinitate & Vnitate interpretatus, in suo Ancorato ita scribit: Beata Seraphin, & sancta illa, & spiritualia quatuor Animalia in cœlo clamant perpetuo ter dicentia Sãctus Non enim per duas voces glorificatio Dei in cęlis perficitur, neque per vnam, neque per quatuor, aut plures, sed per tres voces, & has sigillatim, & in singulari numero. Non enim dicunt, Sancti, Sancti, Sancti, sed Sanctus, Sanctus, Sanctus: quo singulare celebre pronũcient, neque multitudinis numerum occultent: sed ter dant sanctificationem, vniformiter autem, & singulariter proferunt sermonem: nẽ multitudinẽ Deorum nominent, vnus enim est Deus, Pater in Filio, & Filius in Patre cum Sancto Spiritu. Pater verus in substantia, & Filius verus in substantia, & Spiritus verus in substantia: tria existentia, vna Deitas, vna Essentia, vna glorificatio, vnus Deus. Sic Epiphanius.

Epiphanius.

204 Sed enim, Ariani sanctissimæ Trinitatis hostes negabant, trina illa vocis Sanctus, inclamatione significatas esse tres diuinas hypostases in vna substantia Deitatis: sed quia numerus ternarius denotat perfectionem, aiebant, per trinam illam sanctitatis appellationem significari infinitam perfectionẽ sanctitatis quæ est in Deo, vt idem sit dicere, Deus sanctus, sanctus, sanctus, quod, Deus maximè atque infinite sanctus, iuxta illud videlicet quod Poeta dixit,

In Arianos

O terque quaterque beati.

Virg. 1. Aeneid.

Verum Arianos aperte confutat narratio Esaiæ qui Deum cui Seraphim Trisagion acclamabant inducit hæc loquentem, *Et audiui*, inquit *vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit nobis.* Illud, *Quem mittam*, Deitatis vnitatem demonstrat; Illud verò, *Et quis ibit nobis*, pluralitatem in vna Deitate indicat Personarum.

105 Admonendus hoc loco est Lector, ex hoc Trisagio quod cantabant apud Esaiam Seraphim, & apud Ioannem in hoc loco Apocalypsis, quatuor Animalia, tribus additis illis vocibus (Deus, & Fortis, & Immortalis) adiectoque illo (Miserere nobis) ductum, factumque esse illud à Græcis tantopere celebratum Trisagium, (Sanctus Deus; Sanctus Fortis, Sanctus & Immortalis miserere nobis.) De cuius Trisagij cęlesti & Angelica origine, & de Catholica verborum eius sententia, & de malitiosa eorundem verborum deprauatione ab Hæreticis facta, deque summa eius Trisagij apud Catholicos reuerentia & veneratione, videat Lector Damascenum in Capite decimo libri tertij de Fide orthodoxa, & in Epistola quam de Trisagio scripsit ad Iordanum, videat etiam Felicem Papam in Epistola quam de eodem Trisagio scripsit ad Zenonem Imperatorem. Ampla etiã & honorifica huius Trisagij mentio fit in duobus Concilijs generalibus, in quarto quod fuit Chalcedonense; & in quinto quod fuit secundum Constantinopolitanum.

Locus Esa. 6.

Damascenus.

Felix Papa.

VI-

VIGESIMANONA Disputatio.

Super illis verbis :

VERS. 9. 10. 11. *Et cum darent illa Animalia gloriam & benedictionem sedenti super thronum, procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant Viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante sedentem in throno dicentes, Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*

Ambrosij quæstio, quomodo possit quispiam dare aliquid Deo.

106 SVPER eo quod hic dicitur illa quatuor Animalia dedisse gloriã, & honorem, & benedictionẽ Deo, ponit; Ambrosius quæstionem huiuscemodi: Quid potest aliquis dare Deo, aut quid ab vllo Deus accipere potest, cùm ipse creauerit omnia, & sine ipso nihil facere homines possint, ipsomet dicente, *Sine me nihil potestis facere.* (*Ioan. 15.*) Si autem Sancti sine Deo nihil possunt facere, quid ipsi possunt dare Deo? Sed quia hominum talis est natura, vt nihil boni a seipsis habere possint, nisi à Deo id accipiant qui est summè bonus & fons bonorum omnium; idcirco Deus dat id Sanctis, ob quod ipse remunerare eos possit, Regnũ nãque cœlorum Deus promisit Sanctis ea conditione vt pretiũ bonorũ operũ pro eo dent: Quoniã aũt hoc pretiũ Sancti non habent nisi à Deo accipiant, ipse dat eis hoc pretiũ vt eo possint ipsi vitam æternam emere. Dãt itaque Sancti gloriam Deo, cùm quicquid boni faciunt, eo consilio & studio faciunt, vt glorificent Deum, sicut Dominus ipse dixit, *Vt videant, opera vestra bona, & glorificent Patrẽ, vestrum qui in cœlis est.* (*Matth. 5.*) Et Ioannes Petrũ dixit glorificaturum fuisse morte sua Deũ. (*Ioan. vlt.*) Dant ẽt honorem Deo, cũ in omnib. quæ agunt, honorẽ Dei non aũt suum quærunt. Et quia Sancti cũ magna & mira faciunt, benedicuntur ab hominibus omnẽ istiusmodi benedictionẽ hominũ referunt ipsi ad Deũ. Quantoperè aũt Sancti, pro virtutib. suis & bonis operib. refugerent accipere laudẽ & honorẽ ab hominibus, ostendit liber Actuũ Apostolorum: Cũ enim ob sanitatem redditã claudo, Iudæi mirabundi Petrũ & Ioãnem intuerentur, Petrus dixit, *Quid nos intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus suscitauit Filium suum Iesum, Et fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam.* (*Act. 3.*) Paulus quoque & Barnabas volentibus populis ob miracula quæ viderant, sacrificare ipsis, scindentes vestimenta sua dixerunt, *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.* (*Act. 14.*) Hæc Ambrosius.

Quid sit, Sãctos mittere coronas suas ante thronum Dei.

Sed videamus quid mysterij 107 habeat, quod illi viginti quatuor Seniores coronas aureas de capitib. suis deposi as miserunt ante thronum Dei. Hoc nempe significabat Dei esse muneris & gratiæ quòd Sancti fortiter aduersus hostes certauerint, & quod perseuerãter certando vsque ad finem victoriæ suæ coronam cœlestem obtinuerint: Deus enim, vt Paulus inquit, operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate; (*Ad Phil. 2.*) & Esaias dixit, *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine* (*Esa. 26.*) Et Dauid ait, misericordiam Dei præuenire & subsequi nos. (*Psal. 22.* *Psal. 52.*) Et illa quidem corona

2. ad Tim. 4. cœlestis, est corona iustitiæ, sicut eam vocauit Paulus, quod iustè, tanquam merces reddatur meritis bonorum operum; eadem tamen appellatur corona misericordiæ cõtestante hoc Propheta illis verbis: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Quemadmodum autem vita æterna sit in Sanctis & corona iustitiæ, simulque corona misericordiæ, nos copiosa disputatione tractauimus in secundo Tomo nostrarum Selectarum Disputationum in Epistolam ad Romanos in disputatione nona super sextum eius Epistolæ Caput. *Psal. 102.*

108 Beatus Gregorius libro 22. Moralium Capite 5. hunc locum Apocalypsis similiter vt nos supra, interpretatus est: Coronas, inquit, ante thronum Dei Sanctos mittere, est certaminum suorum victorias non sibi sed Deo tribuere: vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciant vires accepisse certaminis. Per coronas, inquit Ambrosius, bona opera designantur: Mittu tautem Sancti coronas ante thronum Dei, quia bonorum operum suorum laudem & gloriã non sibi assumunt, sed omninò referunt ad Deum, secundum illud præceptum Apostoli, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Victorinus, per istud quod fecerũt illi viginti quatuor Seniores, significatum esse putat, victorias omnium Sanctorum Veteris Testamenti subijci victoriæ Christi, & vt maximæ, & vt causæ omnium victoriarum. Victoria sane Christi tres ob causas maxima fuit: Primũ enim, maximos hostes qui genus humanum dominatione sua oppressum & captiuũ tenebant, superauit; vicit enim malignitatem Mundi, & Diaboli potentiam euertit, Mortisque destruxit imperium. Deinde, victoriam Christi quatuor maxima bona cõsecuta sunt: quorum vnum fuit nominis Dei per vniuersum mundum manifestatio, & glorificatio; alterum generis humani à seruitute peccati, & potestate Diaboli, reatuque mortis æternæ, redemptio & liberatio; tertium, interclusi mortalibus aditus ad cœlum reseratio; quartum ruinæ Angelorum reparatio. Fuit etiam victoria Christi aliarum omnium victoriarum quas fecerunt Sancti, causa non solum exemplaris, verum etiã efficiens; per hanc quippè datur Sanctis virtus, & cum hostibus fortiter, & perseueranter pugnandi, & vincendi eos, & de victoria eorum in cœlis triumphandi, cœlestesque atque æternas coronas consequendi.

S. Gregorius. — *Ambrosius* — *2. ad Cor. 10.* — *Victorinus.* — *Victoria Christi, tres ob causas fuit maxima.*

Cum extremis illis verbis huius Capitis, *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt,* bene congruunt & consonant verba illa quæ sunt in Capite XI. libri Sapientiæ, *Quomodo,* inquit, *posset aliquid permanere, nisi tu Deus voluisses, aut quod à te uocatum non esset, quomodo conseruaretur.* Sed Ambrosius super illis verbis: *Propter voluntatem tuam erant, & creata sunt:* hanc ponit quæstiunculam: Si iam, inquit, erant, quomodo creata sunt? Creatio namque non est, nisi eorum quæ non sunt. Respondet ipse: Erant, inquit, priusquam crearentur, in potestate & voluntate Dei, creata verò sunt eo tempore quo disposuit Deus. Sed aduertat Lector, potentiam Dei vt creatiuam rerum dupliciter considerari posse: vno modo præcisè, & absolutè, & ante decretum diuinæ voluntatis creandi res; & hac ratione non est verum dicere, res priusquam crearentur, fuisse in potentia Dei creatiua propter voluntatem eius: non enim Deus potuit creare mundum, quia voluit creare illum; talis quippè creatiua potentia prior est, secundum naturæ vel rationis ordinem, quam decretum diuinæ voluntatis creandi Mundum. Altero modo potentia creatiua considerari potest, non 109

Ambrosij, quæstio. — *Duplex cõsideratio, potentiæ creatiuæ, quæ est in Deo.*

vt

vt per se indifferens est ad creandum & non creandum, sed vt per diuinam voluntatem determinata est ad creandum Mundum vnum, & non plures, tantum, & non maiorem nec minorem, & hoc tempore, & hoc modo atque ordine: Et sic verum est dicere, creaturas priusquam crearentur fuisse in potentia Dei creatiua propter voluntatem eius. Est autem illa potentia creatiua priori modo considerata, tanquam potentia remota; hæc vero coniuncta cum decreto diuinæ voluntatis creandi, est tanquam potentia proxima. Signanter porrò & consulta opera Beatus Ioannes hoc loco Dei voluntatem facit creationis rerum omnium causam, vt indicaret fecisse Deum omnia, nulla impulsum necessitate, sed mera suæ voluntatis libertate, sicut dixit etiam Dauid; *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra.* Psal. 134.

CAPVT QVINTVM.

1 *ET * vidi in dextera sedentis super thronum*
librum scriptum intus & foris, signatum si-
2 *gillis septem.* Et vidi angelum fortem, præ-*
dicantem voce magna: Quis est dignus
aperire librum, & soluere signacula eius?
3 ** Et nemo poterat neque in cęlo, neque in*
terra, neque subtus terram aperire librum
4 *neque respicere illum. * Et ego flebam*
5 *multùm, quoniam nemo dignus inuentus*
est aperire librum, nec videre eum. Et vnus de senioribus dixit mihi:*
Ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire li-
6 *brum, & soluere septem signacula eius.* Et vidi: & ecce in medio*
throni & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem
tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem; qui
7 *sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Et venit; & acce-*
8 *pit de dextera sedentis in throno librum.* Et cum aperuisset librum,*
quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderũt coram Agno,
habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum,
9 *quæ sunt orationes Sanctorum: * & cantabant canticum nouum, dicen*
tes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius:
quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tri-
10 *bu, & lingua, & populo, & natione: * Et fecisti nos Deo nostro re-*
11 *gnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. * Et vidi, & au-*
diui vocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, &
12 *seniorum: & erat numerus eorum millia millium. * dicentium voce*
magna, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & di-
uinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam,
13 *& benedictionem: * Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super*
terram, & sub terra, & quę sunt in mari, & quæ in eo: omnes audi-
ui dicentes. Sedenti in throno, & Agno: benedictio, & honor, & glo-
14 *ria, & potestas in sæcula sæculorum. * Et quatuor animalia dice-*
bant, Amen. Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas
& adorauerunt viuentem in sęcula sæculorum.

IN CAPVT QVINTVM APOCALYPSIS DISPVTATIONES SEXDECIM.

DIXIMVS supra, enarrationé huius secundæ, Visionisâ B. Ioanne traditam, esse tripertitã. In superiori enim quarto Capite declarata est magnificentia huius Visionis, describendo maiestatem Dei in throno sedentis, atque eum thronum circumstantium viginti quatuor Seniorum, & quatuor Animalium, perpetuò laudantium & glorificantium Deum. In hoc auté quinto Capite exponitur materia huius Visionis: ea verò fuit liber qui erat in dextera Dei sedentis in Throno, scriptus foris & intus, & signatus sigillis septem. In sexto autem, & septimo Capite, ostenduntur mysteria rerum futurarum per librum illum præsignata, ita vt in resolutione cuiusque illorum septem sigillorum, nouum aliquod & insigne mysterium ostendatur.

PRIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Et uidi in dextera sedentis super Thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. VERS.1

QVid liber iste scriptus foris & intus & signatus septem sigillis significauerit, obscurissimũ habet intellectum, explicatumque per difficilem; quam ob causam variæ admodum istius libri excogitatæ ac litteris proditæ sunt interpretationes: quas me hoc loco fideliter, ac distinctè, diligenterque Lectori exponere conuenit. Andreas Cæsariensis duas attigit libri huius interpretationes. Per hunc librum, inquit, tenacissimam & sapientissimam Dei memoriam accipimus, in qua, tanquam

1

1. Interpr. Andreæ.

Psal. 138.

tanquam in libro quodam, omnes homines, secundùm Dauidem, descripti sunt: operum etiam & iudiciorum Dei abyssum inscrutabilé. Libri huius intima, propter spiritum in eo inclusum, captu sunt difficilia: Externa verò, ea scilicet quæ per litteram offeruntur, minori negocio capiuntur. Septem porrò sigilla, certam libri huius fidem, nullique mortalium satis perspectam eius firmitatem significant: aut eius ordinem & dispositionem, qui diuini Spiritus profunda scrutatur; quæ omnia nulli omninò creatæ naturæ nota esse possunt. Licet præterea per istum librum ipsam in vniuersum prophetiam intelligere quam Christus Dominus in se adimpletam esse in Euangelio secundùm Lucam asserit. Sic Andreas.

2. Interpr.

3. Interpr. Victorini, Ticonij. S. Hieron Primasii, Beda, & aliorum.

2 Sed communis fermè interpretatio & sententia Explanatorum huius libri est, per istum librum significatam esse sacram Scripturam Veteris & Noui Testamenti. Hæc nimirùm est interpretatio Victorini, Ticonij, & B. Hieronymi in secundum & quadragesimum quartum caput Ezechielis, Primasij, Ambrosij, Bedæ, Haymonis, Ansberti, Anselmi, Ruperti, Ricardi, Ioachimi, aliorumque Sacra autem Scriptura, licèt multos in libros digesta sit, singulari tamen numero dicitur liber; tum quia vno Dei Spiritu vniuersa est inspirata & condita, tum propter summam inter se Veteris ac Noui Testamenti consonantiam atque concordiam. Dicitur iste liber in dextera Dei fuisse, sicut etiam de lege diuina scriptum est, *In dextera eius ignea lex.* Dicitur liber scriptus fuisse intus, quantùm ad Nouum Testamentum; foris autem, quantùm ad Vetus: quia Vetus erat velamen & promissio Noui, & Nouum est reuelatio & adimpletio Veteris: vel foris, quantùm ad litteram; intus verò, quantùm ad spiritum: vel foris quantùm ad historiam; intus, quantum ad allegoriam, & tropologiam, & anagogiam.

Deuteronomij 33.

3 Iam verò septem sigilla significant plenitudinem mysteriorum Christi, quę in sacra Scriptura continentur, quæ nisi Christus ipse adueniens compleuisset, nemo intellexisset; quocirca Iudæi qui etiam nunc Messiam venturum expectant, licèt manibus versent terantque hunc librum, & oculis lustrent, linguaque pronuncient ac celebrent, eum tamen haudquaquam intelligunt. Quin etiam interpretari eum volentes, valdè alienas, & ineptas, & absurdas, atque impias, ridiculasque effiiunt interpretationes.

Secundùm Primasium & Bedam, septenario numero sigillorum significatur multitudo vel etiã vniuersitas difficultatum atq; obscuritatum sacrę Scripturę propter mysteria quæ in ea latent. At verò, secundùm Rupertum, significantur septem præcipua Christi mysteria, Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio in Cœlum, Missio Spiritus Sancti, Vocatio Gentium, & secundus eius aduentus.

4 Nonnulli per istum librum similiter ac supradicti Auctores, intelligunt sacram Scripturam: Septem tamen eius libri sigilla diuersè interpretantur. Aiunt enim, per ista sigilla esse significata septem genera rerum proprie ad Messiam pertinentium, quæ in sacra Scriptura continentur. Primi generis fuerũt Prophetiæ de Generatione & Passione Messiæ. Secũdi generis fuerũt multiplices in veteri Testamento figuræ ipsius Messię, tam in Legalibus ceremonijs & sacrificijs, quàm in quibusdam insignioribus personis, earumq; personarum factis memorabilibus. Tertij generis fuerũt diuinæ promissiones ingentium bonorum, in speciem quidem, corporalium & temporalium, reuera tamen spiritualium æternarumque, quæ Messiæ tempore futura erant, Quarti

4. Interpr.

Septem genera rerũ ad Messiã pertinẽtiũ, & in veteri Scriptura latentium.

Quarti generis fuit mysteriũ æternitatis & diuinitatis Messiæ, simulque Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Quinti generis fuit duplex Messiæ aduentus, prior in humilitate; posterior in maiestate. Sexti generis fuit Legis, & Sacerdotij Iudaici translatio in Legem & Sacerdotium Euangelicum. Septimi generis fuit repudiatio Synagogæ & populi Iudaici, & electio Ecclesiæ Gentium.

5. Interpr.

5 Quidam arbitrati sunt, per istum librum esse significatum maximum illud debitum, & damnum, atque reatum, quo Adam per suum peccatum & se, suamque posteritatem, atque vniuersum genus humanum obstrinxit, ac perdidit, reuera cõtinens Væ & lamentationes amarissimas, sicut liber ille Ezechielis. Dicitur autem iste liber fuisse scriptus intus & foris, quia genus humanum ob peccatum Adę vitiatum est & intus, quantum ad animam, & foris, quantum ad corpus & res externas. Erat porrò liber signatus sigillis septem, quia ob peccatũ Adæ facti sumus septem grauissimis malis obnoxij. Primum malum fuit Iniuria & offensa Dei: secundum, Pœna damni; id est, amissum ius capessendæ hæreditatis cœlestis: tertium, Reatus æternæ mortis: quartum, Necessitas corporaliter moriẽdi: quintum, Captiuitas sub Diaboli potestate: sextum, Natiua quædam obliquitas & auersio ab incõmutabili & increato bono qui est Deus, & vehemens procliuitas & conuersio ad bona creata & temporalia: septimum denique fuit Concupiscentiæ fomes, & rebellio carnis aduersus Spiritum. Hæc verò mala nec omnia, nec singula vllus præter Christum superare ac delere potuit: Ea tamen omnia mala superasse ac sustulisse Christum, ex doctrina Euangelica & Apostolica, præsertim autem ipsius Pauli, manifestum est.

Ezech. 2.

Septẽ ingẽtia humani generis mala ex peccato Adæ.

SECVNDA Disputatio.

Commemorantur & sancti Bernardi, aliorumque Interpretationes qui significationem huius libri & septem sigillorum eius referunt ad Christum Dominum nostrum.

SAnctus Bernardus in sermone primo de sancto die Paschæ locũ hunc Apocalypsis sane quàm pie & doctè, ac luculenter tractans hunc in modũ scribit: Liber iste Christus ipse est. Quis autem aperire eum posset, cũ Ioannes Baptista se indignum esse esse profiteatur soluere corrigiam calceamenti eius? Venerat nimirũ ad nos calceata Maiestas, Diuinitas incarnata; Venerat Dei Sapientia, sed in libro clauso vtique & signato: quod enim ligabat corrigia calceamenti, hoc ipsum claudebant signacula libri. Sed quæ fuere septẽ illa signacula? Subdit eorum duas Bernardus interpretationes: Vel enim per illa significabatur, Christum fuisse perfectum hominem, cõpositum scilicet ex anima rationali tribus insignita potentijs, Intellectus, Memoriæ, Voluntatis: & ex corpore, cuius quadrifaria ex elementis est compositio: Vel per ista septem sigilla significabantur septẽ res, in quibus maximè celabatur præsentia diuinæ Maiestatis in humana carne, ita, vt non posset aperiri liber, & sapientia quæ in eo latebat, agnosci. Primum sigillum fuit Matris desponsatio, qua partus virginis & conceptionis puritas ita vela- 6

6 & 7. Interpretatio. B. Bernard. Matth. 3.

Septem res, per quas Christi latens in carne diuinitas maximè occultabatur.

8. Interpr. Seraphinus Firmanus.

8 Seraphinus Firmanus istum librum interpretatur passionē Christi: qui scriptus fuit foris quantum ad passiones corporis, & intus, quantum ad passionem animæ, sicut ipse dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Septem sigilla sunt septem secreta quæ latuerunt in passione Domini, hominum sensibus atque iudicijs omnino contraria: quorum secretorum ignoratio illius libri cognitionem reddit abscōditam & incomprehensibilem. Septem vero ista secreta sunt huiusmodi: Primum, Summa (hominum iudicio) impotentia in Omnipotente: Secundum, Summa pœna & dolor in impassibili: Tertium, Summa stultitia (secundum existimationem hominum) in diuina Sapientia; Quartum, Summa paupertas & inopia in Deo diuitiarum: Quintum, Summa ignominia in diuina gloria & maiestate: Sextum, Summa derelictio Christi in Cruce pendentis à Deo Patre in vnione perfectissima cum ipso: Septimum, Summa seueritas & quasi crudelitas (vt putabatur) Dei Patris aduersus Christum tali morti eum tradentis, in summo tamen amore Patris erga Filium in ea ipsa mortis atrocitate. Hęc igitur quæ videntur humano iudicio incredibilia atque impossibilia, verissima tamen esse in Christi cruce & passione inuenta sunt.

Septē res, quæ in passione Christi latuerunt, mortalium iudicijs prorsus cōtraria.

TERTIA Disputatio.

Refertur eiusdem libri & sigillorum eius interpretatio, à supradictis interpretationibus longè diuersa, sed eis, quod ad litteralem sensum attinet, probabilior quam Aureolus, & Lyranus, & Carthusianus tradiderunt.

9 LIBER iste, ait Petrus Aureolus, est liber Diuinæ præscientiæ in qua tanquam descripta continētur futura omnia. Dicitur fuisse scriptus foris & intus, vt indicetur plenitudo Scripturæ & multitudo eorum quorum præsciētiam continebat liber. Et vt significaretur magna eius libri obscuratio, & rerum in eo contentarū occultatio, dicitur liber fuisse signatus sigillis septem. Sic ille. Sed hāc eius breuissimam interpretationē explicatius, & distinctius, expressiusque tradens Lyranus, hunc in modum scribit: Liber iste est Dei præscientia, in qua omnia futura distinctè velut descripta continentur: Scientia verò Dei dupliciter considerari potest: vel vt extenditur ad omnia possibilia etiam quæ nunquam fuerunt neque vnquam erunt, quæ vocatur a Theologis scientia simplicis notitiæ vel intelligentiæ; vel consideratur Dei scientia, vt respicit existentiam rerū secundum quamlibet temporis differentiā, id est, res omnes & præteritas, & præsentes, & futuras: & huiusmodi res sunt in potētia Dei operatiua, & hęc vocatur sciētia visionis, quā Deus omnimodā tradidit Christo, & Christus per Angelum tradidit

10. Interp. Aureolus.

Lyranus.

Duplex cōsideratio sciētiæ Dei.

tradidit Ioanni, non quidem ex toto, sed ex ea parte, qua respicit ea quæ in Ecclesia erant futura, & quę in Apocalypsi per diuersas Visiones significata sunt. Dei verò potentia eiusmodi rerum effectiua metaphoricè appellatur dextera, quia nos per manum, maximè verò per dexteram, operamur: Quam ob rem liber continens notitiam eorū quæ Deus facturus erat, vel fieri permissurus, dicitur fuisse in dextera Dei. Libri autem signatio, est occultatio diuinæ scientiæ respectu futurorum quæ facturus est Deus; quoad ipse reuelet ea, vel quoad illa perducta sint ad effectum. Septenarius numerus sigillorum quibus liber signatus est, denotat, vt placet quibusdam, vniuersitatem obscuritatum, & difficultatum latentium in diuina præscientia futurorum, ita vt determinatus numerus sit positus pro indeterminato. Sed quia paulo infra singillatim aperiuntur septem ista sigilla, & in apertione cuiuslibet sigilli, noua & distincta ostenduntur portenta rerum futurarum, idcirco rectius dicetur, sigilla illa non esse aliud nisi Dei voluntatem quæ arcana suæ præscientiæ claudit & aperit quamdiu vult, & prout vult, & quibus vult. Septenaria igitur sigillorum apertio, est septenaria reuelatio Dei facta Ioanni per septem imagines & similitudines, ad significandum septem genera rerum quæ in diuersis temporibus futura erant. Hæc Lyranus.

10 Ad eandem fermè sententiam, & librum & sigilla eius Carthusianus interpretatur: In volumine, inquit, Apocalypsis per varias visiones & imagines significatur multiplex Ecclesiæ status, & processus ab eius ortu vsque ad finem in terris. Vidit igitur Ioannes in dextera Dei librum illum continentem ea quæ de futuris in Ecclesia siue prosperis, siue aduersis reuelata sunt Ioanni, & in hoc volumine scripta. Sicut etiam Ezechiel vidit librum qui continebat ea quæ volebat ei Deus reuelare, & quæ ab ipso in illo suo prophetico volumine conscripta & memoriæ prodita sunt. Quod autem liber ille quem vidit Ioannes erat intus & foris scriptus, id significabat, librum illum fuisse multis & magnis refertum mysterijs, vel quòd quædā haberet clara, & quasi foris exposita, pleraque verò haberet recondita & perobscura; vel quę dam pertinentia ad præsentem Ecclesiam militantem, alia verò ad triumphantem. Obsignatio autem libri significat, ea quæ in eo sunt & & obscurissima esse, & pretiosissima, & certissimæ fidei atque auctoritatis; ob hæc enim tria & libri & aliæ res obsignari solent. Signatio itaque libri, est occultatio mysteriorum quæ in eo continentur: apertio verò libri est reuelatio eorum mysteriorum. De significatione autem septem sigillorum in particulari cōmodius infra dicetur, vbi apertio sigillorum enarratur. Illum porrò librum fuisse in dextera Dei, tria significat, & res quæ in eo continentur, esse maximi pretij & momenti; & in solius Dei esse potestate & voluntate, ea res tradere vel non tradere; ac demum, eas res in potentia & prouidentia Dei esse, quippe qui vel facturus eas res sit, vel fieri permissurus: vt intelligatur, omnia quæ fiunt, vel facienda sunt, vel aliquando facta sunt, à Dei voluntate vel effectiua, vel permissiua pendere. Et hæc quidem interpretatio nis Carthusiani sententia est.

Carthusianus.

Cur fiat rerum obsignatio.

QVAR-

QVARTA Disputatio.

Auctoris de supradictis Interpretationibus iudicium indicatur.

11 HÆC mihi vltima Interpretatio videtur non solùm superioribus interpretationibus esse verisimilior, verùm etiam planè vera & certa; quòd ea sit tũ ijs quæ in hoc Capite dicit Beatus Ioannes describendo Visionem illius libri; tum etiam ijs quæ scribit in duobus proxime sequẽtibus Capitibus apertionem singulorum sigillorum enarrando. Liber itaque visus à Beato Ioanne in dextera Dei, significabat diuinam præsciẽtiam & prouidentiam rerum maximè insignium & memorabiliũ, præcipuè deinceps circa Ecclesiã futurarum, tam aduersarum, quã secundarum. Hæc autem præscientia & prouidentia in solius Dei potestate ac voluntate est, & supra omnem creatæ naturæ facultatem: quam primò Christus accepit à Patre, & per Angelum reuelauit Ioãni, eamque reuelationem scripto tradi voluit Ecclesiæ: Septem autem eius libri sigilla significabant maximam obscuritatem & difficultatem circa septem mysteria futurarum rerum quæ in apertione septem illorum sigillorum ostenduntur. Et Christus quidem per Angelum aperuit Ioanni sigilla, non modo quantum ad figuras & imagines futurarũ significatiuas, sed etiam quantum ad ipsarum rerum figuratarum atque imaginatarum intelligentiam: nobis autẽ reuelationem ipsarum figurarum & imaginum scriptis comprehensam prodi voluit, earum tamen significationem & intellectum nõ manifestauit.

12 Alias porrò superiores interpretationes quæ librum & signacula eius referunt vel ad sacram Scripturam, & varias in ea latentes obscuritates, & difficultates, vel ad Christum & vitæ eius mysteria; vt non negauerim & veram, & piam, & theologicam continere doctrinam; ita non dubitanter dixerim, eas ad mysticum potius sensum, quam ad historicam & litteralem pertinere; nec satis cohærere & cõgruere cum ijs quæ dicit Beatus Ioannes, tam in descriptione huius Visionis, quàm deinde in apertionis singulorum sigillorum enarratione. Hoc ego duobus ad præsens declarabo & firmabo argumentis: Secundùm enim istas interpretationes non videtur illud esse verũ quod dixit Ioannes, Nullum esse inuentum neque in cœlo, neque in terra, qui librum aperire & signacula eius soluere posset. Veteris namque Testamenti prophetias intellexerunt Prophetæ qui à Deo eas acceperunt, & prædicauerunt alijs, & monumentis litterarum consignatas tradiderunt posteris: Et Dominus Iesus post resurrectionem suam Apostolis aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas: & mysteria vitæ Christi cognita habuerunt Apostoli, Paulus enim in suis Epistolis plurifariam gloriatur in Domino quòd profundissima mysteria ad Christum & Ecclesiam eius pertinentia, & quæ prioribus generationibus fuerant abscondita; & sibi & alijs Apostolis reuelata & manifestata fuissent. Quòd si hæc in tempore huius Visionis iam fuerant in terris nonnullis hominibus reuelata, quanto magis in cœlo Angelis & beatis hominibus qui ante huius Visionis tempora in cœlis? Cũ igitur Ioannes dicat, eo tempore quo

Confutatio aliarum interpretationum.

Luc. vlt.

quo hanc ipse Visionem habuit, fuisse librum illum clausum, nec esse tunc inuentum aliquem qui posset librum aperire, aut videre illum, id
12 est, quæ in libro illo scripta erant legere & intelligere; ex eo manifestum fit, librum illum, & signacula eius, neque ad Scripturę obscuritates & difficultates, neque ad mysteria vitæ Christi pertinuisse, secundùm litteralem & primarium sensum.

13 Alterum argumentum eidem rei fidem faciens est huiusmodi: Supradictæ interpretationes minimè conueniunt neque congruunt cum apertione singulorum septem sigillorum quæ infrà Capite sexto, & septimo distinctè, ac singulatim, & subtiliter enarrantur. Namque in apertione cuiuslibet illorum sigillorum noui semper aliquod ostentum videtur, nouumque proditur mysterium præsignificans ferè non præterita, vt sunt Scripturæ & vitæ Christi mysteria, sed futura, etiam quę nouissimis temporibus, & proximè finem mundi ventura sunt. Hoc autem secundùm alias interpretationes prænarratas suprà, quæ omnia referunt ad Scripturas vel Christi mysteria, consistere non potest: Quòd autem Visio hæc maxima in parte ad futura spectet, prædocuit Ioannem Angelus, vt supra initio quarti Capitis scriptum est, cum ei dixit, *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri citò*, vel sicut habet Græca lectio, *Quæ oportet fieri post hæc.*

†

QVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et uidi Angelum fortem prædicantem uoce magna; Quis est VERS. 2. 3. & 4.
dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multùm, quia nemo inuentus est dignus aperire librum, nec uidere illum.

ETiam infrà Beatus Ioannes duorum 14
Angelorum mentionem faciens, eos appellat Angelos fortes, sicut initio decimi Capitis, *Et vidi, inquit, alium Angelum fortem descendentem de cœlo.* Et in Capite 18. ita scriptum est, *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum, & misit in mare.* Quęrunt Explanatores huius libri, quisnam fuerit Angelus ille fortis quem in hac Visione Beatus Ioannes vidit. Lyranus putat fuisse Gabrielem, quia nomen eius significat fortitudinem Dei. Carthusianus verò arbitratur, fuisse eundem illum Angelum per quem Deus omnia mysteria, in hoc libro descripta, reuelauit Beato Ioanni. Is enim fingebat in animo Ioannis imagines diuersarum personarum cum ipso loquentium, interdum quidem Angelorum, alias verò quatuor Animalium, aliquando verò viginti

Quis fuerit ille Angelus fortis.

Lyranus.

Carthusianus.

Viginti quatuor Seniorum, nonnunquam etiam ipsius Christi: Nisi fortasse dictus sit Angelus fortis, quia erat vnus ex Angelis primarijs, quibus præcipuè custodia & cura hominum à Deo imposita est. Hic autem Angelus clamabat voce magna, quò vehementius animum mentéq; Ioan. aduerteret ad cosiderãda mysteria ei demõstrãda & quò ardentius eũ cupiditate noscendi ea mysteria inflammaret.

Audit.

15 Ioachimus opinatur, Angelum illum fortem fuisse Ioannem Baptistam, qui & Angelus dictus est, & se dixit ipse: *Venit fortior me, cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Vt enim in calceamento pes, ita in litera, spiritalis intelligentia latet; Ioannes itaque Angelus fortis erat, qui ad fortitudinem Dei prænuntiandam & digito demonstrandam missus fuerat, qui se tamen imparem esse fatetur soluẽdæ corrigiæ calceamẽtorũ eius, id aũt est, aperiendo libro & soluendis signaculis eius, idem enim calceamẽti corrigia ligat, q̃ signaculis liber signatus claudit.

Ioachimus. Matth. 11. Matth. 3.

16 Rupertus (videtur autem quæ dicit hoc loco, mutuatus ab Ambrosio) Angelum illum fortem voce magna prædicantem, significasse ait veterum Patrum expectationem & anhelans ardensque desiderium aduentus Messiæ, & mysteria eius completa videndi. *Multi Prophetæ & reges,* dixit Dominus discipulis suis, *voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Audierãt illi veteres Iusti, & legerant de Filij Dei incarnatione, passione, resurrectione, ascensione in cęlum, missione Spiritus Sancti, de vocatione Gentium, & de nouissimo Christi aduentu ad iudicandum Mundum. Legerant, inquam, hæc, & desiderantes atque suspirantes eorum adimpletionem clamabant, Quis erit dignus aperire librum, & soluere signacula eius? & nullum talem reperiebant, neque in cęlo inter Angelos, neque in terra inter Prophetas aliósve homines iustos, neque sub terra inter sanctos Patres qui erant in limbo, nullum, inquam, talem reperiebant in quo & per quem talia mysteria complerentur. Sic Rupertus. Satis profectò fuerat dixisse, nullum fuisse inuentum in cœlo dignum aperire librum, Si enim non erat in cęlo, multò minus in terra vel sub terra: sed amplificandi gratia hoc addidit, significare volens nullam prorsus creatam naturam fuisse dignam aperire librum. Et in eo quidem tempore quo facta hæc Visio est, nullus iam erat sub terra in limbo illorum veterum Patrum & Iustorum, quos scilicet omnes inde Christus eduxerat, & secum ascendens in cęlum in cœlestem Patriam introduxerat.

Rupertus ex Ambrosio.

Matth. 13.

17 Sequuntur illa verba: *Et ego flebam multũ, quia nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum.* Inopinabile profectò est, &, vt vocant Græci, παράδοξον, quod explanans hæc verba, scriptum reliquit Andreas, Ob id forsitan, inquit Andreas, tantopere flebat Ioannes, quod animo suo versaret, num fortè ipsa etiam Angelica natura in mortiferam ignorationem prolapsa esset. Sic ille. Verum absit vt credamus tam crassam Beato Ioanni dubitationem vel suspicionem accidisse, cui nempe penitus cognitum, & omnino certum erat, nullam, ne leuem quidem culpam, nedum mortiferam in cęlestes beatósque Angelos cadere posse. Ergo Beatus Ioannes, cum bene intelligeret, præliãtissima cognituque dignissima in eo libro contineri mysteria, partim dolore, quod nullus eum librum aperire potuisset partim flagrantissima cupiditate cognoscendi ea mysteria, prorupit in fletum, non sanè verũ fletũ, hæc enim omnia i visione imaginaria gerebant: sed in illa extasi & raptu spiritus videbatur sibi fle-

Andreæ falsa opinio.

re. De quo fletu loquens Rupertus, In illa, inq t, mirabili Visione & mētis excessu, præ dulcedine rerum quas viderat, & multo magis quas cognoscere cupiebat, flebat Ioannes, suoque fletu veterum Sanctorum desiderium quam fuisset flebile, in seipso experiebatur: Sicut igitur Daniel, ita etiam Ioānes vir desideriorum appellari potuit.

Dan. 10.

18 Super illis verbis, *Nemo inuentus est dignus aperire librum, nec videre eū,* mouet Ambrosius quæstionem huiusmodi: Quo modo verum est, neminem videre potuisse librum illum, cum ipse Ioannes dixerit, se librum illū vidisse in dextera Dei, & vidisse scriptum intus & foris, & signatum septem signaculis? Huic quæstioni Ambrosius ita respondet, Antiquos Patres librum, id est Scripturam Veteris Testamenti vidisse quidem secundum litteram, sed non vidisse secundum spiritalem intelligentiam in littera inclusam: quæ tamen intelligentia spiritualis potior multo est quam litteralis notitia. Sic Ambrosius. Sed enim hoc Ambrosij responsum, si præcisè & absolutè accipiatur, nō est verum: Prophetæ namque alijque viri diuinitus illuminati, & legis, & prophetiarum non solum litteralem & historicum sensum foris apparentem, sed etiam interiorem intellectum, principaliter a Spiritu sancto intentum, per spectum & cognitum habuerunt: Hac enim de causa de Mose dixit Dominus, *Ille de me scripsit.* Adijce, quòd non solum de hominibus qui in terra sunt, sed etiam de Angelis qui sunt in cœlo, dictum est, quod nullus videre poterat librum: quis autem dixerit, nullum Angelorum habuisse spiritualem & principalē intelligentiam sacræ Scripturæ & mysteriorum eius, cum ea ipsa mysteria per Angelos Prophetis reuelata fuerint? Ergo *Videre librum,* hoc loco dictum est pro eo quod est videre, & cognoscere mysteria quæ

Quæstio Ambrosij.

Animaduersio in Ambrosij sententiam

Ioan. 5.

in eo libro continebantur: sicut apud Danielem scriptum est, nullum potuisse legere scripturam illam in pariete exaratam, cum ea tamen esset vel Hebraicè, vel Chaldaicè scripta.

Danielis 5.

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 5.

Et vnus de Senioribus dixit mihi, Ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & soluere signacula eius.

QVIDAM diuinare voluerunt quis fuerit ille vnus 19
de Senioribus qui hæc locutus est Beato Ioāni; Et aliqui, referente Carthusiano, dixerunt fuisse Matthæum Apostolum & Euangelistam, cuius extrema fermè Euangelij verba sunt illa Christi Domini, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra,* quæ potestas insinuari videtur hoc loco. Sed hæc opinio non placet Lyrano, cui videtur probabilius, istum Seniorem fuisse Beatum Petrum pluribus ante Visionis huius tempora annis martyrio coronatum, & in cælo manentem. Sed, vt dixi hoc diuinare potius est quam probabile quippiam dicere.

Quis fuerit ille Senior. *Carthusianus.*

Illis verbis, *Vicit leo de tribu Iu-* 20
da, proculdubio alluditur ad illud vaticinium Iacob de Iuda, *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti requiescens accubuisti vt leo, & quasi leænæ quis suscitabit eum?* Dicitur hoc loco præcisè, *Vicit,* vt denotaretur excellentia victoriæ CHRISTI super victorias omnium Sāctorum, Solus enim ipse vicit, nec vi-

Gen. 49.

ctus

Ioan. 16. ctus est vnquam, nec vinci potuit, de qua victoria ipsemet loquens, *Ego*, inquit, *vici mundum*, &, *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*, &, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum* Verùm de victoriæ Christi excellentia pluribus verbis supra dictum est in Disputatione XXIX. super Caput quartum huius libri. Ponitur autem hoc loco verbum *Vicit*, intransitiue, pro eo quod est præualuit, siue potens fuit, ad hoc, vt aperiret librum, & solueret signacula eius. Similiter ponitur idem verbum *Vinco*, in illis verbis Psal. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Comparatur porrò Christus leoni propter eximiam fortitudinem, & aduersus omnia impauidum animum, & propter regiam quandam inter cætera animalia dignitatem. Dæmon etiam comparatur leoni à Beato Petro, *Diabolus*, inquit, *tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*, propter naturalem videlicet leonis voracitatem, & ferocitatem, & vim nocendi tam dentibus quam vnguibus. *1. Pet. 5.*

Quomodo Christus dicatur radix Dauid quatuor interpretationes.

21 Sed quid est illud *Radix Dauid*? Nam sicut dixerat, fuisse eum de tribu Iuda, ita dicendum videbatur, ipsum esse ex radice Dauid, non autem quod ipse esset radix Dauid. Respondet Andreas & Rupertus & complures alij, Christũ, quantùm ad Humanitatem, fuisse ex radice Dauid: Factus enim est ex semine Dauid secundum carnem; quantum verò ad Diuinitatẽ fuisse eum radicem ipsius Dauid, id est, Creatorem & Dominum ipsius. Atque vtrumque hoc videtur indicasse Esaias in Capite vndecimo, nam primo loco loquens de Messia secundum Humanitatem eius, *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse*. Et paulò post de eodem Messia secundum Diuinitatem loquens subdit, *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Sicùt igitur Dominus illis verbis Dauidis, *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*, argumentabatur contra Iudæos, Messiam non modo futurum fuisse filium Dauidis, sed etiam Dominum eius, volens vtique significare, non tantum ipsum fore hominem, sed etiam Deum, ita verè dicitur idem Messias fore & ex radice Dauidis, & radix ipsius Dauidis.

1. Interpr. Andreas. Rupertus. Rom. 1. *M. 22. Psal. 109* *2 Interpre.*

Dici præterea Christus potest radix Dauidis etiam secundum Humanitatem, non quidem generationis Dauidis, non enim Dauid ex Christo, sed Christus ex Dauide secundum carnem generatus est, sed radix dicitur Dauid respectu eximiæ sanctificationis eius, & exaltationis, atque glorificationis; Ob eam enim maximè causam Dauid tot tantisque bonis & spiritualibus & corporalibus atque temporalibus ornatus à Deo & cumulatus est, quod ex eius stirpe præcipua quadam ratione generandus erat Messias, & specialiter appellandus Filius Dauid. Posset item illa vox *Dauid*, sumi adiectiuè, vt Christus dictus sit radix Dauid, pro (radix Dauidica) subintelligendo, vel (Gẽtium,) vel Ecclesiæ, vel (Electorũ) Omnino Beatus Ioannes paucis, hisce verbis ostendere voluit, Dominum nostrum Iesum fuisse verũ Messiam, qui scilicet prædictus fuerat à Iacob Patriarcha, & Regi ac Prophetæ Dauidi promissus. Putat noster Ribera Ioannem appellasse Messiam radicem Dauid ex more loquendi Hebræorum qui radicẽ vocant non solum eam quæ dicitur propriè radix, sed ipsum etiam germen ex radice succrescens, & virgam ex ipsa radice prodeuntem: Nam in illis verbis Isaiæ, *Egredietur virga de radice Iesse*, ipse cum Hebræis virgam interpretatur Messiã radicem vero Iesse, ipsum Dauidem filium Iesse. Et apud eundem Esaiam, *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti,* 22

Genes. 49. *4 Interpre. Ribera.* *Esa. 11.* *Esa. c. 53.*

Et Oseæ 14. *Germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius ut Libani*. Christus igitur radix Dauid dicitur, quia ex eius stirpe germinauit & prodijt: Infra quoque in vltimo Capite huius libri Dominus de seipso dixit, *Ego sum radix & genus Dauid*.

SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 6. & 7. *Et vidi Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram*.

Cur Agnus dicatur esse visus à Ioanne tanquam occisus.

1. Interpr. 23 CVR Agnus dicatur hoc loco non simpliciter occisus sed tanquam occisus, multæ sunt multùmque differentes Explanatorum huius libri Interpretationes & sententiæ Quidam aiunt illud, *tanquam occisum*, idem significare atque verè occisum, illa enim particula *tanquam*, interdum in sacris litteris significat veritaté rei, & nō tantùm similitudiné veritatis, vt videre est duobus in locis posterioris Epistolæ ad Corinthios: Prior locus est in illis verbis Capitis tertij, *Nos verò reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu* Posterior locutus est in verbis illis Capitis quinti, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Similem habet significationem particula *quasi*, vt in illis verbis, *Vidimus gloriã eius, gloriã quasi vnigeniti à Patre*. (Ioan. 1.) Rupertus putat, ꝓpterea dictũ esse tanquam occisum, quia verè fuerat occisus, licet tũc viuus esset, & vitam immortalem viueret: sicut ipsemet supra dixit: *Fui mortuus & ecce sum viuens in sæcula sæculorum*. (2. Interpr. Rupertus. Apocalypsis. Capite 1.)

24 Ambrosij, Haymonis, Ioachimi, & Arethæ interpretatio est huiusmodi: dictũ esse tanquam occisum & non simpliciter occisũ, ꝙ mors eius nō videatur cēsenda mors, sed imago potius quædam mortis, propter breuissimũ mortis eius statũ & celeritaté resurrectionis: nã etsi verè mortuus est quãtũ ad separationé animę eius a corpore, sed non quantũ ad corruptioné corporis, & dissolutioné mébrorũ. Hác interpꝛtatio é benè tractat Aretha ita scribés: Quòd nō dicitur occisus, sed tã quã occisus, ꝑ id significatur quod in morte nō permanserit, sed cōfestim resurrexerit, Vnde dicitur in Psalmis, *Non dabis Sanctũ tuũ videre corruptioné*, non dixit, *Non dabis Sanctũ tuũ videre interitũ*, qui est separatio animę à corpore, Sic enim verè Christũ esse mortuũ nemo Catholicus negauerit: Sed dixit, *Non dabis Sanctũ tuũ videre corruptioné*, quæ est humanorũ mébrorũ dissolutio, quã Christus non sensit, celeri resurrectione vim corruptionis ꝑueniére: Siquidem ꝓbauit is qui scripsit naturalé historiã, dicens, corpora morientiũ quæ ab igne consumpta nō sunt, tres dies sustinere, naturali vita in eis agente; ac deinde corruptioni tradi. (3. Interpr. Ambrosius Haymo. Ioachimus Aretha. Psal. 15.)

25 Andreas sic interpretatur: Etsi tũc viuebat Christus, & vitã quidé immortalé, seruauit tamé in corpore insignia passionis & mortis suæ, figurã dico foraminũ clauorũ in pedib. & manib. & lanceæ in latere, q̃ suis Discipulis post resurrectionem & cernenda & palpanda exhibuit, eàq; ad memoriã sempiternã tantę victo- (4. Interpr. Andreas. Lucæ vlt. Ioan. 20.)

victoriæ retinere voluit in cœlis, sibi ad gloriam, nobis ad gratiam & fiduciam, inimicis ad perpetuũ conscientiæ morsum, vt videant, & confundantur; iuxta illud Zachariæ Capite 12. *Videbunt in quem pupugerunt.*

5. Interpr. Petrus Aureolus. Lyranus.

26 Noua & acuta est Interpretatio Aureoli & Lyrani, qui illud *Tanquam occisum*, interpretantur de Christo, ea ratione, vt est in Eucharistia, vbi quotidie in Ecclesia immolatur, non quidem cruenta immolatione per necem eius & effusionem sanguinis, hæc enim semel in cruce facta est, testante Apostolo, *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*: Sed incruenta immolatione offertur quotidie; & idcirco non dicitur hoc loco Agnus occisus, sed tanquam occisus. Mors etenim Christi repræsentatur in Eucharistia, & quantùm ad effectum, quia virtus & fructus passionis Christi large communicatur nobis per Eucharistiam; & quantùm ad significationem, nam cùm in Sacrificio Missæ separatim consecratur panis & vinum in corpus & sanguinem Christi, per id significatur effusio sanguinis ex corpore ipsius facta in passione, & consequenter separatio animæ à corpore per mortem. In Eucharistia itaque repræsentatio fit passionis & mortis Christi quantùm ad tria, & quantùm ad effectum, & quantùm ad signa Sacramentalia, & quantùm ad verba quibus consecratio peragitur. Sic illi. Hæc interpretatio Aureoli & Lyrani, etsi vt supra dixi, acuta est, veramque doctrinam continet, huic tamen loco videtur incongrua & aliena: non enim Christus in hac Visione ostensus est Beato Ioanni sub eo modo, quo mirabiliter ipse sub Eucharistiæ Sacramento existit, vt patet ex descriptione & enarratione huius Visionis quam facit B. Ioannes. Ex supradictis itaque interpretationibus, secũda & quarta videntur probabiliores; probabilissima verò, vtpotè plena & absoluta, si vna quæpiam ex istis duabus coniunctis conficiatur.

Ad Romanos 6.

Tribus modis in Sacrificio Missæ representari mortem Christi.

Auctoris iudicium de supradictis interpretationem.

OCTAVA Disputatio.

Quid significent illa septem Agni cornua & septem oculi.

27 Vidit Beatus Ioannes Christũ sub specie Agni habẽtis septem cornua septemque oculos: cuius Visionis satis videtur similis illa Zachariæ Visio Capite 3. & 4. septem oculorum qui erant super vno lapide, *Super lapidem*, inquit, *vnum septem oculi sunt. Septem autem oculi isti Domini discurrunt in vniuersam terram.* Ergo quem Ioannes vidit tanquam agnum, quia pro salute humani generis immolatus fuerat: idem ostensus est Zachariæ tanquam lapis, lapis nempe tum fundamentalis, tum angularis ipsius Ecclesiæ: Et idem apud vtrumque Prophetam significant septem oculi, quos Ioannes vocat septem Spiritus missos in vniuersã terram, & Zacharias ait eos discurrere in omnẽ terram. Sed nos perquiramus significationem euoluamusque mysterium istorum septem cornuum & oculorum.

28 Est plurimorum interpretatio, vt Primasij, Andreæ, Bedæ, Haymonis, Ansberti, Ruperti, & quod ad septẽ oculos attinet, etiam Ambrosij & Ioachimi, est, inquam, communis ferme interpretatio, per vtrumque septenarium tam cornuum quàm oculorum significari septiformẽ Spiritus Sãcti

1. Interpr. Primasius, Andreas, Beda, Haymo, Rupertus, Ansbertus.

virtutem qua repletus est Christus: eam porrò virtutem, propter excellentiam potentiæ ac fortitudinis, comparari cornubus in quibus est fortitudo animalium; propter illuminationis verò gratiam, assimilari oculis: Significatur itaque similitudine ista, vt interpretatur Rupertus, maxima fortitudo Agni simulque sapientia, iuxta illud Iob Cap. 12. *Apud ipsum est fortitudo & sapientia*. His autem contraria exterius videbantur, & ab hominibus iudicabantur in tempore passionis huius Agni.

2. *Interpr. Ioachimus* 29 Ioachimus septem cornua interpretatur septem Angelos Ecclesiarum, non illos qui præfuerunt septem illis Ecclesijs Asiæ, sed alios qui per illos designati sunt, vt ipse supra declarauit: Septem verò oculos interpretatur septem dona Spiritus Sancti. Et dicuntur missi in omnem terram, quia effusa sunt in Ecclesiam Christi quæ vbique terrarum est. Et rectè qui librum aperit, septem oculos habere dicitur, quòd ad singulorum sigillorum apertionem, tanquam oculi singuli necessarij sunt, vt secundùm proprietates ordinum dona conueniant gratiarum. Congruit namque, secundùm proprietatem quandam, fortitudo Prælatis, scientia Diaconis, intellectus Doctoribus, sapientia Contemplatoribus, consilium Conuentualibus, pietas eis qui in exercitio operum misericordiæ versantur, timor coniugio alligatis. Sic ille.

3. *Interpr. Ambrosius* 30 Ambrosius distinguit significationem cornuum a significatione oculorum: nam septenarium numerum oculorum refert ad septiformem Christi Spiritum; septenarium verò numerum cornuum refert ad septemplicem regni Christi statum ab exordio mundi vsque ad eius finem; Distinguit enim quasi septem Mundi ætates in quibus & fuerũt, & sunt, & futuri sunt omnes Electi eius qui verè dicuntur & sunt regnum & fortitudo Christi, quod metaphoricè in Scriptura significari solet per cornua. Primum itaque cornu significat Christi Regnum in Electis qui fuerunt ante Diluuium, vt Abel, Seth, Enoch, Noe. Secundum cornu significat Electos qui post Diluuium & ante Legem fuerunt, vt Sem, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & Iob. Tertium cornu significat Electos qui fuerunt sub Lege, vt Mosen, Iosue, Aaron, Samuelem, Dauidem. Quartum cornu significat Regnum Christi in Prophetis & quatuor maioribus, & duodecim minoribus. Quintum cornu denotat Christi Regnum in Iudæis qui per Euangelij prædicationem conuersi sunt ad Christum, in quibus fuerunt Apostoli Christi, atque Apostolorum discipuli, pluresque alij. Sextum cornu significat regnum Christi in Electis ex Gentilismo. Septimum cornu pertinet ad Electos qui nouissimo mundi tempore fortiter in Antichristum pugnaturi sunt. De his septem hominum statibus septemque mundi ætatibus supra in explanatione primi Capitis latiùs disseruit Ambrosius. Hanc ipsam Ambrosij interpretationem Carthusianus hoc loco assignat cuidam Doctori & huius libri explanatori quem ipse nominat Berengandum, quod sanè valet ad confirmandam coniecturam quam supra fecimus, istos Ambrosij Commentarios in Apocalypsim publicatos esse superioribus sæculis sub nomine istius Berengandi.

Quidam ita locum hunc interpretantur: 31 4. *Interpr.* In agno duo videntur esse defectus, nimia simplicitas ob quam a contrarijs cauere sibi nescit, & imbecillitas ob quam nocentibus resistere nõ valet: At in agno qui Christus est contraria omninò sunt istis, perfecta scilicet fortitudo & potentia significata per septem cornua, & perfecta sapientia

per

per septẽ oculos designata. Et quia liber ille signatus erat septem sigillis, quibus clausa & occulta tenebantur futura vsque in finem Mundi quæ a nullo sciri, nedum effici poterant, Christus habere dicitur perfectam scientiam & potentiam reserandi sigilla, & eorum omnium quæ in libro celabantur cognitionem & effectionem. Pos- *5 Interpr.*
set etiam dici, septem Agni cornua significare vniuersalitatem & efficacitatem Christi potẽtiæ pertingentis ad omnia quæ in cœlo & in terra sunt, sicut ipse dixit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Vel septem cornua significant septem Christi potentiæ Opera magna. Primum opus fuit victoria Diaboli: Secundum, victoria Mundi: Tertium, victoria Mortis: Quartũ, destructio peccati: Quintum, Inferni spoliatio: Sextum, in omnibus gentibus, & per vniuersum Mundum non solum prædicatio, verum etiam persuasio suæ legis & doctrinæ hominum iudicijs atque cupiditatibus omnino contrariæ: Septimum & maximum potentiæ Christi opus fuit, Ecclesiæ suæ vbique terrarum fundatio, eiusdemque perpetua conseruatio contra omnem Mundi & Diaboli potentiam vsque in finem Mundi.

6. Interpr. Septem maxima Christi opera.

7. Interpr. Carthusianus.

32 Carthusianus septem Agni cornua interpretatur omnium regum atque Regnorum potestates quæ sunt in manu Christi, sicut ait Ecclesia in quadam Oratione, (Deus, in cuius manu sunt omnes potestates, & omnium Regnorum, &c.) & Daniel de eo dixit, *Potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur*. Et in Psalmis dicitur, *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*. Quoniam autem per oculum designatur intellectus, possumus per septem oculos intelligere vniuersitatem Angelicarum mentium, quæ propter cognitionis eminentiam nominantur oculi. Angeli verò ad Ecclesiam custodiendam & gubernandam mittuntur à Deo, sicut indicauit Apostolus illis verbis, *Nonne omnes administratorij Spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Qui omnes sunt in manu Christi sicuti oculi seruorum in manibus dominorum suorum.

Dan. 7. Psalm. 71.

ad Heb. 1.

Psal. 122.

NONA Disputatio.

Super Auctoris sententia.

De septem Agni cornubus & oculis.

MEA hæc est sententia. Contra supradictas Interpretationes quę septem Agni cornua, & septem oculos referunt ad perfectam scientiam & potentiam quæ in ipso Christo est, facere videntur ea verba, quæ proximè adiecit Ioannes declarando quid illa cornua & oculi significarent dicens, *Qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram*: hæc enim verba ægrè accommodari queunt ad potentiam & scientiam quæ est in ipso Christo, Significant enim aliquid extra ipsum Christum & ab eius potestate pendens, eique ministrans & seruiens, ab eoque missum ad peragendum aliquid in terra. Arbitror itaque, per septem cornua & septem oculos, septem Spiritibus Angelicos significari, qui sunt diuinæ Prouidentiæ circa Mundi, præcipue autem Ecclesiæ suæ gubernationem, administri, de quibus septem Spiritibus nos 33 *8. Interpr.*

copiosè disseruimus super illis verbis primi Capitis huius libri, *Et à septem Spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.* Isti septem Spiritus rectè vocantur Agni cornua, quia per eorum ministerium Deus profligat & destruit omnes aduersarias potestates, tam visibiles, quàm inuisibiles, per eos mira facit opera & miracula, tum in defensionem & protectionem Iustorum, tum in depressionem atque punitionem impiorum. Propter hanc igitur eorum fortitudinem & potentiam in exequendis Christi iussis explendisque ministerijs suis rectè vocantur cornua, vnde istam eorum fortitudinem & potentiam David prædicans, *Benedicite Dominum*, inquit, *omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Psal. 102.

Appellantur etiam isti Spiritus, Christi oculi, quod sint eius administri vigilantissimi & perspicacissimi ad cognoscendum & voluntatem Dei, & quemadmodum iussa eius & mandata & ministeria sibi à Deo imposita, perfectè sint exequenda & explenda. Dupliciter enim solet aliquis oculus Principis appellari, vel quod eum Princeps habet carissimum & vnicè dilectum, vel quod eius maxime consilio, & prudentia, & industria Princeps vtitur in regendo Principatu, negotijsq; tractandis. Iuxta nostram hanc interpretationem est loci huius explanatio quam habet noster Ribera.

†

DECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum: Et cùm aperuisset librum, quatuor Animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno. VERS. 7. & 8.

HÆc omnia quæ narrantur hic, per imaginariam visionem agebantur: Ioanes enim in illa sua extasi, raptuq; Spiritus ista videre sibi & audire videbatur, Angelo videlicet repræsentatrices istiusmodi rerum imagines in animo eius fingente ac formante. Huius Visionis quæ B. Ioanni accidit, satis videtur fuisse similis ea quę facta est Danieli, & ab eo narrata est his verbis: *Aspiciebam in Visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & vsq; ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eũ. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* 34 Daniel. 7.

Per id autem quod hic dicitur, 35
Christum accepisse librum vt aperiret eum, significatur, Christum qua homo est, a Deo Patre accepisse scientiam omnium quæ futura sunt, quam ob rē ipsemet testatus est illud quod refert Ioannes: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Et alio loco: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Nec modò scientiam a Patre accepit, verùm etiam virtutem & potestatem illuminandi, regendi, & defen- Ioan. 7. Ioan. 5.

defendendi, atq; protegendi Ecclesiam atq; omnes suos Electos: quin etiam potestatem accepit communicandi quibus ipse vellet scientiā futurorum, præcipuè eorum quæ circa Ecclesiam ventura erāt: Hāc porrò scientiam accepit Christus à Patre non tunc primum cū hanc Visionem habuit Ioannes, sed eo ipso temporis puncto quo ipse in vtero matris conceptus est: Ioanni tamen hæc per istam Visionē tunc monstrata sunt, vt intelligeret, quā sublimis & supernaturalis esset ea scientia, quam à Deo Patre Christus accepisset, & per Angelum ipsi quoq; impertiuisset: Hoc enim ipsemet Ioanes præfatus est in Exordio huius libri dicens, *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, &c.*

Ambrosii q̄stio eiusq; solutio.

36 Super illis verbis, *Et cùm aperuisset librum*, Ambrosius minime leuem excitat quæstionem: Quomodo, inquit, ante reserationem sigillorū, quibus liber erat clausus, & quæ, posteà esse facta dicitur infrà Capite sexto, potuit liber aperiri? Respondet ipse, spiritaliter hæc esse intelligenda. Prophetæ namque mysteria venturi Christi aliquando tectè per quasdam figuras insinuarunt, aliquando autem apertis verbis prædixerunt, quin etiam veteres illi Patriarchæ in suis actibus hæc ipsa præfigurarunt. Christus itaque, cùm prædicta de se mysteria compleuit, librū veteris Scripturæ aperuit: Cùm autem suorum mysteriorum & veterum prophetarum sensum atque intellectum Doctoribus Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti tribuit, tūc libri sigilla resignauit. Sic Ambrosius. Eandemq; solutionem tradit Rupertus paulò infrà super illis verbis huius Capitis, *Dignus es Domine accipere librum & aperire, &c.*

Animaduersio i sententiā Ambrosij.

Sed enim ista eius responsio, si aliquo modo valida est, valet certè dūtaxat quantùm ad significationem rei gestæ, non autem quantum ad veritatem ipsius Visionis: neque enim Ioannes videre potuit librū septem clausum sigillis, priùs aperiri intactis sigillis, & posterius ista sigilla reserari.

Germana quæstionis solutio.

37 Vel igitur hoc factum est posteà cùm ipsa sigilla reserata sunt, & hic prius commemoratur per Anticipationem, figuram sanè non infrequentem in Sacris litteris; Vel ita liber erat compactus, vt etiam sine referatione sigillorum aperiri posset; Vel illud *aperuit*, dictum est pro (potestatem accepit aperiendi;) Vel primò totum librum vna cum sigillis aperuit, & iterum eo clauso postea eum aperuit singulatim omnia sigilla reserando.

Huius libri varietas lectionis.

Neque illud Lector nesciat, variare in hoc loco Græcos atque Latinos Codices, Græci enim omnes habent hic, *cùm accepisset librum*, non autē, *cùm aperuisset librum*; & sic legit Aretha: quanquam textus Andreæ, secundùm Latinam eius interpretationem à nostro factam Peltano, habeat, *cùm aperuisset*. Latini Codices quos secuti sunt Ambrosius & Beda, & posteriores fermè omnes libri huius Explanatores habent, *cū aperuisset*.

Primasius.

Primasius tamen multò istis antiquior, Scriptorq; Latinus, & hic legit, *cùm accepisset librum*; & paulò infrà: *Dignus es accipere librum*. Et secundùm hanc quidem lectionem nullus est supradictę quęstioni locus. Secundùm alteram verò lectionem, quam nunc Latini Codices quos etiam nos sequimur, constanter habent, ita quæstioni respondendum est, vt paulò suprà responsum à nobis est.

†

VNDE-

VNDECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 8. *Quatuor Animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.*

38 VICTORINVS, Primasius, Andreas, & Ambrosius ista quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores significare aiunt Sanctos qui in terris sunt Doctores, & rectores Ecclesiæ, populorumque fidelium Pastores. Audiat Lector Ambrosii verba: Quod quatuor, inquit, Animalia, & Seniores ceciderunt coram Agno, ad Doctores Ecclesiæ pertinet: Quoties enim natiuitatem, passionem, & resurrectionem Domini ad memoriam reducunt, & quibuscumque modis hæc a sanctis Patribus præfigurata, & à Prophetis prædicta sunt, recolunt; & quoties hæc quæ in Euangelio obscure posita sunt inuestigare non desinunt, toties eis liber signatus aperitur, Cadunt autem coram Agno, cum per meditationem diuinarum Scripturarum cōsiderantes immensam Dei maiestatem humiliant se in conspectu Creatoris sui, & quanto se per humilitatem magis deijciunt tanto amplius in amore Dei exardescunt, quia humiliatio quæ fit in conspectu Dei; nutrix est amoris Dei. Hæc Ambrosius Sed ista Interpretatio dupliciter confutari posset: tum quod satis ostendimus supra; istos Seniores, & Animalia non repræsentare Sanctos qui sunt in terra, sed Beatos qui tunc erant in cælis; Angelos dico, & beatas Sanctorum animas: tum etiam quod iidemet Auctores paulo supra istos viginti quatuor Seniores & quatuor Animalia dixerunt significare veteres Prophetas & Apostolos Christi, & Euangelistas, qui omnes (præter vnum Ioannem) in tempore huius Visionis non erant in terris, sed in cœlis beati manebant.

Ambrosius

Refellitur supradicta Interpretatio.

Ceterum videamus quid significent citharæ & phialæ aureæ plenæ odoramentorum. Audreas hoc modo interpretatur Citharæ, inquit, concinnam suauemque sonantem Dei laudem, rerumque diuinarum celebrationem demonstrant: thymiamata vero in phialis aureis bene olentia, significant sacrificiū quod fideles per vitæ castimoniam & integritatem Deo offerunt, huc enim spectat illud Apostoli, *Christi bonus odor sumus*: Phialæ autem pias castasque cogitationes designant, hinc namque bonorum operum fragrantia, & pura castaque precatio dimanare consueuit. 39

Qid significent cithara & phiala.

Andreas.

2. Cor. 2.

Rupertus hæc ipsa sic interpretatur: Citharæ, inquit, instrumenta laudum, pectora sunt, fidelia, castaque corpora, cum plectro linguæ Dei laudes personantia. Citharis namque in quibus ligno chordæ tenduntur, corpora nostra propter Christum mortificata recte comparantur, secundum illud Apostoli, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Habent etiam phialas, vascula scilicet ore lato patentia: hæc autem significant corda fidelium, non angusta, sed per charitatem dilatata: Et illæ quidem phialæ erant plenæ odoramentorum, quia ampla cordis charitas efficit vt suauissimorum odoramentorum nomine honorentur orationes Sanctorum, sicut Dauid etiam dixit, *Dirigatur oratio mea sicut incen-*

Rupertus.

3 Ad Colo.

Psal. 140.

censum in conspectu tuo. Sic Rupertus: cui simillima super hoc loco scribit Ambrosius. Sciat autem Lector, hoc de phialis aureis plenis odoramentorum, spectare ad phialas quæ erant in templo Iudaico ante altare incensi, plenæ suauissimis & pretiosissimis odoramentis: quarum phialarum multitudo & materiæ præstantia cognoscitur ex primo Capite libri Esdræ, vbi phialæ quæ in templo fuerant, numerantur triginta aureæ, & millæ argenteæ.

Et sanctos, & Angelos qui sunt in cœlis, exaudire preces viuorum qui sunt in terris.

40 Ex illis porrò verbis, *Plenas odoramentorum quæ sunt orationes Sanctorum*, manifestum fit, beatas Sancto rum animas in cælis exaudire orationes viuorum qui sunt in terris, easque Deo offerre. Beatos quoque Angelos idem facere, satis dilucescit ex his quæ narrantur infra Capite octauo his verbis, *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureū quod est ante thronum Dei, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Nec solum qui in cœlis beati sunt orant pro viuis, verum etiam Sanctos viros, qui ante Christi aduentum defuncti vita, manebant in limbo, legimus in sacris litteris, orasse pro viuis; cuius rei ex vltimo Capite posterioris libri Machabæorum duo nobis suppetunt exempla Iudas enim Machabæus vidit Sanctum virum Oniam; qui iam è viuis excesserat, & fuerat Summus Sacerdos, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum, & ostendentem ipsi Ieremiam prophetam dixisse ei, *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, et pro vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei.*

Etiā qui erant olim in Limbo, orasse pro viuis.

DVODECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Et cantabant canticum nouum dicentes, Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, &c. VERS. 9. & 10.

Victorinus. Cur nouū canticū appelletur.

41 CVR appelletur Canticum istud nouum declarans Victorinus Rectè, inquit, nouum dicitur, quia nouum fuit, Filium Dei hominem fieri, & crucis mortem subire; nouum fuit, sua virtute à mortuis resurgere; nouum, eum corpore in cœlum ascendere; nouum, remissionem peccatorum per ipsius fidem hominibus dari; nouum, Sancto Spiritu cælitus misso visibiliter signari homines; nouum denique, accipere Sacerdotium Sacræ obseruationis, & regnum expectare immēsæ repromissionis. Et sanè Canticū merito vocatur nouum, nam & ipsi Cantores noui erant, renouati nō solum per gratiam, sed etiam per gloriam, & omnino exuti veterem hominem: Tota etiam Cantici materia erat noua; noua scilicet beneficia, noua miracula, noua Sacramenta, noua lex, nouum Testamentum, & noua per Christum promissa hominibus data, Denique nouū dicitur quò distinguatur à veteribus canticis in Scriptura veteri cōscriptis, quæ propter beneficia ferè temporalia & terrena in populum illum veterem collata, celebrabantur.

42 Quale autē fuerit istud canticū, decla-

declaratur mox cum subditur, *Dignus es Domine accipere librum, &c.* In quo cantico triplex & perillustre testimonium de Christi dignitate ponitur: Vnum est, quod Sancti tã ex Veteri quàm ex Nouo Testamẽto in cœlo manentes, & figurati per viginti quatuor Seniores, perhibent de Christo: Alterum est, quod reddit omnis exercitus Angelorum: Tertium, quod exhibet omnis creatura, etiam ratione carens: ad omnia ista beneficium Christi permanauit. Homines etenim & Angeli per Christum, qua Deus est, creati sunt, & qua homo est, per eius mortem homines redempti sunt, & Angeli cum hominibus pacificati; eorumque ruina ex hominibus Christi sanguine saluatis reparata est; & numerus eorũ, ob casum Angelorum qui peccarunt, diminutus, suffectis in locũ eorum qui ceciderunt, hominibus, suppletus est. Iam verò creaturæ irrationales, non solum per ipsum, qua est Verbum Dei, factę sunt, sed etiam per meritum passionis eius, futuram renouationem gloriæ filiorum Dei expectant, vt etiam ipsæ meliorem in statum reformentur atque renouentur, glorificationis Sanctorum quodam modo participes, qua de re in octauo Capite Epistolæ ad Romanos præclare disputat Apostolus.

Ioan. 1.

Rom. 8.

Ruperti quæstio.

43 Super illis verbis, *Dignus es Domine accipere librum,* Rupertus quęstionem ponit huiusmodi: Cùm iam supra dictũ fuerit quòd Agnus aperuisset librum, quo modo nunc dicitur, quòd dignus est accipere librum? Huic quęstioni sic ipse respõdet: Christus implendo ea quæ de ipso præfigurata in Veteri Testamento, & prædicta, & promissa fuerant, librum aperuit: Idem verò dicitur dignus accipere & aperire librum, id autem est, ipsum esse dignum & potentem dare sensum & intellectum Scripturarum credentibus in ipsum. Moriẽdo igitur Scripturas adimpleuit, & sic aperuit librum: resurgendo autem Spiritum Sanctum dedit hominibus, per quẽ illi Scripturarum mysteria in Christo fuisse completa intelligerent: Et hac ratione deinde soluisse dicitur signacula libri, idest, mysteria olim obscura, fecisse aperta & manifesta. Ita Rupertus. Animaduertit, opinor, Lector, hanc Ruperti quæstionẽ atq; solutionem prorsus congruere cũ ea quam supra ex Ambrosio retulim' atq; cõfutauimus.

Quomodo Christus per mortẽ suã meruit aperire librum illũ & soluere signacula eius.

Ex illis porrò verbis, *Dignus es accipere librũ, & soluere signacula eius, quoniam occisus es,* perspicuè intelligitur, Christum per mortem suam meruisse habere potestatem manifestandi quibuscumq; vellet mysteria rerum futurarum, & specialiter ad Ecclesiæ gubernationem pertinentia. 44 Nam etsi omnia bona quæ Christus vt homo habuit, & conuenientia & debita erant ob dignitatẽ diuinæ personæ in qua eius Humanitas erat cum Diuinitate coniuncta; nihilominus tamen in Scripturis legimus, quædã bona Christum specialiter meruisse per mortem suam, vt glorificationẽ sui corporis, & exaltationem nominis, & fundationem atq; propagationem Ecclesiæ per vniuersum Mundum, & dignitatem atque potestatem iudiciariam in omnes: & inter hæc numerari debet potestas aperiendi librum hunc, & soluendi signacula eius, id est, reuelandi rerum futurarum mysteria, quæ in eo libro recondita & occulta omnibus continebantur: Et hanc quidem potestatem reuelandi ista mysteria, habuit Christus ab initio suæ conceptionis, sed habuit ob meritum futuræ passionis suę, quod efficax fuit & in præteritum & in præsens, & in futurũ; Certè post resurrectionem eius præcipuè manifestatum & notificatum hominibus est, talem ipsum accepisse à Deo Patre & habere potestatem.

DECI-

DECIMA TERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & Animalium, & Seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium, &c.

45 QVia isti Angeli dicuntur fuisse in circuitu Throni, qui significabat Ecclesiam, & in circuitu Seniorum, per quos significabantur insigniores Sancti vtriusq; Testamenti, ex eo coniecturam facit Ambrosius, istos Angelos fuisse Angelos custodes, & tutelares, atque rectores tam singulorum hominum, quam Ecclesiarum, & populorum, atque regnorum. Quod si Angelorum istorum multitudo est penè innumerabilis, designata per illos duos maximos numeros *millia millium*, cùm isti tamen omnes ex vna sint, eaque infima hierarchia; quantam existimare conuenit esse superiorum Angelorum multitudinem, cùm ex Beati Dionysij sententia, quantò superior est Angelorum ordo & hierarchia, tantò sit etiam numerosior. Hoc explanans Beatus Thomas, Quemadmodum, inquit, substantiæ incorruptibiles corporeæ, qui sunt cœli, se habent secundùm magnitudinem, vt quo superiores sunt, eo sint etiam maiores secundùm molem; ita se habent substantiæ incorruptibiles incorporeæ, qui sunt Angeli, secundùm multitudinem, vt quò superiores & præstantiores sunt, eò sint etiam plures secundùm multitudinem.

S. Thomas q 50 ar 3. pr part.

Haymo scribit hoc loco, tot numero fore Beatos ex hominibus, quot numero Sancti Angeli remanserunt in cœlis post lapsum malorum Angelorum: Sed Haymo sumpsit hoc à Beato Gregorio, cuius in eandem sententiam in Homilia XXXIV. in Euangelia hæc sunt verba: Superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam tátum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse, sicut scriptum est, *Statuit terminos Gentium secundùm numerum Angelorum Dei.* Ergo tanta esse in cœlum ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum. Ita Beatus Gregorius. Secundùm hanc sententiam posset fortasse quispiam argumentari, multitudinem omnium hominum tam bonorum quàm malorum, maiorem esse multitudine omnium Angelorum tam bonorum, quam malorum: Beati enim homines sunt pares numero beatis Angelis secundùm Gregorium; Sed homines damnati multo plures sunt quàm homines beati. *Multi enim vocati, pauci verò electi.* Contrà verò, mali Angeli pauciores sunt bonis & B. Angelis, quod multi probare volunt ex eo quod Ioannes in Apocalypsi Capite 12 scripsit, Draconem, id est, Luciferum detraxisse de cœlo in terram tertiam partem stellarum, id est, Angelorum: Per hanc itaque argumentationem conficeretur, numerum omnium hominum multò esse maiorem numero omnium Angelorum. 46

Haymo.

An homines beati pares numero futuri sint beatis Angelis.

S.Gregor.

Locus Deut. 32. secundum editionē 70 Interpretū.

Matth. 20.

Sed vera creditur, & est probata à Theologis Beati Dionysij sententia, qui in 14. Capite libri de Cœlesti Hierarchia scriptum reliquit, Cœlestium Spirituum multitudinem longè maiorem esse non hominum modò, verùm etiam omnium rerum sensibilium, & corporalium multitudine, atque omnem numerum mortalibus notum excedere: 47

Dionysius de multitudine Angelorū super omnē multitudinem aliarum rerum.

Hæc

Hæc sunt Dionysij verba: Sancta Scriptura de Angelis loquens, millia millium esse dicit, & decies millies dena millia, supremos humanos numeros in seipsos multiplicans, & per hoc cœlestium substantiarum ordines innumerabiles esse nobis apertis rationibus pandens: Sunt enim profectò plurimæ cœlestium spirituum militiæ quæ mortalium nostrorũ numerorum infirmum breuemq; modum longè transcendant, & à sola sua eminentissima & cœlesti intelligentia cognitæ ac definitæ sunt. Ita Dionysius. B. Augustinus in primo Capite libri 22. de Ciuitate Dei significat, in cęlesti ciuitate, ruinam malorum Angelorum instauratum iri numerosiori Electorum hominum supplemento; per hoc indicans, plures fore beatos homines, quam fuerunt mali Angeli qui de cœlo deiecti sunt: Sic habent Augustini verba: Deus de mortali progenie meritò, iusteq; damnata, tantum populum per gratiam suam condidit, vt inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est Angelorum; & sic illa dilecta & superna ciuitas non fraudetur suorum numero ciuiũ, quin etiam fortasse & vberiore lætetur.

S. August. Plures fore homines beatos, quã sint mali Angeli.

DECIMAQVARTA Disputatio.

Super illis verbis;

VERS. 12 *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Præclara Ruperti explicatio huius loci de septem occisi Agni laudũ præconijs.

48 Est sanè quàm luculenta & amœna horum verborum tractatio & explicatio quã habet in hoc loco Rupertus: Septem numero, inquit, insignia testificantes Angeli occiso assignant Agno; virtutem, diuinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, benedictionem: & in hoc numero comprehendi intelligimus alia quæcumque in sacris litteris eiusdem Agni præconia commemorantur. Hæc porro quæ de Christo prænuntiata fuerant, legebant Iudæi, sed indignum putabãt istis præconijs Iesum quem ipsi occiderant, & quem per cõtemptum & opprobrium vocabant filium fabri: Sed contra, Cęlestes Angeli testificantur, Hic Agnus, qui putabatur filius Ioseph, qui vermis & non homo videbatur, qui crucifixus & occisus est, hic ipse Agnus dignus est vt ista omnia laudum præconia & accipiat, & de ipso prædicentur & celebrentur ab omnibus.

Dignus est itaque *Agnus qui occi-* 49
sus est accipere virtutem, id est, potentiam per quam ejciantur Dæmones ex templis Gentium, & ex latebris simulacrorum vbi colebantur, & dabant responsa fallaciæ suæ, mentiendo se Deos esse: vt impleatur illud Psalmi 46. *In virtute brachij tui dispersisti inimicos tuos. Dignus est Agnus qui occisus est accipere diuinitatem*: Vt expulsis de cordibus Gentium falsis dijs, ipse solus adoretur qui verus Deus est, vt fiat illud quod est in Psalmo 45. *Regnabit Deus super Gentes*: & vniuersus terrarum orbis decantet, *Omnes Dij Gentium Dæmonia*. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere sapientiam*: Vt neminem cultorum & seruorum eius seducere quispiam possit per Philosophiã & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & nõ secundùm ipsum. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere fortitudinem* simul cum sapientia: Vt quæ stulta sunt mundi eligens confundat Sapientes, & infirma mundi eligens confundat fortia: & fiat illud quod scriptũ est apud Iob, *Perdam sapientiam*

Psalm. 95.
Ad Colos. 2
1. ad Cor. 1
Iob. 5.

tiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo: & quod cecinit Dauid in Psal. 44. *Accingere gladio super fœmur tuum potentissime: Sagyttæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.* Atque ita fiet, vt nec sapientia Philosophorum oculis Agni, nec fortitudo Regum, atque Imperatorũ cornubus Agni qui occisus est officere aut resistere queat, quò minùs ipse Agnus qui occisus est, habeatur Deus sapiens & fortis, & audiant, & credant in eum omnes populi. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere honorem*: Vt corpora, & corda hominum quæ malignorum Spirituum, vitiorumque omnium prius fuerant receptacula, fiant agni, per ipsius gratiam, munda habitacula, & religiosa & veneranda templa, vt in his dignè colatur & honorificetur ipse. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere gloriam*: Vt Gentes quæ bene viuendo honorant ipsum, etiam bene loquendo glorificent eum; nempe, ipsum prædicando Sanctum Sanctorum, meliorem Angelis, celsiorem cœlis, sedentem ad dexteram Maiestatis Dei, & ita in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris. Denique, *Dignus est Agnus qui occisus est accipere benedictionem*: Vt sciant omnes, in ipso completum esse illud Dei promissum ad Abraham, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quamobrẽ benedicant illi omnes Sancti, nec sibi, sed illi tribuant, quod sunt, & quicquid in ipsis boni est, gratias agentes Deo Patri per ipsum: vt omnes, & singuli canent illud Dauidis, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & illud eiusdem, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: Audiant mansueti, & lætentur: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Hactenus ex Ruperto.

Philip. 2.

Gen. 22.

Psal. 115.

Psal. 33.

Hunc ipsum locum Apocalypsis 49
commemorans & declarans Beatus Gregorius in Capite quarto libri secundi Moralium, ita scribit: Loquitur Deus ad Angelos Sanctos, eo ipso quo eorum cordibus occulta sua inuisibilia ostendit, vt quicquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant: vt quædam velut præcepta vocis, sint ipsa gaudia contemplationis, quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Loquuntur etiam Angeli ad Deum, sicut in Apocalypsi Ioannis dicũt, *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, &c.* Vox namque Angelorum est in laude Conditoris, ipsa admiratio intimæ contemplationis: Dixisse autem est, virtutis diuinæ miracula obstupuisse; excitatus namque cum reuerentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti Spiritus clamor vocis; Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros motus admirationis format. Deus ergo Angelis loquitur, cùm eis voluntas eius intima videnda manifestatur: Angeli verò loquuntur Deo, cùm per hoc quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. Hæc Gregorius.

S. Greg.

Apoc. 5.

† †

DE-

DECIMA QVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 12 *Dignus est Agnus qui occisus est accipere diuinitatem.*

An Christus per mortem suam dignus fuerit, & meruerit habere Diuinitatem.

50 Videntur hec verba indicare, Christum ante passionem suam nõ habuisse Diuinitatẽ, sed meruisse per suã passionem accipere & habere Diuinitatem, quod perspicuè falsum est. Homo etenim ille Christus ab initio generationis suę Deus fuit, nec per passionem meruit, vt Deus esset, immò verò efficacia virtutis & meriti passionis Christi ob eam causam fuit infinita, quòd passio fuit eius qui homo simul & Deus erat.

Diuersitas lectionis Græcæ à Latina.

Verùm hanc quæstionem siue dubitationem Græca lectio prorsus excludit: libri enim Græci pro illa voce *Diuinitatẽ*, habẽt, πλοῦτον, id est, diuitias: ita legit Aretha, quamquam in textu Andreæ, quẽ Latinum fecit Peltanus, est *Diuinitatem*, non autem *diuitias*. Nec solùm Græci Codices habent pro, diuinitate, diuitias, verùm etiam ita quoque legunt duo antiquissimi huius libri Explanatores Latini, Ticonius in quarta homilia, & Primasius in Commentario huius loci. Ribera suspicatur, fortasse nostrum etiam Latinum Interpretem reddidisse *diuitias*, sed a librario festinanter atque incogitanter hunc locum describente, pro *diuitias*, per errorem esse scriptum *diuinitas*, quod cùm non bene cohæreret cum illo verbo *accipere*, mutatum fuit in, *diuinitatem*. Sed nec ipse in hac sua suspicione acquiescit, & ea sanè haudquaquam probabilis est; quippè cùm & omnes ferme Codices Latini constanter habeant, *diuinitatem*, & ita legant omnes penè Latini tractatores huius loci: Consistit ergo quæstio quam suprà posuimus, & lumen explicationis desiderat.

Christus non potuit (propriè loquendo) mereri suã diuinitatem.

Plena & absoluta quæstionis supra positæ solutio a duabus rebus 51
pendet. Primum enim pro certo habendum est, Christum (propriè loquendo) nec meruisse, nec mereri potuisse Diuinitatem: Christus enim Diuinitatem habuit, & fuit Filius Dei ob vnionem naturæ humanæ ipsius cum natura diuina in persona Verbi: Hãc verò vnionem homo ille Christus nec meruit, nec mereri potuit. Non enim Christus fuit prius homo purus, & ob merita bonæ vitæ meruit deinde accipere diuinitatem, & fieri Dei Filius; hæc quippe fuit hæresis Photini, quam Catholica Ecclesia damnauit & anathematizauit, & docuit, illum hominem Christum á principio suæ conceptionis verè fuisse Filium Dei, vtpote qui non habuerit aliam hypostasim nisi Filij Dei, iuxta illud, quod Gabriel dixit B. Mariæ, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* *Luc 1.* Si ergo ab initio cõceptionis Christi facta in eo est vnio Humanitatis cum Diuinitate, inde necessariò consequens est, vt omnis Christi operatio subsecuta fuerit vnionẽ, nec potuerit ipse per vllam operationem suam mereri vnionem: vnde concluditur etiam nec mereri potuisse diuinitatem.

Ad hæc ipsa quæ diximus firmã- 52
da, simulque illustranda, valent ea quæ Beatus Thomas de Christi merito scripsit. *S. Thom. q. 2. & 19.* Quoniam, inquit, omnis nobilitas, & perfectio est Christo

Christo attribuenda: habere autem aliquid per meritum, dicit perfectionem in homine; consequens est, vt Christus per meritum habuerit illud quod alij homines habent per merita: vnde, nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec diuinitatem sibi Christus meruit. Cùm enim meritum non sit, nisi eius quod nondum habetur, necessum profectò fuisset, vt Christus aliquando istis bonis caruisset, quibus tamen carere, magis diminuit Christi dignitatem, quàm augeat ratio meriti. Gloria tamen corporis eius, & exaltatio nominis apud alios, minus bonum est, quam dignitas merendi, quæ pertinet ad virtutem charitatis: & ideo Christus meruit gloriam sui corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem ipsius excellentiam. Videat Lector Angelicum Doctorem in Tertia Parte, in articulo 11. quæstionis 2. & in 19. quæstione eiusdem Partis in articulo 3.

Solutio quæstionis. 53 Si Christus igitur (proprie loquendo) nec meruit, nec mereri potuit accipere diuinitatem; quomodo Angeli in hoc suo Cantico dicunt, dignum fuisse Agnum qui occisus fuerat accipere diuinitatem? Proculdubio illud, *Dignus accipere dignitatem*, dictum est, pro: Dignus est, vt manifestetur omnibus, Christum accepisse, & habere diuinitatem, & ob id laudetur, & glorificetur ab omnibus. Sensus itaque istorum verborum est hic: Dignus est Agnus vt ob mortem suam ab omnibus agnoscatur, & credatur, & vt adoretur, & laudetur, atque glorificetur tanquam verus Deus infinitè potens, & sapiens, diuinoque honore & gloria dignus: hoc enim est quod Apostolus dixit, Christum, propter obedientiam ipsius vsque ad mortem crucis, fuisse à Deo exaltatum, & datum ei nomen quod est super omne nomen, &c. *Philip. 2.* Nobiscum etiam consentit Lyranus eundem in modum interpretans hunc locum: Habuit, inquit, ante passionem suam Christus, & Sapientiam, & Diuinitatem, & Virtutem, non igitur per passionē suam meruit hæc accipere; Quocirca acceptio istorum quæ dicitur in hoc loco, sumenda est pro manifestatione eorum bonorum: quod tamen etiam ad magnam Christi laudem pertinet. *Lyranus.*

Habet præterea dubitationem illud quod hic dicitur, Christum ob suam mortem fuisse dignum, & meruisse accipere ab omnibus, honorem, & gloriam, & benedictionē; Quod enim quis meretur, propriū est eius bonum in ipso manens; ista verò extra Christum sunt, cùm sint in alijs qui ea tribuunt Christo. Hanc ipsam dubitationem Beatus Thomas eo in loco paulo supra cōmemorato, & posuit & soluit: Manifestatio, inquit, excellentiæ Christi non est bonum eius, sed eorum qui eum cognoscunt: vnde pro præmio promittitur amatoribus Christi, quòd eis ipse sit se manifestaturus, secundùm illud Ioannis, *Si quis diligit me, diligetur a Patre, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Ergo Christus non meruit manifestationem suæ excellentiæ. Huic obiectioni sic ipse respondet: Manifestatio excellentiæ Christi pertinet ad bonum eius secundùm esse quod habet in notitia aliorum, quamuis principaliùs pertineat ad bonum eorum, qui eum cognoscunt secundùm esse quod habent in seipsis: sed etiam hoc ipsum refertur ad Christum, in quantum sunt illi membra eius. *S. Thomas.* *Ioan. 14.*

†

DECIMASEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 13 *Et omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & quæ sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes, Sedenti in throno & Agno, Benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

54 HOC est tertium testimonium, & præconium quod Deo Agno exhibetur ab omni creatura etiam irrationali: quod dictũ est per figuram satis frequentem in Scriptura quæ vocatur Prosopopœia, per quam rebus etiam ratione carentibus oratio, & laudatio, & benedictio attribuitur. Per illud *quæ in cælo est*, non intelliguntur Angeli, de illorum enim testimonio & præconio iam paulò antè dictum est; sed intelliguntur Sol, & Luna, & stellæ, & fortasse etiam virtutes cœlorum per quas tot & tam miri effectus à cęlis permanant ad res sublunares. Creaturæ super terram sunt homines, & animalia terrestria, & volatilia. *Et quæ sunt in mari, & quæ in eo* Per mare intelligitur locus ipse, & receptaculum tantæ molis aquarum; Per illud autem, *Et quæ sunt in mari*, intelliguntur aquæ in eo receptaculo manentes, Per illud verò, *Et quæ in eo*, intelliguntur pisces & bestiæ marinæ perpetui maris incolæ. Sic interpretatus est hunc locum Ambrosius.

Sed quomodo creatura quæ sub terra est laudat Deum? Sub terra enim sunt homines mortui, & Dæmones, quorũ non est laudare Deũ testante hoc Propheta, *Non est*, inquit, *in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* & alibi. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum* & apud Esaiam, *Quoniam infernus non confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Respondeo, Dauidem & Ezechiam ista dixisse de vocali laudatione & confessione Dei quæ fit coram alijs & vna cum alijs hominibus, etiam adhibitis instrumentis musicis; & de hoc genere laudationis & confessionis Dei sæpenumero in Psalmis loquitur Dauid. Sub terra porrò sunt animæ iustorum hominum ad tempus in Purgatorio detentæ expiationis gratia, quæ cùm Dei cognitionem & amorẽ habeant, & sperent citò eũ videre, proculdubio ipsũ laudãt. Sunt præterea sub terra, & ĩ inferno Dęmones & animę dãnatorũ hominũ. Dicunt aũt Dæmones laudare Deũ nõ q. id faciãt, saltè voluntariè, sed tũ, q. cognoscũt Deũ esse dignissimũ laudari & honorari ab omnib. tũ ét quia sæpè coguntur Dei laudes corã hominib. confiteri, & prædicare; huc spectat illud Iacobi Apostoli dictum: *Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis, & Dæmones credunt & contremiscunt.*

Perpulchram habet Rupertus horum verborum explicationem: 56
In tribus, inquit, Canticis quæ memorantur in hoc loco, diuersa indicatur ratio laudandi Agnum. Nam in primo Cantico quod est viginti quatuor Seniorũ, & quatuor Animalium, id est, Electorum hominũ dicunt illi, Agnum esse occisum, & se ab illo fuisse redemptos. Cum enim genus humanum propter peccata primi parentis, & propria quęquisque adiecit, in captiuitate Diaboli esset; redemptio eius ab ista captiuitate fuit præcipuus passionis Christi fructus propriè pertinens,

Declarantur tres sequentes loci scripturę.
Psal. 6.
Psal. 113.
Esa 38.
Quæ sint creaturę sub terra, & quomodo laudent Deum.
Locus Iacobi 2.
Ruperti pulchrę tractatio huius loci.

ad homines. In secundo Cantico quod est Angelorum, Angeli non dicunt Agno, *Quia redemisti nos.* Cũ enim ipsi non peccassent, nulla egebant redemptione; laudant ipsi tamen etiam mortem Agni dicentes, *Quoniam occisus est.* Nam etsi Angeli per mortem Agni nõ sunt redempti, sunt tamen reconciliati hominibus, & ex hominibus per Christum redempti reparata est Angelorum ruina impletusq; numerus. Tertiò demum in Cantico quod est creaturarum irrationalium, neque mors Agni, nec redemptio earum memoratur, non enim Agnus occisus est ob istiusmodi creaturarum redemptionem, aut ob earum reparationem, atque instauratioñe; sed quia creatæ sunt, Deo creatori omniũ laudes concinunt, non quidẽ rationali aut vocali cõfessione, sed naturali quadam sui status præsentatione. Quoniam verò hominum redemptio & Angelorum instauratio per solius Agni mortem facta est, sola enim persona Filij mortem passa est; natura autẽ creaturarum omnium, dicente Patre per Verbum, condita est, Omnia enim per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; (Ioan. 1.) rectè homines & Angeli in sua confessione solius Agni occisionem, & mortem commemorant: Creaturæ autem irrationales & Sedentem in throno, id est Deum Patrem, & Agnũ occisum, id est, Deum Filium collaudant.

57 Quatuor porrò in sua cõfessione & laudatione Deo Patri, & Agno Filio eius attribuunt; benedictionẽ, honorem, gloriam, & potestatem æternam. Benedictionem quidem tribuunt, quia quædam ipsarum, animalia scilicet, benedictionem à Deo in exordio suæ creationis acceperunt, per quam, accepta fœcunditate propagationis, vsque ad hãc diem, in sua quodq; specie multiplicatum est, & deinceps multiplicabitur vsque ad finem Mundi, per quod species eorum perpetuò conseruantur. Dant etiam istæ creaturæ honorem Deo tanquam Domino domus magnæ quam ipse condidit, tanta, tamque speciosa, & vsquequaque diffusa pulchritudine, fabricã: nam quippe domus honor in eadem domo debetur: hæc autem Mundi fabrica quasi domus quædam Dei est, quam tanta creaturarum diuersitas, tanquam familia quædam eius inhabitat. Dant prætereà Deo gloriam, videlicet, vt pro tanto ædificio glorietur ipse, & dicat, *Ego Deus creans cælos, & formans terram: quis mensus est pugillo aquas,* (Esa. 40.) *& cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?* Denique dant istæ creaturæ Deo potestatem æternam, vt cunctis euanescentibus Mundi huius potestatibus, solus qui sedet in throno, & Agnus, omnis creaturæ suæ, vti decet, potestatem obtineat, & quidem sempiternam, (Dan. 7.) sicut Danieli dictum de eo est, *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguę seruient ipsi: potestas eius potestas æterna quę non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Hanc vero potestatem dat illi etiam creatura quæ sub terra est Infernali carcere inclusa, non quidem voluntaria confessione, sed coacta cõcessione. Hęc ex Ruperto.

CAPVT SEXTVM.

1 ET * vidi quòd aperuißet Agnus unum de
septem sigillis, & audiui vnum de quatuor
animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui:
2 Veni, & vide. * Et vidi: & ecce equus al-
bus, & qui sedebat super illum habebat ar-
cum, & data est ei corona, & exiuit vincens
3 vt vinceret. * Et cùm aperuißet sigillum
secundum, audiui secundum animal, dicens:
Veni, & vide. * Et exiuit alius equus ru-
4 fus: & qui sedebat super illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra,
5 & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. * Et cùm
aperuisset sigillum tertium, audiui tertiũ animal, dicens: Veni & vide.
Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum habebat stateram in ma
6 nu sua. * Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicē-
tium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum,
7 & oleum ne læseris. * Et cùm aperuißet sigillum quartum, audiui vo-
8 cem quarti animalis dicentis: Veni, & vide. * Et ecce equus pallidus,
& qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & Infernus sequebatur eũ,
& data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fa-
9 me, & morte, & bestijs terræ. * Et cùm aperuißet sigillum quintum:
vidi subtus altare animas interfectorum propter verbũ Dei, & propter
10 testimonium quod habebant, * & clamabant voce magna, dicentes,
Vsqueque Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas san-
11 guinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? * Et datæ sunt illis singulę
stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum
donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi
12 sunt sicut & illi. * Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum: & ecce ter-
ræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus ci-
13 licinus: & Luna tota facta est sicut sanguis: * & stellæ de cælo cecide-
runt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mo
14 uetur. * Et cælum recesſit sicut liber inuolutus. & omnis mons & insu-
15 læ de locis suis motæ sunt: * Et reges terræ, & principes, & tribuni, &
diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis
16 & in petris montium: * & dicunt montibus & petris: Cadite super
nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni:
17 * quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?

IN

IN CAPVT SEXTVM APOCALYPSIS DISPVTATIONES TRIGINTAQVINQVE.

IN hoc sexto Capite, & proximè sequenti septimo, & initio octaui enarrat sigillatim vniuscuiusq; illorum septem sigillorum apertio, & quid in cuiusque illorum sigillorum apertione ostensum fuerit Ioanni. Ea verò demõstrantur per varias & obscuras similitudines, præcipuè autem per imagines quatuor equorum, albi, rufi, nigri, & pallidi. Has porrò imagines vidit in Spiritu Beatus Ioannes, & quid quæque portenderet, planè intellexit: nobis verò imaginum quidem descriptionem tradidit Ioannes; earum verò propriam significationẽ minimè prodidit. Quamobrem cùm imagines illæ, per humani ingenij solertiam, ad varias res accommodari queāt; ex eo multæ multumque differentes istarum imaginum interpretationes extiterunt. Nos septem vias & rationes interpretandi eas imagines à pluribus, magisque probatis Auctoribus traditas hic exponemus; & iudicium nostrum Lectori, vbi fuerit opus, indicabimus.

PRIMA Disputatio.

Exponuntur quatuor rationes interpretandi hæc septem sigilla, quæ sunt Victorini, Andreæ, Bedæ, Ioachimi.

1 PRIMA ratio interpretandi apertionem istorum sigillorũ elicitur ex Victorini verbis, & paucis, & obscuris. Scribit autem in hunc modum Victorinus: Resignatio sigillorũ est apertio Veteris Testamẽti: & per prædicatores prænuntiatio futurorum in nouissimis tẽporibus. Quę licèt prophetica Scriptura per singula dicat, omnibus tamẽ apertis sigillis, ordinem suum habet prędicatio. Apertio primi sigilli per equum albũ significat efficacẽ prædicationẽ Euangelij ad vincendam *Victorinus.*

infidelitatem hominum, quæ cœpta est post missionem Spiritus Sancti: cæteri tres equi bella, fames, & pestes in Euangelio prædictas a Domino manifeste significant. In quinto sigillo exprimitur vehemens desiderium Sanctorum propter Christum occisorum, de vindicta sui sanguinis, & de diuinę iustitiæ aduersus occisores suos demonstratione, & de cōsummatione fęlicitatis ipsorum. Apertio sexti sigilli ad nouissima tempora, & ad persecutionem Antichristi pertinet. Posthæc Victorinus, priusquam declaret apertionem septimi sigilli, interponit multa quæ spectant ad decimum, & vndecimum, & duodecimum Caput huius libri: Postea verò redit ad septimum sigillum. In septimo, inquit, sigillo silentium in cœlo fit per semihoram, quæ initium est quietis æternæ. Sed partim intellexit; quia interruptio per ordinē eadem repetit: nam si esset iuge silentium, hic finis narrandi foret. Ita Victorinus.

2 Secunda ratio interpretandi septem sigilla, est Andreæ, & Arethæ, conueniens cum prima, quæ est Victorini, in significatione primi, quinti, sexti, & septimi sigilli; differens autem in significatione secundi, & tertij, & quarti sigilli. Arbitrantur enim isti, per apertionem primi sigilli significari præstantiam virtutis Apostolorum, eorumque victorias: per apertionem secundi sigilli denotari passiones Martyrum: per apertionem tertij sigilli indicari infirmorum fideliū a Christo defectionem: per apertionem quarti sigilli designari flagella eorum qui ob animi mollitiem atque impatientiam fidem Christi abiecerunt: per apertionem quinti sigilli repræsentari clamores Sanctorum pro consummatione sęculi, & generali iudicio, & gloriosa corporum resurrectione: per apertionem sexti sigilli præmonstrari persecutiones Antichristi: per apertionem denique septimi sigilli adumbrari finem huius Mundi, & expectationem Iudicij, & initium æternæ quietis. Sic Andreas & Aretha.

Andreas. Aretha.

3 Tertia ratio interpretandi est Bedæ, quam etiam complures alij sequuntur, conueniens cum superiori Andreæ interpretatione in omnibus alijs sigillis præterquam in tertio, & quarto, & septimo. Putat enim Beda, per apertionem tertij sigilli significari multiplicē versutiam & malitiam, & pestilentem vim hypocritarum, falsorumque fratrum. Per apertionem autem quarti sigilli designari fraudulentas, & malitiosas, & pestiferas artes Hæreticorum oppugnandi catholicam fidem & doctrinam. Per apertionem septimi sigilli præsignari quietem Ecclesiæ post necē Antichristi, & ante iudicium. Quartam interpretandi rationem secutus est Ioachimus Abbas; ea verò conuenit cum Bedæ interpretatione præterquam in significatione quarti & quinti sigilli. Putat enim Ioachimus, per quarti sigilli apertionem præsignificatas esse persecutiones Mahometanorum & Saracenorum aduersus Christianos: per apertionem verò quinti sigilli adumbratas esse persecutiones quas passura erat Ecclesia Romana & Latina, præcipue in Mauritania, & Hispania ab eisdem Saracenis.

Beda.

Ioachimus

†

SECVNDA Disputatio.

Expenduntur aliæ duæ rationes interpretandi hæc sigilla quæ sunt apud Ambrosium & Rupertum.

Ambrosius

4 QVinta ratio interpretandi hæc sigilla, est Ambrosij; is autem existimat, in istis septé sigillis contineri mysteria eorum, quę circa homines iustos & electos contigerunt & contingent ab exordio Mundi vsque ad finem eius. Electorum autem hominum conuersatio in terris, in septem Tempora, siue Mundi Ætates diuidi potest: Prima Aetas fuit in qua Electi fuerunt ante Diluuiũ: Secunda Aetas, in qua fuerunt Electi post Diluuiũ & ante Legé Mosis: Tertia Aetas, in qua fuerunt Electi sub Lege, & ante Prophetas: Quarta Aetas, in qua fuerunt Electi tempore Prophetarum: Quinta Aetas, in qua fuerunt Electi ex Iudęis, qui Christi fidem & doctrinam Euangelicã acceperunt & digne coluerũt: Sexta Aetas, in qua fuerunt & futuri sunt Electi ex Gentibus vsque ad tempora Antichristi: Septima Aetas, in qua futuri sunt Electi in ipso tempore Antichristi, & ante iudiciũ. Ob hãc itaq; septem Mũdi Aetatũ distinctionẽ, facta est septẽ sigillorum distinctio, quæ continét mysteria eorum quæ in septem illis Aetatibus partim iam fuerant, partim futura erant. Nec aliud fuit aperiri sigilla, quam declarari ea quæ in qualibet prædictarum Aetatum circa Electos contigerunt ante Christi aduentum, fuisse figuras futurorum, & quemadmodum ea sint mysticè intelligenda, innotescere. Apertio igitur primorum quatuor sigillorum, ad ea pertinet quæ per quatuor Mundi Aetates ante Christi aduentum euenerunt, id est, quæ spectant ad Vetus Testamentum. Apertio autem reliquorum trium sigillorum pertinet ad Nouum Testamentum: Quinti quidem sigilli apertio pertinet ad Martyres: Sexti, ad Iudæorum abiectionem, & Gentium electionem: Septimi, ad aduentum Antichristi, qui cur septimo loco ponatur, infrà declarabitur.

Cur autem per Visionem quatuor equorum significetur Vetus Testamentum, hæc est ratio: Equus per se animal est irrationale, ex parte vero equitis insidentis, & regentis eum, quodammodo videtur rationalis: similiter in Veteri Testamento multa, secundùm litteram, videntur irrationalia: at verò secundùm spiritalem intelligentiam accepta, nõ solùm rationalia, verùm etiam diuina esse comprobantur. Hæc Ambrosius.

Animaduersio in supradictam Ambrosij interpretationem.

5 Sed enim, isti Ambrosianæ interpretationi illud valde obstat; quod secundùm eam prima quatuor sigilla essent de ijs rebus quæ multis sæculis præcessissent ætaté Ioannis: at verò quæ in hac Apocalypsi reuelata sunt B. Ioanni, & ab eo conscripta in hoc libro, non præcessisse Ioannis ætatem, ex illis verbis manifestum est, quæ Ioanni dixit Dominus, *Scribe quæ vidisti, & quæ futura sunt*. Ex quo apparet, quæ reuelata sunt Ioanni, & in hoc libro prodita, ea partim in ipsa ętate Ioannis fuisse, partim post eius ætatem futura fuisse.

Rupertus.

6 Sexta interpretandi ratio quæ Ruperto placuit, est huiusmodi: Septem sigilla significant septem pręcipua Christi mysteria, Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem ad cœlum, Spiritus Sancti effusionem, Gentium, dereli

ctæ Iudææ, vocationem, Vltimum & generale iudicium omnium cum seculi consummatione. Hæc mysteria ante Christi aduentum erant quasi obsignata & clausa, id est, obscurissima ad intelligendum: Aperuit ea Christus, cùm ea impleuit, & quæ de ipsis prædicta fuerant à Prophetis, ad vnum omnia præstitit atque perfecit. Et hanc sigillorum apertionem ostendit Christus Ioanni, & Apostolis, cum eos docuit & illa fuisse de ipso prædicta, & fuisse per ipsum atque in ipso completa. Sic Rupertus. Verùm istiusmodi explanationem Ruperti cum Visione apertionis sigillorum haudquaquam congruere, infra ostendemus.

TERTIA Disputatio.

Examinatur septima ratio interpretandi hæc sigilla, longè à superioribus diuersa, quam tradit Petrus Aureolus.

Septima Interpretatio. Aureolus. 7 SEPTIMA Interpretatio est Petri Aureoli: hæc autem concordat cum secunda & tertia Interpretatione in primo sigillo, Facit enim per apertionem primi sigilli describi statum Ecclesiæ Apostolicum sub Imperatoribus Tiberio, Caio, & Claudio; Sed in reliquis sigillis a cunctis interpretationibus supra commemoratis plurimum differt; Nam in secundo sigillo putat insinuari statum Ecclesiæ sub Nerone vsque ad Titum Imperatorem: in tertio sigillo statum Ecclesiæ significari sub Tito: in quarto sigillo, sub Domitiano: in quinto, à Traiano vsque ad Diocletianum: in sexto sigillo designari atrocissimã Christianorum persecutionem, sub ipso Diocletiano: & hæc quidem narrantur in hoc sexto Capite. In septimo autem Capite significatur ingens Ecclesiæ consolatio sub Magno Constantino, profligatis quatuor Angelis malis, id est, quatuor Tyrannis qui eo tempore Romanum Imperium inuaserunt, & Christianos magnopere vexarunt. In exordio Capitis octaui, & in apertione septimi sigilli dicitur factum esse silentium per dimidiam horam: per istud silentium Aureolus significari ait persecutionem Ecclesiæ sub Iuliano Apostata, quæ persecutio vocatur silentium, quod ea consisteret magis in prohibendo Christianos à bonis exercitijs, quam in torquendo eos corporeis cruciatibus. Dicitur autem durasse per dimidiam horam, vt significaretur, breuissimam fore illam persecutionem, ob celerem nempe Iuliani necem. Et hæc est summa prolixioris Aureoli disputationis super istis sigillis.

8 Sed multa contra istam Aureoli interpretationem possunt afferri. Principio, vult ipse reuelationem Beati Ioannis, & apertionem sigillorum interpretari secundum processum & ordinem temporis, vt quæ primo loco scripta sunt in hoc libro, ea primo etiam tempore credantur esse facta, eodemque modo cetera deinceps, nec vult eadem sæpius repeti, nec anticipari aliqua, nec postponi, Hoc autem nec est probabile, & in nonnullis huius libri locis perspicuè falsum est. Hic enim liber propheticus est, & ad similitudinem & modum aliorum propheticorum librorum procedit in quibus libris propheticis sæpe non seruatur ordo temporis, vt seruari solet in libris historicis, sed frequentes sunt anticipationes, & recapitulationes, subitæque transitiones ad diuersa, & rursus ad priora regressiones, denique, pluribus in locis

locis repetitiones, vt videre est in libris Prophetarum, præsertim vero quatuor maiorum. Deinde, quæ ostenduntur & dicuntur in apertione secundi sigilli & reliquorum sigillorum, non aptè, nec congruè Aureolus applicat ad Imperatores Romanos, sed hoc infra nos in singulorum enarratione sigillorum commodius ostendemus.

QVARTA Disputatio.

Super apertione primi sigilli, & super illis verbis:

VERS. 1. & 2. *Et vidi quòd aperuisset Agnus vnum de septem sigillis: & vidi, & ecce, equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.*

9 APERTIO primi sigilli, & in ea mirabilis Visio equi albi, & equitis arcum & coronam habentis, multas habet variásque apud explanatores huius libri interpretationes, quas breuiter exponemus Lectori, ne quid eũ, ad illorum sigillorum explicationem pertinens, lateat. Prima Interpretatio est Victorini; Postquam, inquit, ascendit Dominus in cœlos, misit Spiritum suum in Discipulos suos; Vnde prædicationis eorum verba, tanquam sagyttæ, ad corda hominum pertingentes, vicerunt eorum incredulitatem: Corona autem super caput, denotat quasi regiam Apostolicorum prædicatorum dignitatem, & gloriam illis promissam in cœlo. Exiuit autem vincens ad vincendum, quia exierunt in vniuersum mundum Apostoli prædicando Euangelium, sicut eis mandauerat Dominus, *Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium*; & vicerunt, quia præualuerunt aduersus Idololatriam, & infidelitatem quæ regnabat in mundo. Similia Victorino habet Ticonius in homilia quinta.

Victorinus. *Marc. vlt.*

10 Secunda Interpretatio est Ambrosij: Primum, inquit, sigillum aperuit Agnus, quando insigniora quæ gesta sunt ante Diluuium, Doctoribus Ecclesiæ, qualiter secundũ spiritalem intelligentiam accipienda sint, per gratiam Spiritus sancti patefecit, exempli causa, de Paradiso terrestri, de arboribus eius, de flumine in quatuor deinde fluuios diuiso, de arbore vitæ, & scientiæ boni & mali, de Adam & Eua, de Abel innocentia, & sacrificio, de fratricidio Cain & supplicio eius, de translatione Henoc: In his enim omnibus magna sunt rerum futurarum mysteria. Equus itaque albus designat Iustos qui fuerunt ante Diluuium, propter innocentiam dictos albos: Sessor equi, Dominus est Sanctis suis præsidens, eosque mouens ac regens: per arcum qui longè sagyttas iacit & vulnerat, significari potest vindicta Dei aduersus primos parentes nostros ob inobedientiæ peccatum, & aduersus Cain fratricidam. Per coronã similiter vt per equum, Iusti figurantur. Exiuit autem vincẽs vt vinceret, cum statuit omne genus improborum hominum delere per Diluuium. Sic Ambrosius, cuius confutationem petat Lector ex supradictis in Disputatione secunda.

Ambrosius *Genes. 2.* *Genes. 3.*

11 Tertia Interpretatio est Ruperti: is opinatus est, per septem illius libri sigilla esse significata septem Christi principalia mysteria, vt supra diximus in secunda Disputatione super hoc Caput. Quoniam aũt primum eorum mysteriorũ est Incarnatio Christi, arbitratur, eam

Rupertus.

eam significari per apertionem primi sigilli, vt non sit aliud aperiri primum sigillum, quàm demonstrari, quæ de incarnatione Filij Dei in Veteri Testamento promissa, prædicta, & præfigurata fuerant, ea omnia fuisse iam in Christo completa & consummata, vt sunt illa oracula, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Mulier circumdabit virum.* & alia id genus complura. Equus itaque albus cum suo sessore significat, secundum Rupertum, Humanitatem Christi iunctam cum Diuinitate; sed multò sanè arctiùs iunctam, quàm est equus suo cum sessore: Homo etenim ex equo descendit, & ab eo discedit, ab Humanitate verò Christi nunquam disiuncta & separata est Diuinitas, etiam in illo mortis eius triduo quo separata fuit caro eius ab anima, cum vtraque coniuncta mansit Diuinitas. Istum porrò equum Rupertus putat esse iumentum illud, super quod misericors ille Samaritanus hominem grauissimè vulneratum, & propè mortuum imposuit, Christus enim omnium peccata hominum in corpore suo pertulit. Albor equi, innocentiam & perfectam ab omni peccato munditiam tam corporis quàm animi significat; Non enim eum mater in iniquitatibus concepit, vt fit in alijs hominibus, sed superueniente Spiritu sancto repleta, & virtute Altissimi obumbrata ipsum concepit. Arcus è longinquo iaciens & feriens, significat iudicium omnium quod facturus est Christus; quod nondum fit, sed propter salutem hominum, & ob complendum Electorum numerum, in extremũ differtur diẽ: Et arcum ille in manu habebat, quia Pater omnem iudicandi potestatem in manu Christi posuit: Et quò pauciores essent quos tunc ille sua damnatoria sententia feriret, anteà pœnitentiam prædicauit, & peccatorum remissionem promisit. Corona in capite eius posita significat sanctam in duodecim Apostolis primitiuam Ecclesiam, secundùm illud, *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* In principio enim prædicationis Christi dedit ei Deus Pater chorum Apostolorum, quasi coronam ex viuis & pretiosis lapidibus, vnde dicebat ipse, *Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* Sed quid illud significat, *Exiuit vincens, vt vinceret?* Exiuit scilicet, trigesimo incipiente anno baptizatus ad prædicandum; atque in ipso exitu suo Diabolum triplici conflictu, id est, tentatione peruicit: tunc illum vicit in se, vt posteà eundem vinceret in nobis. Idcirco enim tentatus ipse est, tentationesque vicit, vt nobis compatiens, vincendi tentationes non modò exemplum, sed etiam virtutem præberet. Et Rupertus quidem super apertione primi sigilli, ad hãc fermè sententiam disputat.

Esa. 7. & 11.
Ierem. 31.
Luca 10.
1. Pet. 2.
Psal. 50.
Luc. 1.
Ioan. 5.
Matth. 4.
Psal. 20.
Ioan. 17.
Luca 4.
Ibid.

12 Sed hanc Ruperti sententiam & interpretationem, multò esse Ruperto antiquiorem, existimare licet ex eo, quòd Andreas, qui prior fuit Ruperto annos propè sexcentos, eam refert vt antiquam, & à Methodio, antiquo Scriptore, commemoratam, atque refutatam. Hęc sunt Andreæ verba; Nonnulli & primi sigilli, & aliorum consequentium sigillorum patefactionem ad incarnati Verbi œconomiam referunt: Primum quidem sigillum, ad Christi ortum; secundum, ad Baptismum eius; tertium, ad miracula quæ post Baptismum susceptum patrauit; quartum, ad iniuriam coram Pilato accusationem Iudæorum; quintum ad mortem Crucis; sextum, ad sepulturam; septimum, ad descensum ad inferos, inferorumque spoliationem. Sed nos libenter adstipulamur sententiæ Methodij, qui super ea re hunc in modum scribit: Nulla necessitas cogit, vt hæc

Interpretationem Ruperti ab alijs multò vetustioribus ipso esse traditã, & à Methodio rectè cõfutatam. Andreas.
Methodius

vt hæc sigilla ad Christi mysteria pertinere arbitremur, siquidem incarnati Verbi mysteria multo ante Apocalypsim editam tempore impleta fuerant; Ioannes autem in hoc libro de rebus partim tunc præsentibus, partim deinceps futuris verba fecit, præcipuè autem quemadmodum rufus ille ignitusque Draco (Diabolus) per Christi potentiam subiugatus fuerit, exposuit. Hactenus ex Andrea.

QVINTA Disputatio.

Explicatur quarta Interpretatio, apertionem primi sigilli referens ad primitiuam, & Apostolicam Christi Ecclesiam.

13 Est quarta Interpretatio multorum & præstantium Virorum, multò sanè quàm superiores aptior atq; congruentior: per apertionem primi sigilli designatum esse florentissimum primitiuæ & Apostolicæ Ecclesiæ statum: per equum verò album cum suo sessore arcum & coronam habente significatam esse maximam excellentemque Apostolorum virtutem & gloriam, qui Christo eos incitante, & adiuuante, regenteque, fidem Christianam & doctrinam Euangelicam per vniuersum terrarum orbem incredibili celeritate felicitateque prædicarunt, innumeris ad Christum conuersis gentibus, debellatoque ac profligato Diabolo qui per Idololatriam regnabat in mundo. Audiat Lector in hanc sententiam breuem Andreæ interpretationem huius loci. Primi sigilli solutio, Andreas inquit, ad Apostolorum virtutē percommodè refertur: Hi namque Euangelij prædicationem velut arcum infractum contra Dæmones intenderunt, salutaribusq; sagyttis vulneratos ad Christum adduxerunt: Coronam porrò Apostoli ob id sortiti sunt, quòd per veritatis arma ducem & magistrum erroris Diabolum deuicerunt, secundæque victoriæ spe, vsque ad violentam mortem nomen Domini professi sunt. Et idcirco hic dicitur quòd exiuit vincens vt vinceret: prima enim victoria Christi per Apostolos facta, Gentium fuit conuersio: secunda autem victoria, voluntaria fuit eorum pro salute hominum & Christi gloria, multorum laborum & cruciatuum, ac denique mortis perpessio. Sic Andreas. *Andreas.*

14 Eodem spectant quæ scribit Ticonius in Homilia quinta, & qui à Ticonio pleraque in explanatione libri Apocalypsis mutuatus est Primasius. Equus albus, inquit, potest in Apostolis, & in Apostolicis prædicatoribus veritatis intelligi; verè albis, id est, per Dei gratiam super niuem dealbatis: Cuius equi sessor fuit Christus, cui per Habacuch prophetam dictum est, *Ascendisti super equos tuos, & equitatus tuus sanitas* (vel vt alia habet lectio, *Quadriga tua saluatio*) Arcum tenebat, de quo per eundem Prophetam dictum est: *Suscitans suscitabis arcum tuum*. Est autem iste arcus sacra Scriptura, & verbum Dei; Sagyttæ autem per istum arcum iactæ sunt diuinæ Scripturæ verba & sententiæ, quibus corda hominum transfixa, cœlestis fidei ac doctrinæ semina conceperunt, & fructus iustitiæ dignos æterna vita protulerūt. De istis nimirum sagyttis illud fuerat olim prædictum, *Sagyttæ tuæ acutæ, (populi sub te cadent)* Corona aurea quam in capite habebat, vel regiam Christi dignitatem, & potestatem significabat, vel gloriosam *Ticonius. Primasius. Locus Habac. 3. Ibid. Psal. 44.*

Apo-

Apostolis paratam in cœlis mercedem, nam & gratia, & meritis, & felicitatis gloria cæteris præstiterunt Apostoli Hanc interpretandi viam & rationem Haymo etiam, & Ioachimus Abbas, Dionysius Carthusianus, alijque complures institerunt.

Pulchra Thomæ Angli interpretatio. Cur Apostoli figurati sint per equum. quatuor insignes equi virtutes.

Sed enim enarratiùs quàm cæteri, & copiosiùs hanc ipsam interpretationem tractauit Thomas Anglus in Commentario huius loci, in hanc fermè sententiam: Equus, in primitiua Ecclesia dicti sunt Apostolici prædicatores quatuor ob virtutes & proprietates equi: primò propter eius alacritatem & ferociam in prælio, de qua scilicet illud est apud Iob: *Exultat audacter, & in occursum pergit armatis.* Tales fuere Apostoli, intrepidè atque inuictè præliando contra omnes veritatis & iustitiæ aduersarias potestates tam visibiles quam inuisibiles. Deinde propter officium portandi: Apostoli autem, sicut etiam omnes Sancti viri, Christum in seipsis portarunt, tum per bonam operationem, sicut Paulus dixit: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro:* tum per diuini nominis prædicationem, sicut dixit Dominus de Paulo, *Vas electionis iste est mihi, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Tertiò, propter miram equi agilitatem, & velocitatem discurrendi in omnes partes; quanta verò fuerit velocitas Apostolorum in prædicando Euangelium, & prædixerat Dauid illis verbis, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* & prædicationis eorum effectus comprobauit; suo enim tempore vniuersum terrarum orbem, prædicando Euangelium peragrarunt, atque illustrarunt. Quartò propter equi patientiam & obedientiam & omnimodam tractabilitatem, quam exhibet homini sessori suo, Nam etsi animal est ambitiosum, & superbum, & audax ac ferox, præsertim autem in prælio, admittit tamen sessorem, patitur frena, & calcaria, & à sessore suo quocumque libitum fuerit, moueri se ac flecti sinit. Tales prope modum fuere Apostoli, *Equis*, ait Beatus Iacobus, *frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.* Tales fuere Apostoli respectu Christi & Spiritus sancti; vt in eos verè dici queat quod de illis suis mysticis Animalibus dixit Ezechiel, *Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur.*

Iob 39. *1. ad Cor. 6* *Act. 9.* *Psal. 18.* *Locus Iacobi 3.* *Ezech. 1.*

Iam verò illis proximè subsequentibus verbis, *Et qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret,* describitur Christus quadrupliciter: Primùm, vt sessor equi ad eum mouendum & regendum, Christus enim per gratiam suam mentibus hominum insidens, quia scriptum est, *Anima iusti sedes est Sapientiæ,* incitat eas ad bonum, & refrenat à malo. Hæc autem sessio fit media sella, quæ est iustitia vitæ, secundùm illud, *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Huius sessoris duo calcaria sunt, Timor quo declinatur malum, & Amor quo perficitur bonum: Frenum est virtus prudentiæ ac discretionis. Secundò, Christus describitur vt armatus ad feriendum & vulnerãdum, id enim est, *Et arcum habebat:* Iste autem arcus est diuina Scriptura; de qua tot procedunt sagyttæ quot verba & sententiæ, itaque dici posset illud, *Arcum suum tetendit & parauit illum.* In arcu est & lignum durum, & chorda mollis quæ flectit lignum; similiter in sacra Scriptura est Vetus Testamentum quod habet duritiem & rigorem, & est Nouum Testamentum quod est molle per gratiam, mitigans Veteris duritiam. Per istum arcum Christus quosdam ferit, & vulnerat ad mortem, per iustam infidelitatis atque iniquitatis eorum punitionem, alios vulnerat ad vitam, 16

Sap. 7. *Quid equi sella, frenũ, & calcaria mystice significẽt* *Psal. 88.* *Psal. 7.*

per

per misericordem eorum conuersionem, atque iustificationem. Tertio, Christus describitur vt coronatus, cùm dicitur, *Et data est ei corona*, quæ significabat regiam eius super omnes dignitatem atque potestatem. Quarto, describitur vt qui iam cœperat vincere, & victoriam suam prosequebatur, hoc enim significatur illis verbis, *Exiuit vincens vt vinceret*: Vincens in se Mundum, & Diabolum, & Mortem, vt ea etiam vinceret in suis fidelibus: Vincens in Iudæa, plurimis Iudæorum per se, & per Discipulos suos ad ipsum conuersis; vt vinceret in Gentibus, innumeros pertrahens ad fidem suam. Et hæc fermè sententia est prolixioris disputationis super hoc loco, Thomæ Angli.

SEXTA Disputatio.

Exponitur Auctoris de primi sigilli apertione sententia.

27 Placet etiam mihi communis ista Doctorum interpretatio, Visionem equi albi quem vidit Ioannes in apertione primi sigilli, referentium ad bellicosissimum & victoriosissimum primitiuæ Ecclesiæ statum, & ad maximè admirandam virtutem & fructum prædicationis Apostolorum. Ad cuius interpretationis maiorem explanationem & confirmationem libitum est ad ea quæ ex sententia aliorum supra attulimus, pauca quædam ex nostro sensu atque obseruatione hic adijcere. Hæc Visio quatuor equorum, albi, rufi, nigri, & pallidi, quæ in apertione primi sigilli facta est Beato Ioanni, magnam habet similitudinem eius Visionis quam in Veteri Testamento plus sexcentis annis ante hanc Beati Ioannis Apocalypsim, habuit Zacharias Propheta, & descriptam reliquit in sexto Capite suæ Prophetiæ. Vidit enim quatuor equorum quadrigas egredientes, in quarum prima erant equi rubri; in secûda, nigri; in tertia, albi; in quarta, varij & fortes. Zachariæ verba ex eo quem dixi loco hæc sunt: *Et conuersus sum & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes.* Quatuor istæ quadrigæ præfigurabant quatuor potentissima regna, sub quorum imperio & iam tunc fuerant Iudæi, & postea futuri erant. Prima quadriga rubros habens equos significabat Regnum Chaldæorum, & Babyloniorum, rubrũ propter crudelitatem & sanguinolentam aduersus Iudæos sæuitiam. Secunda quadriga cuius nigri erãt equi, significabat regnum Medorum atque Persarum, nigrum videlicet ob atrox illud Assueri edictum mortis omnium Iudæorum tristissimum nuncium præferens. Tertia quadriga alborum equorũ præsignabat Regnũ Macedonum & Græcorum, sub specie equorum alborum denotans lętas Iudæis tam statq; victorias, quas aduersus Antiochum aliosque reges Machabæi habuerunt. Quarta demum quadriga varijs ducta equis præmonstrabat Imperium Romanorũ sub specie varij coloris equorum, quod Imperatores Romani partim fuere clementes & benigni erga Iudæos, vt Iulius Cæsar, & Augustus, & Claudius: alij fuere crudeles, vt Caligula, Nero, Vespasianus, & Titus, & Adrianus. Videat Lector explicationem istius Visionis Zachariæ apud Beatum Hieronymum, à quo nos pauca hæc mutuati sumus.

Explicatur similitudo huius Visionis B. Ioannis cum Visione Zachariæ.

Locus Zachariæ, c. 6.

Esther 3.

Sicut

18 Sicut igitur quatuor illæ quadrigæ diuersi colorum equorum præfigurabant quatuor illa regna quæ diximus, ita quatuor equi quos in apertione quatuor primorum sigillorum vidit Beatus Ioannes, significabant quatuor regna: equus albus florentissimũ Christi regnum in primitiua Ecclesia & tempore Apostolorum: equus rufus regnum Romanorum Imperatorum Paganorum crudeliter insectantium Christianos: equus niger, regnum barbararum gentium, vt Gothorum, Hunnorum, & Vvandalorum; vel regnum Diaboli in Hæreticis: equus pallidus, regnum Saracenorum & Mahometanorum; vel regnum Diaboli in hypocritis & falsis fratribus. Christi autem regnum in primitiua & Apostolica Ecclesia initium habuisse videtur in die Pentecostæ, tunc enim primùm lex & doctrina Euangelica per Apostolos magna libertate, & constantia, & ardore prædicari atque peruulgari cœpta est. Iste porro Apostolicæ primitiuæ Ecclesiæ status centum in annos extensus est; & hoc fuit primum Ecclesiæ sæculum, aureum planè sæculum. Huius sæculi anno sexagesimo quinto Visionem hanc quatuor equorum habuit Beatus Ioannes: tunc igitur maiore illius sæculi exacta parte, restabat minor quinque & triginta annos continens: in quo tempore mortuis iam Apostolis omnibus, illis suppares & verè Apostolici viri floruerunt Ignatius martyr, Dionysius Areopagita, Clemens Romanus Pontifex, Polycarpus, alijque id temporis in Christi Ecclesia celeberrimi. Ex quo apparet, hanc Visionem quæ ad statum Apostolicum pertinet, magna ex parte spectasse iam præterita, aliqua tamen ex parte quæ futura erant præsignasse: Nam vt in principio huius libri scriptum est, Ioanni à Deo imperatum est vt scriberet in hoc libro, & quæ iam facta viderat ipse, & quæ tunc agebantur, & quæ postea erant futura.

Cæterùm quanta celeritate, & 19
quanta libertate, & constantia, quantoque Gentium conuersionis ad Christum prouentu Apostoli Euangelium Christi in vniuerso terrarum orbe prædicauerint, perspicuè intelligere licet ex ijs quæ scribit Eusebius in libro 2. Historię Ecclesiasticæ: Prædicatio, inquit, Euangelij sub Tiberio, Caio, & Claudio, breui tempore peruagata est vniuersum terrarum orbem; nullum à prædictis Imperatoribus impedimentum accipiens: Diuina enim prouidentia hoc Tiberij sensibus ingessit, vt comminaretur pœnam accusatoribus Christianorum, quò scilicet in exordio Euangelij sermo diuinus vsquequaque percurreret, & repente, quasi lumen quoddam cœlitus ostensum, & tanquam radius solis effulgens, totum orbem terrarum veritate superni luminis collustraret: vt impleretur illa Dauidis de prædicatione Apostolorum prophetia, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Itaque per omnes ciuitates & vicos, tanquam messis tempore frumenta ad areas, sic in messe spirituali multitudo populorum conuersorum ad Ecclesiam congregabatur. Ita Eusebius. Hunc igitur prædicationis Apostolicæ per omnem terræ orbem processum felicissimumque successum vidit Ioannes in mystico illo libro diuinæ præscientiæ futurorum contineri: & hoc ei primò & ante alia reuelatum est. Nã per equum album significari intellexit exercitum Apostolorum & Discipulorum Christi ob velocitatem prædicationis, & ob vitæ ac doctrinæ candorem. Huic equo insidens Christus erat, qui eorum mentibus insidens eos mouebat & regebat vt opus erat, vel incitando, vel cohibendo & quasi refrenando, & per eos debellando hostes suos.

Apostolicæ prædicationis velocitas atque felicitas. Eusebius.

Psal. 18.

suos. Arcus in manu eius, vis erat diuini Verbi, & denotabat efficaciam prædicationis & insuperabilis sapientiæ & gratiæ Dei virtutem quam eis Christus infundebat, sicut ipse promiserat eis dicēs, *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui nō poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Quoniam autem Christus in omni ferè mundo cognoscendus, & adorandus atque venerandus erat tanquam Rex regum & Dominus dominantium, idcirco apparuit coronatus. Illud autem, *Exiuit vincens vt vinceret*, quidam putant phrasim esse Scripturæ similem illius, *Veniens veniet, faciens faciet, germinans germinabit*: Quo significatur certus, breuique futurus & perfectus rei prædictæ aut promissæ euentus: Christus igitur vicit Diabolum, eumque fugientem, atque identidem bellum reparare ac renouare conantem per Apostolos suos aliosque insecutus est, omnique deinceps æuo vsque in Mundi finem insequetur, sicut ei promissum esse à Deo Patre, docuit nos illis verbis, Dauid, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, & alijs quæ deinceps sequuntur vsque in finem eius Psalmi. Quàm verò aptè congruenterque Apostoli comparati equo fuerint, facilè animaduertet qui reputabit cum animo suo, pensitabitq; verba illa Iob quæ de ingenijs, & moribus, atque virtutibus equorū mira orationis copia, & quadam ceu poetica elegantia in Capite trigesimo nono libri eius scripta sunt; *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Numquid suscitabis eum quasi locustas Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem nec cedit gladio Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Feruens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit Vah. Procul odoratur bellum, & exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Ista quæ dicta sunt à beato Iob de equo, per spiritualem eorum intelligentiam mysticàmque interpretationem ad Christi Apostolos bellè quadrant.

Locus Lucæ 21. — *Psal. 109.* — *Locus Iob cap. 39.*

DE APERTIONE Secundi Sigilli.

SEPTIMA Disputatio.

Super illis verbis:

Et cùm aperuisset sigillum secundum, audiui secundum Animal dicens, Veni vide: Et exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem se interficerent. Et datus est ei gladius magnus. VERS 3. & 4.

VICTORINVS sic interpretatur hunc locum: Equus roseus (sic enim ipse appellat quem Latinus interpres vocauit rufum) & qui sedebat super eum habens gladium, bella sunt futura, in Euangelio prædicta verbis illis Domini, *Surget gens contra gentem & regnum, & erunt terræ motus magni.* Hic est roseus equus. Sic Victorinus. Putat itaque Victorinus per ostentum illius equi & sessoris quod vidit Ioannes in apertione secundi sigilli, præsignata esse bella, & seditiones, aliaque grauissima mala quę prædixit Dominus ventura ante con-

1. Interpre. Victorinus. — *Lucæ 21.*

consummationem sæculi. Locus vero Euangelij cuius meminit Victorinus est apud Lucam in Capite vigesimo primo, vbi refert verba illa Domini, *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum. & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt.*

2. Interpr. Ambrosius

21 Secunda Interpretatio est Ambrosij arbitrantis, apertionem secundi sigilli non esse aliud nisi declarationem eorum mysteriorum quæ adumbratè significata & figurata sunt in quibusdam rebus insignioribus quæ inter Diluuium & Legem Mosis contigerunt: Eiusmodi autem res ille redigit ad quinque capita: primum est de Arca Noe, alterum, de immolatione Isaac; tertium de diuersa sorte duorum geminorum Esau & Iacob; quartū, de admirabili illa Scala quam in somno vidit Iacob; quintum, de colluctatione Iacob cū Angelo vsq; ad aurorā. Videat Lector apud ipsum Ambrosium quomodo verba Scripturæ huius loci ad illa quinq; conetur ipse accōmodare: nam ego, quia istam Interpretationem longè remotam & alienam esse puto a consilio & proposito Dei qui mysteria hæc reuelauit Ioanni, & ab eo scribi voluit in hoc libro; idcirco nō sum in præsens de ea interpretatione plura verba factur*.

3. Interpr. Ticonius. Primasius. Beda.

22 Tertia Interpretatio est Ticonij, quam habet etiam Primasius, & Beda paulò dilucidiùs & distinctiùs (Ticonij tamen tacito nomine) refert his verbis: *Et cùm aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens, Veni, & vide.* Contrarium, inquit Beda, priori equitatui Ioānes solerter attēdere iubetur, vt sicut de prosperis Ecclesiæ per equum album significatis gaudium, ita de aduersis equo rufo præsignatis cautelam ex præscientia sumat. *Et exiuit equus rufus* Contra victricem, vincentemq; Ecclesiam exijt equus rufus, id est, populus sinister, & infidelis, & fidelis populi persecutor sæuissimus, & ex sessore suo Diabolo sanguinolentus; Legimus quidem apud Zachariam equum Domini rufum, sed hic sanguine suo rufus erat, ille autem alieno. *Et datum est ei pacem de terra sumere*, pacem scilicet suam, id est, humanam, temporalem, & terrenam: Ecclesia namq; pacem habet æternam quam ei Christus reliquit. *Et datus est ei gladius magnus*, siue in eos quos ipse Diabolus præuaricatores Fidei faciens, spiritualiter occidit: siue in eos quos pro Christi nomine corporaliter occidendo martyres facit. De quo gladio Dominus dixit ad Iob, *Qui fecit eum, applicauit gladium eius*, id est, Ne tantùm sanctos tentet, quantùm impius ille vellet; vel quòd suæ rabiei in ipsum vindicta redeat. Sic isti. Secundùm quos equus rufus est populus Paganus hostis fidelis populi; sessor autem istius equi est Diabolus incitans Paganos ad persecutionem fidelium, & effusionem sanguinis eorum.

Zacha. 1.

Iob 40.

4. Interpr. Haymo.

23 Eodem planè spectat Haymonis Interpretatio, qui putat sicut per equum album suprà significatum est corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia a peccatis mundata, & super niuem dealbata; ita per equum rufum intelligi debere omne corpus Diaboli, quod est multitudo reproborum omnium: Sicut enim Electi sunt membra Christi, quorum ipse caput est; sic membra Diaboli sunt Reprobi, quorum ipse caput est. Equus itaque rufus corpus Diaboli est, peccatis Reproborum quasi animarum cædibus cruentatum, vnde in hoc ipso libro infra, Bestia super quam meretrix illa sedebat, coccinea esse perhibetur. Permissu autem Dei datur Diabolo potestas tollendi pacem è terra, id est, de terrenis hominibus; nam quia isti terrena bona immodicè concupiscunt, & quoquo modo assequi cōtendunt, pro-

propterea inter se discordant; & dimicant, & mutuis odijs atque cædibus ardent. Gladius quo sessor istius equi armatus est, intelligitur mala persuasio; praua suggestio, iniqua deceptio: Hoc gladio dupliciter homines interficit Diabolus, aut per seipsum occultè suggerendo praua, aut per ministros suos apertè persequendo Iustos, quos dupliciter iugulat, vel spiritualiter, separando a Fide; vel corporali vita priuando. Et hæc est loci huius quarta Interpretatio quam habet Haymo, non admodùm dissimilis tertiæ.

5 Interpr. Ruperti. 24 Quinta Interpretatio est Ruperti, apertionem secundi sigilli referentis ad passionem & mortem Christi, secundum videlicet mysterium illorum septem mysteriorum, quæ putat ipse significata esse per illa septem sigilla. Equus itaque rufus significat Iudaicum populum à sessore suo Diabolo inflammatum odio Christi, & ad necem ei inferendam incitatum, atque impulsum: Ergo secundi sigilli apertio nihil aliud fuit, quàm demonstratio eorum quæ fuerant in Veteri Testamento prædicta & præfigurata de passione & morte Christi, ea cùm Christus patiendo & moriendo adimpleuit esse aperta ac patefacta, id est, facta intelligibilia omnibus, cum antea & obscura essent, & paucissimis nota. Prophetias de passione Christi reperies Lector apud Dauidem Psalmo 21. & 68. apud Esaiam Cap. 53. apud Danielem Cap. 9. Insignes præterea atque illustres fuere passionis Christi figuræ tum in personis, vt in Abel, Isaac, Ioseph, Samsone, Dauide, Ieremia: tum in ceremonijs legalibus, vt in Agno paschali, in capro emissario, in serpente æneo. Equus igitur rufus est populus Diaboli sanguinolentus cruentus ille sessor & agitator est. Apud Zachariam Dominus ipse figuratur per equum roseum; sicut hic in apertione primi sigilli figuratus est per equum album; nam & propria munditia albus, & proprij sanguinis effusione roseus est, quapropter de ipso scriptum est in Canticis, *Dilectus meus candidus & rubicundus est.* Verùm hoc loco equus rufus populus Diaboli est, iustorum sanguine a sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ cruentus. Et tunc exiuit, vt impleret mensuram homicidiorum suorum, iunctis sibi Gentilibus & Pontio Pilato ad occidendum Dominum. Datum est illi pacem sumere de terra; vt se homines interficerent: nam post necem, & propter necem Domini magna inter Iudæos dissidia, factiones, seditiones, bella tam interna, denique atrocissimæ calamitates, clades, & excidia extiterunt. Gladius magnus vel magna & longa est vindicta Iudæorum vsque ad finem mundi; vel persecutio Electorum quæ perpetuatur vsque ad Antichristum. Hæc Rupertus; quæ vera sanè ac pia sunt, sed huic loco incongrua & aliena, eademque ratione confutanda qua eius sententiam de interpretatione apertionis primi sigilli suprà confutauimus.

Cant 5.

Matt. 23.

OCTAVA Disputatio.

Exponitur & discutitur sexta Interpretatio apertionis secundi sigilli, quæ est Aureoli & Lyrani.

SEXTA Interpretatio est Aureoli & Lyrani: hi per equū rufum & sessorem eius in apertione secundi sigilli ostensum B. Ioanni putant esse significatam primā Christiano- 25 *6 Interpre. Petrus Aureolus. Nicolaus de Lyra.*

Nero prim⁹ Romanorũ Principum persecutor Christianorum.

rum persecutionem apud Gentiles, quæ facta est sub Nerone: hic enim primus Paganorum Principum, & Romanorum Imperatorum gladium distrinxit persecutionis aduersus Christianos, duobus vno die occisis Christiani populi Ducibus & Principibus Petro & Paulo. Scitum profectò est quod

Tertullian.

de Nerone Tertullianus in Apologetico scripsit his verbis: Consulite Commentarios vestros, illic reperietis, primum Neronem in hãc Sectam tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse: Sed nos tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur, qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi aliquod bonum grande à Nerone damnatum.

Equus itaque ille rufus significauit Romanum Imperium, sessor autem eius ipsum Neronem, vel equus rufus Neronem, sessor autem ipsum Diabolum. Rufus erat ob multam humani sanguinis effusionem, tum Christianorum, tum maximè ciuium Romanorum, quorum vix credi potest quantam Nero stragem fecerit, ne à suis quidem maximè necessarijs & sanguine coniunctis temperans crudelitati, matre, vxore, fratre, præceptore crudeliter interemptis, vt mirum non sit, eum quoque Christiani sanguinis fuisse sitientem. Potuit etiam per rufum colorem Nero designari ob incendium Romanæ Vrbis maius & perniciosius quàm antè vnquam fuerat, ipso auctore & spectatore factum: cuius inuidiam à se volens transferre ad Christianos Romanis tunc inuisos, acerbissimis cruciatibus miserandisque supplicijs innocentes homines addixit, qui fuere nobiles primitiæ Romanorum Martyrum, triennio ante passionem Beatorum Apostolorum Petri & Pauli oblatæ Deo. Sustulit autem Nero pacem è terra, quia Rempublicam vehementer perturbauit, & vexauit, & afflixit, totumque Orbem terrarum inquietauit; pro magno habens, multumque gaudens, quod maximas clades mortalium fecisset: Nec in eius principatu viris bonis & virtute præstantibus pax & securitas esse poterat, tanta erat multitudo delatorum hominum optimè cuiusque vitæ insidiantiũ, necemque molientium, quòd istis delatoribus ingens gratia, præcipuus honos, copiosa merces parata esset apud Neronem. Et hæc dicta sint ad maiorem sententiæ Aureoli & Lyrani explicationem.

Animaduersio i Aureoli & Lyrani Interpretationẽ.

Sed hæc interpretatio propterea 6
non sit verisimilis nec fidem mereatur, quòd isti equi rufi significationem ad vnius Neronis crudelitatem & odium aduersus Christianos restringant, cùm ea ad alios quoque Tyrannos & persecutores Christianorum æquè pertineat. Sicut enim isti rufedinem siue ruborem illius equi interpretantur crudelitatem sanguinariam Neronis aduersus Christianos; itidem nos interpretari possumus Domitiani, & Maximini, aliorumque persecutorum Christiani nominis crudelitatem. Omnes enim isti similiter propter effusionem sanguinis Christianorum, rufi, id est, cruenti & sanguinarij fuerunt. Immò verò multò veriùs id competit in Decium & Diocletianum Imperatores, in horum enim persecutionibus Christianorũ multo plus effusum est Christiani sanguinis, quàm in persecutione Neronis: absurdum igitur est, ad vnum Neronem applicare, quod in alios vel æquè, vel multò etiam magis conueniat. His accedit, quòd, vt supra diximus, hæc Beati Ioannis Visio quatuor equorum, persimilis est Visioni Zachariæ quatuor quadrigarum, in quarum prima erant equi rubri, in secunda nigri, in tertia albi, in quarta varij & fortes: Per quas quadrigas & quadriformem equorum colorem significata

gnificata sunt quatuor potentissima Regna & Monarchiæ, & Regum qui in eis futuri erant ingenia, & studia, & mores, Sic tamen, vt per eiusdem coloris equos præfigurarentur complures eiusdem Regni futuri reges; Ad eundem igitur modum existimare conuenit, omnes Imperatores Romanos qui Ecclesię Christi hostes cruēti & sanguinarij Christianorum persecutores fuerunt, per eundem equum esse figuratos.

NONA Disputatio.

Enarratur septima Interpretatio, quæ est Andreæ, eâque præ ceteris probatur Auctori.

7. Interpr. 27 AT mihi omnium maximè Andreæ Interpretatio & sententia probatur. Censet Andreas, sicut per primum illum equum album significatus est florentissimus, & fęlicissimus Apostolorum status; ita per hunc equūm rufum esse significatum secundū Ecclesiæ statum Apostolico proximè succedentem, qui fuit Sanctorum Martyrum: Hi namque per diuersa temporum interualla, & in varijs Romanorum Imperatorum persecutionibus, pro Christi confessione acerbissimos corporis cruciatus passi, denique sanguinem etiam suum vitámque profuderunt. Audiat Lector Andream, optimum sanè libri Apocalypsis, non solùm huius loci, explanatorem. Secundum, inquit, Animal quod aperto secundo sigillo locutum est Beato Ioanni, vitulum dici existimo. Hoc autem sacras Beatorum Martyrum hostias designat; sicut primum Animal Ioanni locutum in apertione sigilli, significans Apostolorum inuictā fortitudinem, fuit Leo. Ergo per apertionem secundi sigilli, secundam ab Apostolis successionem, quæ per Martyres constituta est, interpretamur: In hac enim Ecclesiæ ætate dilatata iam Euangelij prædicatione, Mundi huius pax dissoluta, hominumque natura cōtra seipsam quodammodò diuisa est, huc namque pertinet illud Domini, *Non veni pacem mittere, sed gladium*; per quem Martyrum hostiæ mactatæ, & in cœlesti ara oblatæ Deo sunt. Porrò equus rufus aut effusi Martyrum sanguinis symbolum est, aut inflammatum charitate affectum eorum significat: nimirum illi flagrantes Christi amore mortem pro illo non solùm constāter, sed etiam gaudenter oppetiuerunt. Cùm autem dicitur, sessori eius equi datam esse potestatē tollendi pacem de terra, ponitur nobis ante oculos sapientissima Dei permissio, hæc vna enim est, quæ fidos Dei seruos per tentationes probari & explorari finit. Hactenus fuerunt Andreæ verba.

Andreas.

Equidem cum Andrea lubēter consentio: arbitror enim, similitudine illius equi rufi & sessoris eius habentis gladium magnum, & potestatem tollendi pacem è terra, significatas esse atrocissimas persecutiones, & crudelissimas cædes Sanctorum Martyrum; sed illas pręcipue decem memoratissimas persecutiones Christianorum à Romanis Imperatoribus factas. Quarum prima fuit sub Nerone; secunda sub Domitiano; tertia sub Traiano; quarta sub Antonino Vero & Philosopho; quinta sub Seuero Septimio; sexta sub Maximino; septima sub Decio; octaua sub Aureliano; nona sub Valeriano; decima sub Diocletiano & Maximiano. Equus itaque rufus significat popu- 28

Auctoris sententia.

Romanorum Imperatorum decem persecutiones populi Christiani.

populum Paganum qui Sanctos Martyres ad tormenta & cædes trahebat, ideòque tum odio eorum, tum cæde, rufus & cruentus describitur. Hanc Martyrum sanguinolentam, & multiplici tormentorū acerbitate supra quam credi queat crudelem persecutionem graphicè admodùm describit Ecclesia illis verbis:

In hymnis plurimorū martyrum, ad Vesperas & Matutinum.

Hi pro te furias, atque ferocia
Calcarunt hominū sæuaque verbera.
Cessit his lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia
Cæduntur gladijs more bidentium.

Et alio in loco.

Traduntur igni Martyres,
Et bestiarum dentibus,
Armata sæuis ungulis
Tortoris insani manus.
Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur.

Sessor illius equi rufi incitans eum in Christianorum necem fuit Diabolus; vel fuere Imperatores Romani & Pagani qui Ecclesiam, & Populum Christianum crudeliter insectati, maiorem in modum vexauerunt & afflixerunt: Ista enim indulgentes odio & crudelitati Pagani populi aduersus Christianos, eos quæri, comprehendi, & varijs, exquisitisque tormentis immaniter necari iusserunt. Dicitur porrò datus fuisse sessori equi gladius magnus, id est, potestas maxima, quæ Dei permissu Imperatorib. Romanis data est in Christianos: Sed illi tanta Imperiali potestate in Christianos immaniter abusi sunt. Gladij autem magnitudo significat quintuplicem magnitudinē illius persecutionis: Fuit enim magna quantum ad tempus siue durationem, durauit enim licet non continua, à Nerone vsque ad Diocletianum, per annos circiter quinquaginta & ducentos: Fuit etiam magna quantum ad loca, per omnes enim prouincias, & regna, & ciuitates, & oppida persecutio illa grassata est: Fuit item magna quantum ad personas, in omne videlicet genus hominum promiscuè sæuitum est, nullo prorsus habito respectu neque sexus, neque ætatis; neque conditionis, neque vt'lius necessitudinis atque cognationis: Adhæc magna fuit ob magnitudinem, & multitudinem & atrocitatem tormentorum: Magna demùm fuit ob exitialem persecutionis effectum, nam per vim tormentorum vel animam impiè separabat à Deo, vel crudeliter eam separabat à corpore. Illud autem, *Pacem sumere de terra,* significat id quod Dominus futurum prædixerat illis verbis, *Non veni pacem mittere in terram sed gladium.* Et rursus, *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & filij parentes, & morte afficient eos.* Videat Lector explanationem huius loci quam habet Ioachimus Abbas minimè profectò aspernandam, & cum ea interpretatione quam nos approbauimus, plereq; congruentem.

Matth 10. Mar. 13.

†

DE APERTIONE Tertij Sigilli.

DECIMA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 5. & 6. *Et cùm aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium Animal dicens, Veni, & vide. Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua. Et audiui tanquam vocem in medio quatuor Animalium dicentem, Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læſeris.*

Recenſentur horum verborum interpretationes, Victorini, Ambroſij, Andreæ, Ruperti & Haymonis.

1 Interpre. Victorinus. 29 VARIÆ admodũ ſunt horum verborum interpretationes. Victorini Interpretatio eſt huiuſmodi: Equus niger, famem futuram ſignificat, ait enim Dominus in Euangelio, *Erunt fames per loca.* *Luca 21.* Propriè autem hoc pertinet ad tempora Antichriſti, quia tunc magna fames eſt ventura, qua lædentur omnes Statera in manu, libra examinis eſt, in qua ſingulorum merita oſtendentur: Illud autem, *vinum & oleum ne læſeris*, hoc ſignificat, Spiritualem hominem ne plagis percuſſeris; Et hic eſt equus niger. Ita Victorinus.

Ambroſius tertij ſigilli apertionem refert ad viros iuſtos & Electos, qui à tempore Moſis & ſub lege fuerunt vſque ad tempora Prophetarum, In quo temporis tractu multa & permira contigerunt; *2 Interpre. Ambroſius* exempli gratia, In apparitione Dei in rubo, in decem plagis Ægyptiorum, in tranſitu Hebræorum per mare Rubrum, & per fluuium Iordanem, in quadragenaria eorum peregrinatione in Deſerto, in expugnatione atque poſſeſſione terræ promiſſionis, in principatu Ioſue, Gedeonis, & Samſonis: *Exod 3.* Hæc omnia, dicit Ambroſius, myſtice intelligenda eſſe. Quin etiam ipſa legis Moſaicæ præcepta referta ſunt myſticis ſignificationibus eorum quæ futura erant in Chriſto & in eius Eccleſia. Talium itaque rerum myſticam intelligentiam Ambroſius tertij ſigilli apertione ſignificatam eſſe arbitratur. Quemadmodum vero Ambroſius verba huius loci ad iſtam ſuam Interpretationem applicet, quærat Lector apud ipſum, nam quia nos Interpretationem ſeptem, ſigillorum quam ille tradit minime probabilem eſſe cenſemus, idcirco noluimus in referendis omnibus quæ ſuper ea re ſatis prolixe ſcribit, tempus & orationem perdere.

Secundum Andream Cæſarienſem, ſolutio tertij ſigilli ſignificat 30 *3 Interpre. Andreas.* eorum, qui ob infirmitatem fidei, & mollitiem animi prolapſi ſunt, a Chriſto defectionem. Quocirca ad hoc etiam inſinuandum dicitur, tertium Animal in apertione tertij ſigilli locutum eſſe Ioanni; Supra verò in quarto Capite tertiũ Animal deſcriptum eſt habens faciem quaſi hominis, Homo autem ob voluntatis libertatem & infirmitatẽ carnis facilè mutatur, & de-

deficit, & prolabitur in peccatum, eòque mitiorem quoque pœnam promereri videtur. Per equum itaque nigrum denotatur luctus & mœror qui viris iustis, vt credibile est, accidit propter eos, qui suppliciorum immanitate victi, à Christo desciuerunt. Per stateram significatur examen quod eorum animas explorabit, qui ob lubricitatem mentis, & incostantiam animi, vel propter inanem gloriam, siue corporis imbecillitatem, fidem Christi abiecerunt.

Tritici porrò chœnicem siue bilibrem denario vno æstimare, per tropum, vt quidam putant, illorum statum insinuat qui legitimè certauerunt, impressamque sibi à Deo imaginem accuratè custodiuerunt. Tres autem hordei chœnices tantidem fieri illorum conditionem exprimit qui pecudum more ignaui cùm persecutorum furori anteà cessissent, posteà sui lapsus seriò pœnitentes, imaginem Dei peccatorum sordibus antè conspurcatam, lacrymis abluerunt. Quando autem iubetur, ne vinum & oleũ lædatur, illud seriò iniungitur, ne per turbam medicina Christi euertatur, aut per fraudem & impostu ram infirmetur, vtpotè quæ sit efficax sanandi eos qui in latrones inciderunt, à quibus spoliati & vulnerati sunt. Illud quoque significatur, per mortem intercipere nõ licere eos qui per Dei longanimitatem & patientiam post lapsum denuò surrecturi, decúsque pristinum recuperaturi sunt. Vt igitur nos quoque Deum benignum clementemque animarum nostrarum medicum experiamur, fratribus nostris errantibus benignos, clementèsque nos exhibere decet, obiurgationis vinum, commiserationis oleo miscentes, ne nimia seueritate quod claudum mutilùmve fuerit distorqueamus potius quàm sanemus. Sic Andreas.

31 Rupertus solutionem tertij sigilli refert ad mysterium Dominicæ resurrectionis quam Iudæi supprimere conati sunt subornatis magna pecunia custodibus sepulcri, vt dicerent, dormientibus ipsis corpus Domini sublatum fuisse ab eius Discipulis; tantùmque valuit mendacium hoc, vt de eo Matthæus ita scribat, *Diuulgatum fuit verbum hoc apud Iudæos vsque in hodiernum diem.* Ob hanc itaque causam odio Christi gloriæ obtenebrati & obcœcati, aptè significati sunt per equum nigrum. Sessor istius equi Diabolus fuit, mendax & mendacij pater qui Iudæos impulit vt tali mendacio confecto resurrectionem Domini supprimere conarentur, appensa custodibus sepulcri pecunia, vt hoc diuulgarent, quod hic aptè significatur per stateram quã sessor equi in manu habebat: Idem fecerat Diabolus paulo ante per Iudam, qui pro triginta argenteis sanguinem Christi vendidit Iudæis; Vnde subiungitur, *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.* Computemus libras, quot scilicet obtingant triginta argenteis siue denarijs; nam hinc patet, octo libras duobus denarijs respondere. Ergo triginta denarijs obueniunt libræ centum viginti; tot nimirum in principio fuerunt credentes in Christum, quos ipse ascendẽs in cœlum reliquit in terris. Illis porrò verbis, *Vinum & oleum ne læseris,* hoc significatur, Etsi tu Diabole multitudinem Iudæorum infidelium læsisti diuulgato mendacio de mea resurrectione, non tamen conceditur tibi lædere fideles meos, quorum numerus etsi nunc est perexiguus, eó tamen numero significantur omnes qui per verbum istorum credituri sunt: Quicquid igitur fiat, aut tu facias de istis Iudæis ob suam falsitatem & mendacium nigris, hos tamen fideles meos decipere ac lædere non conceditur tibi. Figuratè verò ac my-

4. Interpre. Rupertus.

Matth. vl.

Ioan. 8.

Matth. 27

Act. 1.

mysticè per vinum & oleum significatur geminum Spiritus sancti
Joan. 20. donum: Nam per oleum significatur potestas remittendi peccata quam post resurrectionem suam Dominus Discipulis dedit; per vinum signatur exuberantia gratiæ Spiritus sancti quę data est die Pentecostes, per quam illi centum viginti fideles facti sunt & diserti, &
Act 2. audaces, & constantes, & feruentes ad prædicandum, ita vt musto pleni vulgò dicerentur.

5. Interpr. Haymo. Haymo, sicut per equum rubrũ suprà dixerat significari omne corpus Diaboli, siue vniuersitatem Reproborum quorum crudelitas rufedine equi denotatur; ita hoc loco ait, eandem Reproborum vniuersitatem significari per equum nigrum, non quantùm ad sæuitiam & crudelitatem eorum sed quantùm ad fœditatem vitiorum, errorùmque tenebras quę per equi nigredinem insinuantur. Sessor huius equi Diabolus est, qui rectè dicitur habere stateram in manû sua, Mercatores enim habere solent stateram, vt quæ vendunt & emunt, appendant: Sed Diabolus pessimus est mercator dans vilia vt auferat pretiosa; Diaboli statera est peruersa suasio eius
Genes. 3. promittentis temporalia vt adimat æterna; sicut Adamo dedit pomum & totum in posteris eius accepit mundum. Per triticum, & hordeũ, & vinũ, & oleũ Ecclesia significatur secundum varios eius gradus: Vocabulo itaque tritici specialiter, intelligere licet
B. Ignatius pastores & rectores populi fidelis, virosque perfectos, qui instar tritici moluntur tribulationibus præsentis vitæ, & coquuntur igne passionis, quò fiant panis optimus & Deo gratissimus, sicut
Joan. 12. de se dixit Beatus Ignatius, Frumentum ego sum Christi, bestiarum dentibus molar vt panis efficiar Deo: & Dominus ipse assimilauit se grano frumenti. Dicitur *bilibris tritici*, vt significetur Ecclesia ex duobus populis collecta, vel ob duplex Testamentum, vel ob geminum præceptum charitatis. Trilibris autem hordei designat plebem & populum fidelem sanctæ Trinitatis fide ornatum, & per verbum Dei, & vsum Sacramentorum, & obseruantiam diuinæ legis, denario qui mercedem significat æternæ vitæ donandum. Ergo per triticum significantur in Ecclesia Rectores, & Doctores populi: per hordeum indocta, sed fidelis plebs Christi, vel status hominũ pęnitentium: per vinum & oleum viri perfecti in vita contemplatiua vel in actiua, vel in vtraque permixtè, sed præcipuè designantur homines Religiosi, qui omninò renunciantes sęculo, seruituti Dei solemnibus votis obstricti se penitus addixerunt. Sic Haymo. Equidem supradictas quinque Interpretationes minime approbo: Nã Rupertus & Ambrosius hanc Visionem referunt ad res multò ante ipsam præteritas, & ipsi Ioanni atque Ecclesiæ notissimas, cùm ea tamen Visio præcipuè ad res futuras & ignotas pertineat. Andreas verò & Victorinus & Haymo verba Scripturæ huius loci satis incongruè atque incommodè ad suas interpretationes explicant; quædã etiam durè ac violentè detorquent.

†

VNDECIMA Disputatio.

Examinatur Interpretatio apertionis tertij sigilli, in speciē magis quam reuera probabilis, ab Aureolo & Lyrano tradita.

6. Interpr. Aureolus. Lyranus.

PVTANT isti, per ostentum equi nigri visum à Ioanne in apertione tertij sigilli, significatam esse supremam calamitatem, & exitium, & desolationem quæ Iudæis contigit sub Tito Romani exercitus Imperatore, in vltionem videlicet impijssimæ cædis Christi, & ob plurima & maxima quibus Ecclesiam Christi afflixerunt mala.

Equus niger significabat Romanum exercitum quem Titus duxit aduersus Iudæos, nam equus bellici roboris atque vigoris symbolum est: niger verò appellatur ab effectu, sicut dicitur Sol calidus, & atra siue pallida mors; Nigredo enim equi iudicium erat ingentium malorum & calamitatum quibus Iudæi conflictati & contriti sunt à Romanis: quarum magnitudo & immanitas prorsus incredibilis videretur, nisi eam memoriæ proditam haberemus, testatamque à Iosepho qui magna eius belli pars fuit. Iosephus. Is verò in libris de Bello Iudaico inter alia scribit, eo bello partim fame, partim gladio interijsse vndecies centena millia Iudæorum: captiuorum autem per omne belli tempus ad septem & nonaginta mille fuisse numerum. Sessor istius equi Titus fuit Romanum regens exercitum: nam cùm pater eius Vespasianus qui bellum contra Iudæos gerere cœperat, electus fuisset Romanorum Imperator, cura eius belli, conficiendi Tito filio demandata ipse Romani Imperij arcem debellaturus Vitellium, contendit.

Statera quam sessor illius equi dicitur in manu habuisse, significabat diuinam iustitiā, quā Titus, etsi non mente, ipso tamen opere, & factis executus est. Decreto enim voluntatis ac iustitiæ diuinæ factū est, vt exercitus Romanus Iudæos omnes qui erant in Iudæa, partim internecione deleret, partim abstractos in seruitutem, totum per orbē terrarum dissiparet, in Christi mortis videlicet vltionem atque vindictam. Hoc autem multis antè sæculis non obscurè futurum prænuntiauerat Daniel: id ipsum vero Dominus noster apertè prędixerat verbis illis, quæ refert Lucas Cap. 19. *Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram posternēt te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Idem Lucas Capite 21. refert illa Domini verba super eadem re: *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius.* Et paulò infra: *Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à Gentibus* Licèt igitur Romani bellum illud susceperint & gesserint nō ad vindicandā Christi mortē, sed ad puniendā Iudæorū cōtra Romanū Imperiū rebelliōnē; Deus tamen occulto, & ipsis ignoto animorum instinctu atq; incitatu eos impulit ad id bellum gerendum, eosque in eo bello prosperauit, nimirum eorum ministerio & opera vsus ad vlciscendam Christi necem: Similiter enim antiquitus ad castigandos Iudæos vsus est ope-

Daniel. 9. Locus Lucę 19. & 21.

opera & ministerio Regis Assyriorum Salmanasar, & regis Chaldęorum Nabuchodonosor, vt videre est apud Esaiam & Ezechielé. Quo circa signatè in hoc loco dictũ est, sessorem illius equi habuisse stateram non in méte, sed in manu sua, quia diuinæ iustitiæ vindictam nõ exequebatur méte sua, id est, sciẽs & volens id agere, quod per eum Deus fieri volebat; sed in manu tan tùm habebat staterã, quia etsi nec sciens, nec volens, ipso tamen opere factoq; diuinæ voluntatis & iustitiæ decretum exequebatur.

Per bilibrẽ porrò tritici vno denario constantem significabatur, ad tantam Iudæos abiectionem ac vilitatem atque contemptum esse deuenturos, vt nobiliores ipsorum, qui tritici similitudine figurantur, decem vno denario vendendi essent: Libra enim vnã denotat numerum quinq; Iudæorum, propter quinque libros Moysi ab omnibus Iudæis receptos tanquam sacros. De ignobilioribus autem Iudæis, qui per hordeum significantur, triginta vno denario venundãdi erãt. Hoc autem, ne de suo sensu dixisse aut finxisse videretur Lyranus, Scriptorem eius rei laudat Hugonem quendam qui scripsit de fine belli Romanorum aduersus Iudæos, affirmantem, Romanos deniq; multa cæde Iudęorum satiatos fessosq; quæsiuisse mercatores quibus captiua mancipia diuenderent: Sed quia plurimi erant venales, pauci vero inueniebantur emptores, non defuisse, ait, qui triginta mancipia vno emerent denario: vt sicut illi Dominum emerant à Iuda triginta denarijs, ita contrario modo triginta ipsorum vno denario venderentur. Quòd autem noluit Dominus lædi vinum & oleum, id pertinet ad conseruationem Christianorum id temporis habitãtium in Iudæa, qui priusquàm ingruerent supradicta mala, diuino monitu, Ierosolymis omniq; ex Iudæa decedentes, in Vrbem nomine Pellam, quæ trans Iordanem erat in regno Agrippæ regis confœderati Romanis, concesserunt. Rectè autem Christiani per vinum & oleum significantur: per vinum quidem, ob feruorẽ charitatis exuberantiamq; spiritualis gaudij primitiuæ Ecclesiæ, per oleũ verò propter lenitatem & mansuétudinem, effusionemque benignitatis per elemosynas & opera misericordiæ. Et huiusmodi quidem est interpretatio huius loci quæ Lyrano & Aureolo maximè placuit.

34 *Refutatio supradictæ interpretationis.* Etenim, nec pauca, nec inualidã ad istam refellendam interpretationem suppetunt argumenta. Illud namque Ierosolymitanum excidium multis iam annis hanc Beati Ioannis Visionem præcesserat, eratq; notissimum omnibus, & toto fermè terrarum Orbe vulgatissimum: at Visio hæc prophetica rerum fuit ignotarum & futurarum. Deinde, per tres illos posteriores equos significatæ sunt variæ persecutiones & afflictiones fidelium diuersis futuræ in temporibus: Titus autem Imperator non fuit insectator Christianorum, nec bellum illud suscepit cõtra Christianos, sed contra Iudæos Romano Imperio rebelles: immo verò tot tantaq; mala quæ Iudæis ex eo bello contigerunt, non attigerunt Christianos extra Iudæam tempore illius belli innoxiè commorantes. Adhæc, quẽ ad finem, quamque ob vtilitatem hæc Visio, secundùm istorum interpretationem, data fuisset B. Ioanni? non sanè ad docendum eum, quod ignorabat, quippe qui eam rem optimè nouerat: non in vsum Ecclesiæ, cui videlicet ea res tum ex profanis Auctoribus, præsertim autem Iosepho eius belli diligentissimo & probatissimo Scriptore, tum ex Ecclesiasticis Scriptoribus pernotuerat.

DVO-

DVODECIMA Disputatio.

Enarrantur aliæ duæ super tertij sigilli apertione Interpretationes quæ superioribus videntur eße probabiliores.

35 TIconius, & Primasius, & Beda mysterium tertij sigilli interpretantur de falsis fratribus, præcipuè autē de hypocritis qui sub dolosa sanctitatis imagine, & fallaci pietatis obtentu vel sibi lucrum & honorem captant, vel etiam alijs spiritualem perniciem exitiumque comparant, de quibus scilicet Dominus dixit, *Attendite vobis, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, Rectè autem hypocritæ dicuntur habere stateram in manu sua; simulantes enim magnum iustitiæ zelum, aliorum dicta, & facta exigunt, & examinant velut ad trutinam perfectę iustitię, quicquid enim iusto conuenit Iudici, etiam isti veri transgressores, sed callidi tamen simulatores iustitiæ sibi arrogant & vsurpant. In tritico & hordeo Sancta Christi Ecclesia est intelligenda, in qua sunt perfectiores, tritico similes, & imperfectiores, similes hordeo, vel per triticum Præpositi Ecclesiæ, per hordeum subiecti eis populi significantur. Non est minus quid vna bilibris quam tres bilibres, quia in Christi Ecclesia eadem est & in singularitate. Deitatis & in Trinitate Personarum fidei ac religionis perfectio. Idem quoque pretium est tritici & hordei, cum illud tamē præstabilius sit quàm hoc: licèt enim in Ecclesia sint alij maioris meriti alijs, omnes tamen eodem dominici sanguinis redempti sunt pretio, & remunerandi sunt denario vitæ æternæ, quæ inter multas & varias mansiones, quæ sunt in domo Patris, communis est omnium. Nā etsi propter differentiam meritorum alius ibi alio possit esse sublimior, præmiòque maiori ditatus; nullus tamen ibi est alio longæuior, vbi vna est immortalitas singulis, eademque æternitas permanet vniuersis. In vini & olei similitudine vim Sacramentorum prohibet violari, Sacram dico Vnctionem, pretiosumque Cruorem, Vnde legitur apud Zachariam Cap. nono, *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines.* Dauid etiam dixit, *Vt vinum lætificet cor hominis, & exhilaret faciem in oleo.* His fermè verbis eam quam diximus interpretationem Primasius explicat.

Idem putandum est sensisse Beda, qui apertionem tertij sigilli, de falsis fratribus interpretatur, 36 quorum pessimi & nocētissimi sunt Hypocritæ: Equus niger, ait Beda, falsorum caterua est fratrum, qui stateram rectę professionis habent, sed fratres & socios suos lædūt per opera tenebrarum: Dum enim auditur vox de medio Animalium dicens, *Ne læseris*, satis ostenditur, illic esse qui lædat. Ergo quod illa voce dicitur, tale est, Caue ne tuo exemplo pessimo fratrem tuū scandalizes, pro quo Christus mortuus est, & qui sacri sanguinis atque Chrismatis portat insignia; Siue enim perfecti virtutibus & meritis viri, siue minimi quique in Ecclesia, fide tamen Trinitatis imbuti, omnes pretio domini sanguinis sunt redempti. Nec immeritò bilibri & non simplici libra & fidei, & operum perfectio Christiana exprimitur, cùm ea vtrumque habeat, & in geminę charitatis radice consistat. Hæc Beda.

Marginalia: 7. Interpr. Ticonius Primasius. Beda. — Matth. 7. — Ioan. 14. — Locus Zacharia 9. — Psal. 103. — Beda. — ad Rom. 14

Est

8. *Interpr.* 37 Est denique alia interpretatio huius loci, mysterium tertij sigilli referens ad Hæreticos & Hæresiarchas, vt fuere olim Arius, Pelagius, Nestorius, & in hac memoria nostra Lutherus & Caluinus. Hanc interpretationem præ cæteris approbarunt Ioachimus Abbas, Thomas Anglus, Dionysius Carthusianus, & de recentioribus libri huius Explanatoribus Gagneius & noster Ribera, qui ad hanc interpretationem verba Scripturæ huius loci sic accommodant: Tertium Animal quod in apertione tertij sigilli locutum est Ioanni, formam habens hominis, Matthæus Apostolus & Euangelista fuit, cui Humanitatis Christi descriptio attribuitur; quo Animali tertius ordo vel status in Ecclesia, qui est Prædicatorum & Doctorum, pro Catholica fide aduersus Hæreticos acerrimè propugnantium significatur. Equus niger, occultam Hæreticorum ceu quibusdam vmbris & tenebris simulationum obfuscatam, &, ne agnoscatur, palliatam, indicat. Cernens enim Diabolus nihil se in persecutione ac cæde Martyrum profecisse, sed vno occiso multa millia repullulasse, aliam nocendi Ecclesiæ viam instituit, nouos aduersus eam hostes suscitando Hæreticos, aptissimè per equum nigrum præfiguratos, quippe qui veræ fidei lumine priuati, nonnisi in tenebris errorum ambulare & versari possunt. Istius equi sessor, secundùm aliquos, est Hæresiarcha cuius alij doctrinam & dogmata sectantur; secundùm alios, est ipse Diabolus pater & magister Hæreticorum. Statera quam habet in manu, ipsa est Sacra Scriptura quæ verissima est regula ad quam tam in fide quàm in moribus examinare ac librare se veros Christianos oportet. Dicitur autem habuisse stateram in manu sua, quia Hæretici sacris Scripturis non secundùm Ecclesiæ sensum & interpretationem Patrum, sed pro suo arbitrio & libidine vtuntur, huc illuc detorquentes, & quasi versatilem, & ad quodcumque voluerint flexibilem in manu sua Scripturam habentes.

Ioachimus / *Thomas Anglus* / *Carthusianus.*

Quæ autem dicuntur de bilibri 38 tritici, & de triplici bilibri hordei, & de vino, & oleo, putant omnino figuratè accipienda esse. Triticum quod humano cibatui conuenientius & suauius est quam hordeum, significat Nouum Testamentum & legem Euangelicam, cuius auctor Christus, quasi granum frumenti missum in terram, et mortuum, maximum per mortem suam mundo fructum attulit. *Ioan.* 12. Rectè autem bilibri tritici comparatur, quia summa Euangelij, & Noui Testamenti in Fidei potissimum, & Dilectionis præcepto continetur. Hordeum quod asperius & insuauius est ad edendum, & cibatui seruit animalium, legem Mosaicam & Vetus Testamentum designat, quod oneribus constabat propemodum intolerandis: *Act.* 15. Et quia vetus Scriptura tripartita est, partim videlicet legalis, & partim historica, & partim prophetica, congruè assimilatur triplici bilibri hordei. Denarius porro qui perfectus est numerus, omnibus scilicet numeris simplicibus constans, denotat perfectionem Fidei, per hanc nempe tam bilibris tritici, quàm tres bilibres hordei emuntur, id autem est, veram Scripturarum tam Noui Testamenti quàm Veteris intelligentiam nonnisi denario Fidei comparari, iuxta illud Esaiæ dictum, *Nisi credideritis non intelligetis*. *Esaia* 28. Hæretici itaque qui sacras Scripturas mutilant, & peruertunt, & in manu sua habent, proprio eas arbitrio, non autem Ecclesiæ iudicio interpretantes, quia denarium perfectæ fidei non habent, veram earum cognitionem habere non possunt. Iam verò vinum & oleum dicuntur per tropum, Prædicatores & Docto-

Doctores Ecclesiæ, dum palàm iniquè viuentes acriter seuereq; reprehendunt, tanquam vini acrimoniam habentes; olei autem mollitiem & lenitatem habent, dum pusillanimes consolantur, & per ignorantiam & infirmitatem peccantes in spiritu lenitatis corripiunt & corrigunt. In medio igitur quatuor Animalium, id est, in communi consensu quatuor Euangelistarum, & Catholicorum prædicatorum atque doctorum, auditur illa vox consolatoria dicens, *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læseris.* quasi diceret, Nolite vos fideles timere, quamuis crudelitati persecutorum Paganorum impietatẽ succedere videatis Hæreticorum, non enim lædere vos poterunt, nec spiritualem Scripturarum cibum vobis corrumpere, si firmiter ac perseueranter denarium perfectæ fidei quo vera illarum intelligentia comparatur, retinueritis. Sic isti eam quam diximus interpretationem enarrant.

DECIMA TERTIA Disputatio.

Omnium maximè probatur Auctori proximè dicta Interpretatio, eaque pleniùs enucleatiusque ab eo declaratur.

89 QVas ob causas placet mihi præ cæteris proximè superior Interpretatio; tum quòd ad eam verba Scripturæ huius loci congruè commodeque applicari & aptari queant, tum quòd ea Interpretatio magnam habeat cohærentiam atque connexionem cum Interpretatione secundi sigilli quã suprà nos approbauimus: vt sicut per secundum sigillum significata est persecutio Principum Paganorum, & status Beatorum Martyrum: ita per hoc tertium sigillum significata fuerit persecutio Hæreticorum, & status sanctorum Ecclesiæ Rectorum & Doctorum, hic enim paruo interuallo successit illi. Persecutio etenim Christianorum a Romanis Imperatoribus facta, propè ad principatum Magni Constantini peruenit, atque in eo ipso tempore hæresis orta est Arianorum, qui atrocissimi fuere Catholicorum hostes, & diu multumque Catholicam Ecclesiam diuexauerunt. Aduersus istos in eodem illo sæculo suscitauit Deus fortissimos Catholicæ doctrinæ propugnatores, clarissimosque Doctores Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Hilarium, Ambrosium, aliosque.

Sed nos verba Scripturæ huius loci per partes explanemus atque perpendamus. *Equus niger.* Benè profectò per equum nigrum præfigurati sunt Hæretici: Equus nempe animal est velox, pugnax, audax, ambitiosum, libidinosum, & sine intellectu, scriptum quippe de eo est, *Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus.* Promittunt Hæretici sectatoribus suis & certam veritatis cognitionem, firmamque salutis spem & fiduciam, sed vtrumque mendaciter fallaciterque promittunt, cùm in eos verè illud dici queat, *Fallax equus ad salutem:* Nigredo inter omnes colores maximè recedit a claritate lucis, similiter Hæretici à luce veræ fidei, veræque iustitiæ & sanctitatis longissimè absunt. Sunt itaque Hæretici nigri, quòd mentem animumque errorum tenebris obscuratum habent, ad quos benè congruit dictum illud Nahum prophetæ, *Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.*

Cur Hæretici similes equi nigri.

Psalm. 31.

Nahum 2.

Sequitur illud: *Et habebat statera* 40

Quomodo Hæretici habeãt stateram in manu sua.

ram in manu sua. Statera in manu Hæreticorum est simulata eorum iustitia, & fallax diuinarum Scripturarum interpretatio: vsurpant frequenter Hæretici testimonia sacræ Scripturæ, dolosè proponunt, falsò peruerseque interpretantur, quin etiam germanos sese eius interpretes iactitant & venditant, ad eius solius normam & præscriptũ viuere se, ac sapere, & docere quæ docent, & facere quæ faciunt, profitentur.

Quid statera in manu Hæreticorum.

Et sicut statera ponderamus an quod emere volumus, iusti sit ponderis, dignúmque pretio quod pro eo penditur; ita Hæretici callidè pertentant & explorant eos quos sibi volunt adiungere, vtrum graues sint, an leues; solidi, an vani & futiles; prudentes, an simplices, firmi & stabiles, an inconstantes & ad quodlibet mobiles atque flexibiles; studiosine sobrietatis & continentiæ, an voluptatum amatores; denique timentes Deum, an libertatis & nouitatis cupidi & sectatores. Ariani dialecticam & philosophicam doctrinam, Pelagiani humanæ rationis & iudicij dictamen quasi stateram tenebant, qua mysteria Fidei & dogmata Christianę disciplinæ põderare, examinare, dijudicare volebant. Alij pro statera habuerunt proprium animi sui instinctum & sensum, ad hunc exigentes & examinantes omnia quæcumque vel approbabant, vel reijciebant. Talis itaque est Hæreticorum statera in quam scilicet verè dici possit illud Oseæ, *Chanaan, in manu eius statera dolosa*; vereque dictum est ab Isidoro primo in libro de summo Bono, occasionem per quam fit hæresis obscuritatem esse diuinarum Scripturarum; ob quam Hæretici in earum scrutatione caligantes, aliter quàm res se habeat, intelligunt, & intelligere debere pertinaciter contendunt.

Oseę 12.

Isidorus.

41 Circa illa verba, *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.* Sciat Lector, pro eo quod Latinus interpres dixit hoc loco, *Bilibris tritici, & tres bilibres hordei*, Græcè legi *chœnix tritici, & tres chœnices hordei*.

Quale genus mensuræ sit Chœnix.

Agricola.

Qualis autem & quanta sit mensura Chœnicis, accuratè declarat in libro secundo de Mensuris Agricola, diligentissimus istiusmodi rerũ Scriptor, ex quo illud colligitur, Chœnicem mensuram esse aridorum, & continere viginti septem vncias, id autem est, duas libras, superque quartam libræ partem; idéque traditur a Polluce, & Suida, eosque secuto Alciato.

Pollux. Suidas. Alciatus.

A qua mensura proximè abest bilibris, quo nomine vti maluit Latinus Interpres quàm vocabulo Græco chœnicis vulgo Latinis ignoto. Erat autẽ chœnix mensura cibi vno homini in diem vnum sufficiens, & assignari solita. Sed quid significatur istis verbis, *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario*?

Victorinus & Arethus.

Victorinus & Arethas putauerunt significari magnam famem futurã, præcipuè verò in nouissimis temporibus, & circa aduentum Antichristi, de qua scilicet fame Dominus in Euangelio loquens de extremis illis temporibus dixit, *Erunt fames per loca*. Etenim fames illa de qua loquitur Dominus, maxima futura est, sicut mala omnia illius temporis: non est autem censenda magna fames, in qua nec triticum deest, nec hordeum, paulò licet solito carius; vinum autẽ & oleum prorsus illæsa sunt. Magna sanè atroxque fames in superioribus temporibus, & post Apocalypsim a Beato Ioanne conscriptam, sæpius fuit: nam in anno ab ortu Domini quadringẽtesimo quinquagesimo octauo tanta per Italiam fames desæuijt, vt matres comederent carnes filiorum suorum: & in anno Domini quingentesimo trigesimo nono, præ fame homines propria membra comedisse traditum est memoriæ: & anno Dñi septingẽtesimo, totos tres annos circa famem

Matthæus Palmerius & Martinus Polonus in suis Chronicis.

per

per Italiam grassata est. Non igitus illis verbis Scripturæ designata est fames quæ in nouissimis temporibus futura est maxima, cùm hæc Scripturæ verba non magnam, sed satis tolerabilem insinuent famem.

42 Quænã igitur est germana istorum Scripturę verborum de bilibri tritici, & triplici bilibri hordei sententia? Proculdubio ista verba non propriè, sed figuratè ac mysticè accipienda sunt: Licet autem ea satis congruenter & commodè sic intelligere, atque interpretari. Per triticum significantur in Ecclesia Christi viri perfecti vel perfectione status, vt sunt Antistites Ecclesiæ, vel perfectione virtutis & doctrinæ, vt sunt Prædicatores, ac Doctores. Per hordeum verò denotatur plebs Christiana indocta & simplex, sed fidelis, & pia, & in obseruantia Catholicæ disciplinę, & obedientia Ecclesiæ Catholicæ permanens. Bilibris tritici denotat viros, quos diximus in Ecclesia perfectos duabus rebus, doctrinæ ac virtutum præstantia insigniores alijs esse oportere, vt gregem suum contra insidias & incursus Hæreticorum conseruare queant illæsum. Vel duplex libra significat duplicem iustitiam qua pollere debent Antistites Ecclesiæ: quarum altera est (vt ita loquar) coerciua & punitiua aduersus Hæreticos, eorum audaciam & conatus coercens, atque compescens, atque etiam, si queat, seuere puniens. In hoc opere & negocio strenuè laborantes, denique recipient denarium, qui laborantibus in vinea, secundùm parabolam Euangelicam, pro diurni laboris peracti mercede redditur; id verò significat vitam æternam, quæ bonorum operum & laborum merces est. Per hordeum porrò significatur plebs fidelis, quæ Prælatis Ecclesię, virisq; perfectis in studio, cultuque virtutum & doctrinæ, inferior est, sicut hordeum & bonitate, & hominum æstimatione ac pretio vilius est tritico. Ternarius bilibriũ hordei denotat, tribus potissimùm præsidijs fidelem plebem aduersus Hæreticos munitam tutamque fore: primùm, frequenter audiendo verbum Dei à Catholicis Prædicatoribus, Hæreticorum verò congressus & sermones tanquam pestem fugiendo: deinde, frequenter digneque Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sumendo: tum diligenti obseruantia legis Dei, assiduaque bonorum operum exercitatione. Sed quia tres bilibres hordei faciunt sex libras hordei, aduertere hic conuenit, numerum senarium in Scriptura sæpe applicari ad opera & labores, septenarium verò ad cessationem laborum & quietem: Legimus, Deum in creatione Mundi sex diebus opera omnia perfecisse, septimo autem die requieuisse; iussisse item Hebræos sex diebus operari, & septimo quiescere; Hebræumq́ quoque seruum sex annis seruire, septimo anno libertate donari. Et huc videtur applicari posse illud Iob, *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Cùm itaque numerus senarius significet interdum labores præsentis vitæ vsque in finem, sex libræ hordei significabunt Catholicæ plebis bona opera piosque labores vsque in finem: vt sit hic sensus, Si fidelis populus tria illa quæ diximus, perseueranter vsque in finem perfecerit, non modo nullum ab Hęreticis capiet detrimentum, verùm etiam ipse quoque denarium, id est, ęternam vitam, suæ in bono perseuerantiæ mercedem accipiet.

Restant illa verba, *Vinũ & oleum ne læseris*: quorum verborum interpretatio quam tradunt quidam, nõ videtur aspernanda. Aiunt isti, per vinum & oleum significari homines in Ecclesia Dei, qui medij sunt inter Prælatos Ecclesiæ, & ipsam 43

Quid significet bilibris tritici.

Quid fit denarius.
Matth. 20.

Quid significent tres bilibres hordei.

Tribus maximè rebus plebem Catholicã aduersus hæreticos munitam & tutã fore.

Vsus numeri senarij in Scriptura.
Gen. 1. 2.
Exod 20. & 21.

Locus Iob 5

Per vinum & oleum significari (secundũ aliquos) statũ religiosorũ hominum.

sam

ſum plebem, & Chriſtianos ſęculares, hi autem ſunt viri religioſi qui renunciantes mundo, ſe totos, ſolennibus votis obſtrictos, perpetuo Dei obſequio & ſeruituti addixerunt. Congruè autem iſti aſſimilantur vino propter deuotionis feruorem, & iucundiſſimam Dei contemplationem; ſunt etiam ſimiles olei propter pietatis pinguedinem, & manſueti animi lenitatem. Et quamuis illa Dei prohibitio, *Ne laseris*, de tritico etiam & hordeo intelligi debeat; ſpecialiter tamen fit de vino & oleo, id eſt, vt diximus, de viris religioſis: Illi nempe remotiores ſunt a periculis, & contra Hæreticorum inſidias, & fraudes, atque inſultus, multis validiſque præſidijs præmuniti: id verò habent tum ratione ſtatus religioſi qui munitior & tutior eſt; tum ob ſingularem quandam Dei curam & protectionem ſub qua religioſi homines viuunt, in eos namque præcipuè conueniunt verba illa Pſalmi nonageſimi, *Qui habitat in adiutorio Altiſsimi, in protectione Dei cœli commorabitur*: & cætera quæ deinceps in eo Pſalmo ſequuntur, & ad religioſos viros optimè quadrant. Sic iſti.

Pſalm. 90.

Germana interpretatio illius, (Vinum & oleum ne laseris.)

44 Sed illa eſt horum verborum aptior & ſolidior, ob idque probabilior interpretatio, per vinum figuratè ſignificari verbum Dei & doctrinam ſacrarum Scripturarum, per oleum autem diuinam & ſalutarem vim Sacramentorum. Vinum corporaliter calefacit, roborat, exhilarat, & alacres & animoſos facit: hæc ipſa ſpiritualiter facere in animis noſtris verbum Dei & doctrinam ſacræ Scripturæ docet pluritariam ipſa Scriptura, præcipuè autem in Pſalmo xviij. & cxviij. Olei etiam multæ ſunt ad vſus humanæ vitæ commoditates, valet enim ad curationem vulnerum & morborum, ad condimentum ciborum, ad corroborationem virium, in ijs præcipuè qui decertaturi ſunt, vt olim in athletis, & ad vnctionem & conſecrationem Regum & Sacerdotum: Similia horum ſpiritualiter pręſtat nobis Deus per Sacramenta ritè, digneque accepta. Ergo iſtorum verborum hæc eſt germana Interpretatio & ſententia: Quantacumque ſit Hæreticorum audacia, & ferocia, & potentia, & doctrina, & eloquentia, & aſtutia, atque malitia, quamuis illi mille habeant nocendi artes, & vehementer Eccleſiam Catholicam perturbare, vexare, conflictare videantur; nunquam illi tamen vinum & oleum lædere potuerunt aut poterunt vnquam, id eſt, nunquam Eccleſiæ Catholicæ veritatem & integritatem, ſincerumque intellectum, & cultum, atque vſum ſacrarum Scripturarum, & diuinorum Sacramentorum auferre poterunt. Atque hoc ſanè veriſſimum eſſe, ſuperiorum omnium temporum memoria, & experientia comprobatur: Cùm enim ab exordio naſcentis Eccleſię tot ac tantæ fuerint hæreſes, ſemper tamē huiuſmodi vinum & oleum ab Hęreticis illæſum, & inuiolatum, atq; illibatum in Eccleſia Catholica permanſit.

DE APERTIONE quarti sigilli.

DECIMAQVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 7. & 8. *Et cùm aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti Animalis dicentis, Veni, & vide; Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & Infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ.*

45 1. *Interpr.* *Victorinus.* QVID significetur apertione huius quarti sigilli, breuissimè Victorinus indicauit, referens quæ dicuntur hoc loco ad grauissimas calamitates & ingentia mala quæ in supremis Mundi temporibus ventura esse prænuntiauit Dominus dicens in Euangelio, futuras tunc pestilentias & mortalitates magnas. *Matth. 24. Luc. 21.* Cùm autem dicit, *Et Infernus sequebatur eum*, hoc significat, Infernus tunc expectabit deuorationem animarum multarum impiarum. Sic Victorinus.

46 2. *Interpr.* *Primasius.* Primasius locum hunc latiùs quidem, sed obscuriùs tamen tractat: Ait esse quatuor partes Mundi, vnam Dei, qui sunt Iusti; alteram Diaboli, & hanc triplicem, Gentilium scilicet, & Hæreticorum siue schismaticorum, & Falsorum fratrum; Et hæ tres partes Diaboli perpetuò contra illam quartam partem quæ Dei est, pugnant: in quam partem quartam dicitur hoc loco data esse potestas sessori quarti equi, interficiendi gladio, fame, morte, & bestijs terræ, id est, per huiusmodi flagella & mala Ecclesiam Dei vexandi. Hoc etiam aduertere licet ex numero equorum qui visi sunt à Ioanne, nam contra vnum eundemque bonum qui albo equo insidebat, ex aduerso tres malos opposuit, scilicet, cum gladio rufum, cum statera nigrum, tertium autem mortis signo pallentem; Gladio bellum, nigro famem, pallore denuntians mortem. Et cùm singulis alijs plagas singulas assignaret, huic quarto attribuit omnia plagarum genera, addens insuper plagam bestiarum. Dubium autem esse posset, vtrùm istas plagas propriè vt sonant verba, an figuratè ac mysticè intelligere oporteat. Nam & gladius, & fames, & Mors, & Infernus, & bestiæ tam corporaliter, quàm spiritualiter in Scripturis accipiuntur: claret tamen, bonum illum primum equum album, cui tres malos equos ex aduerso opposuit, istiusmodi omnibus visibilibus plagis temporaliter exerceri, sed quia prohibuit lædi vinum & oleum, apertè demonstrauit, Ecclesiam vsque ad finem sæculi malorum persecutione non posse perire, quam enim mali contra bonos mouent persecutionem, hac Deus summè bonus ad suorum redigens vtilitatem, opportunitatem eis præbet spiritualium triumphorum. Hæc Primasius: secundùm quem, ea quæ dicuntur hoc loco, referuntur ad flagella & mala corporalia quibus Ecclesia Christi & iusti sanctique homines, Dei permissu, ab impijs & iniquis hominibus vexantur & conflictantur ad exercitium & probationem fidei & virtutum.

47 3. *Interpr.* *Ambrosius* Ambrosius apertionem quarti sigilli

sigilli refert ad quartam Ætatem Electorum quæ fuit in Veteri Testamento tempore Prophetarum, hi namque mysteria Christi & aperto sermone, & opertè velateque per varias figuras prædixerũt atque præmonstrarunt. Tunc igitur Dominus quartum sigillum aperuit, cùm propheticorum oraculorum intelligentiam Doctoribus Ecclesiæ præbuit. Nec solum vaticinia, sed etiam facta Prophetarũ mysticam & spiritualem habent intelligentiam, vt illud singulare certamen Dauidis cum Goliath gigante Philistæo, vt quotidianus Eliæ pastus per coruum, vt mundatio Nahaman a lepra per lotionẽ eius in Iordane, eiusque lepræ trãslatio in Giezi ministrum Elisei. Multa præterea satis prolixè tractat Ambrosius ad maiorem huius Interpretationis suæ declarationẽ, q̃ nos consultò referre hic p̃ter mittimus, nã & hanc eius interpretationẽ, & alias eiusdẽ interp̃tationes superiorum triũ sigillorũ esse huic Visioni B Ioan. admodùm incongruas & alienas existimamus.

1 Reg. 17. *3. Reg. 17.* *4. Reg. 5.* *Luc 4.*

48 Beda, quæ in apertione quarti sigilli ostensa sunt Ioanni, ea interpretatur de Hæreticis: Quorum nomen verè mors est, nam etsi omnes qui grauiter peccant, mortui Deo sunt, ideòque tale peccatum vocatur mortale siue mortiferum; hoc tamen in Hæreticos præcipua quadam ratione conuenit: Si enim Iustus ex fide viuit, vt inquit Scriptura, Hæreticus autem veram fidem amisit, & falsam fidem non solum habet ipse, sed etiam mortifera persuasione aliorum mentibus inserere conatur, quis neget hæreticum hominem ritè nominari mortem? Atque ob id ipsum pallidus inducitur, quòd pallor morientium color est, item inuidiæ & odij signum quo Hæretici aduersus Catholicam Ecclesiã pallent in animis suis, & liuent, atque tabescunt. Sequitur eos Infernus, quia perditorũ post se rapiũt cateruam: Diabolus enim & ministri eius Hæretici, & Mors, & Infernus appellantur, quod multis sint causa mortis & demersionis in infernum. Illud autem, *Data est illi potestas super quatuor partes terræ*, clarè apparet in magno illo Hæresiarcha Ario, cuius vesana hæresis in Alexandria Ægypti orta, indèque prodiens & per quatuor partes terræ peruadens, ad Gallicum vsque peruenit Oceanum, omnibus quatuor istis flagellis Ecclesiã Catholicam affligẽns. Sic fermè Beda. Rupertus autem licet apertionẽ quarti sigilli referat ad impletionem & manifestationẽ prophetiarum quę in Vetere Testamẽto nõ erant de quarto mysterio Christi, id est, de ascẽsione eius in cœlum; verba tamen Scripturæ huius loci sigillatim de Hæreticis, similiter vt Beda interpretatur. Sed nos in proxima superiori Disputatione conclusimus, Hæreticorum ingenia, & studia, & mores, & malitiæ machinamenta, & mala quæ ab eis Catholicæ Ecclesiæ acciderunt, in apertione tertij sigilli fuisse præsignata.

4. Interpretatio. Beda. *Habac. 2.* *Rupertus.*

Est alia huius loci apud Thomam Anglum, & Dionysium Carthusianum, & Gagneium Interp̃tatio. Isti, quæ ĩ apertione quarti sigilli ostẽsa sunt B. Ioan. ea interpretanẽ de Hypocritis, quorũ vniuersitas in quatibet ætate significatur per equũ pal idũ: Per externũ enim corporis pallorẽ simulant & mentiũt interiorẽ continentiã, & deuotionẽ, atq; sanctimoniã, de quib. nẽpe in Euang. Dominus dixit; *Exterminant enim facies suas vt pareant hominibus ieiunantes.* Sessor istius equi est Diabolus, vel aliqs q̃ quolibet in loco vel ætate est quasi princeps & dux istorũ hypocritarũ: Et quia iste impia simulatione pietatis, & virtutum, & ipse mortuus est intus, & alios ad mortẽ trahit plurimos, idcirco nomẽ Mortis 49

5. Interpre. Thomas Anglus. Dionysius Carthusianus Gagneius. *Matth. 6.*

ei tribuitur. Infernus autem sequitur eum, quia multi Diaboli habitatores Inferni, subsequuntur istos incitando eos, & dirigendo, & promouendo ad malum: & quia plurimos vbique locorum æternæ perditionis reos faciunt, nusquam enim istud genus hominum deest, & vbique periculum est a falsis fratribus secundum illud Prophetæ
Michea 7. dictum, *Vir fratrem suum venatur ad mortem*; propterea dicitur data illis potestas super quatuor partes terræ. Permissum verò illis est interficere gladio, id est, sermone venenato, sicut Propheta dixit, *Gladius sub labijs eorum*. *Et fame*, id est, priuatione alimoniæ verbi Dei, vel Sacra-
Psal. 58. mentorum. *Et morte*, id est, quibuscumque alijs generibus mortis, siue corporalis, siue spiritualis. Denique, per bestias terræ intelligere licet brutas cupiditates quibus alios mancipant, vel feriuam aduersus bonos Tyrannorum rabiem. Sic isti hunc locum interpretantur.

50 6. Interpretatio. Hayme. Haymo per istos tres equos posteriores, rufum & nigrum, & pallidum præfiguratam esse putat vniuersitatem omnium reproborum: per rufum quidem, crudelitatē eorum; per nigrum, obscurationem cordis, errorúmque tenebras; per pallidum, interiorem animæ eorū mortem & supplicia æternæ mortis quib. destinati sunt. Sessor equi Diabolus est, qui rectè Mors nominatur,
Sap. 2. *Inuidia enim Diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: qui sedet super pallidos, id est, opera mortis habentes, quique non solum ipsi sunt mortui, sed alios quoque mor-
Prou. 27. ti tradere student, vnde subditur, *Et Infernus sequebatur eum* Sicut enim Infernus nunquam dicit, *Sufficit*, sed ad recipiendas animas sinum suum laxat; Sic isti cor suum dilatant ad ambienda terrena bona, nec tantum acquirere possunt quantum ipsi concupiscunt: Sequūtur itaque Diabolum, qui est caput omnis malitiæ, vnde scriptum est, *Imitantur eum qui sunt ex parte eius*. Sap. 2. Auctor igitur mortis Diabolus contra viuos, id est, Iustos & Sanctos viros pugnaturus sedet super equū pallidum, quia per ministerium Reproborum quos iam ipse spiritaliter occidit, vitam Electorum extinguere conatur. *Data est ei potestas super quatuor partes terræ*, Orientalem scilicet, & Occidentalem, Septentrionalem item atque Meridionalem, quia vbique terrarum & locorum Diabolus per se, perque ministros suos, omnes malitiæ suæ artes aduersus bonos exercet. Possumus etiam quatuor terrę partes per mysticam intelligentiam accipere pro quatuor terrenorū hominum generibus qui sunt hostes Ecclesiæ & bonorum hominum, Paganos dico, & Iudæos, & Hæreticos, & falsos Christianos. Interficit porrò Diabolus quoscumque potest quatuor modis, vel gladio prauæ suggestionis & persuasionis vel fame, id est, subtractione verbi Dei, & Sacramentorùm; vel morte scilicet interiori & spirituali; vel per bestias terræ, id est, per homines sæuitia efferatos, & ferina crudelitate prẹditos, quales fuere olim aduersus Christianos Nero, Domitianus, Decius, Diocletianus, alijque. Sanè, Apostolus in primo Capite Epistolæ quam scripsit ad Titum, Cretenses appellauit malas bestias. Hactenus ex Haymone.

DECIMAQVINTA Disputatio.

Exponuntur aliæ tres Interpretationes apertionis quarti sigilli.

7. Interpretatio. Aureolus. Lyranus.

51 AVREOLVS & Lyranus existimant in apertione quarti sigilli designatam esse secundam persecutionem Christianorum factam à Domitiano Romanorum Imperatore, in qua & ipse Ioannes in dolium feruentis olei missus est, & in Patmos insulã relegatus. Domitianus autem primo quidem principatu suo simulauit clementiam, & iustitiam, & probitatem; Sed quia simulatio virtutis diuturna esse non potest, mox in tantam erupit scelerum immanitatem, vt pestilentiòr ne fuerit Princeps, quam Nero incertum fecerit. Congruè verò Domitianus comparatur equo pallido, vel propter pallorem inuidiæ ipsius & odij præstantium virorum; vel quia fuisse illi perpetuum quendam oris pallorem, maligni animi indicem testéque, in veteribus Romanæ historiæ monumentis proditum est: Vel equus pallidus significat Romanũ populum & Senatum quorum ille maximam fecit cædem prorsus adeò, vt etiam qui superstites erãt, in summo tamen animi pauore angoreque viuerent; pallor autem & morientibus, & vehementer timẽtibus accidere solet.

52 Huius equi sessor Domitianus fuit qui per quindecim totos annos Romano potitus est Imperio Cui aptè nomen Mortis imponitur, tum quod mortis supplicio quamplurimos affecerit, tũ quod etiam ipse vitam ab alijs occisus, violenta morte amisit. Infernus autem sequebatur eum, quia crudelitas eius non humana, sed infernalis & diabolica videbatur, aut quia, tanquam furijs inferni, ad tantam sæuitiæ immanitatem videbatur incitari atque inflammari. Dicitur porrò data ei potestas super quatuor partes terræ, quod in has omnes tunc dilatatum esset Romanum Imperiũ, & quòd plurimos ipse in illis quatuor terræ partibus multifariam occidisset, tã de Christianis quam de Romanis. Vsus autem est quadruplici genere tormentorum, gladio scilicet, & fame, & morte, id est, varijs generibus mortis, vel per demersionẽ in profundum aquarũ, vel per cõbustionem ignis, vel per lapidationem; interfecit etiam per bestias terræ, iubens in publicis spectaculis Sanctos Martyres bestijs obijci dilaniandos. Sic isti.

8. Interpr. Ribera.

Noster Ribera huius quarti sigilli mysterium interpretatur de tertia Christianorum persecutione facta sub Traiano Romanorũ Imperatore paulò post Beati Ioannis excessum. Hãc verò fuisse atrocissimam & funestissimam, licet intelligere ex illis Eusebij verbis q̃ sunt in Capite trigesimo secundo libri tertij Historiæ Ecclesiasticæ: Persecutionum, inquit, pondus vrgebat Ecclesiam, & tam immensæ cateruæ Martyrũ quotidie iugulabantur, vt Plinius Secũdus qui tũc prouinciam administrabat, multitudine interẽptorũ permotus, referret ad Imperatorem Traianũ, q̄ innumera hominũ millia quotidie obtrũcarentur. Equus itaq; pallidus p̄figurauit Traianũ atq; eius administros executoresq; crudelitatis in Christianos, qui ferro & fame & bestijs q̃ plurimos Christianos occiderũt; pallor enim familiaris morientiũ, & pauentiũ, atq; famescẽtiũ color est. Data verò sessori equi fuit potestas super quatuor 53

Eusebius.

partes terræ, id est, persequendi & occidedi Christianos qui per istas quatuor partes terræ sparsi degebant. Et ad hanc persecutionem Ribera pertinere existimat illa Domini verba dicta Angelo Philadelphiæ, & supra in Capite tertio scripta, *Ego seruabo te ab hora tẽtationis quę ventura est in orbẽ vniuersum, tentare habitantes in terra.* Illud porrò, *Et infernus sequebatur eum*, significat æterna inferni supplicia quæ manebant Traianum & crudelitatis eius executores aduersus Christianos: Expectabat, inquit Victorinus, infernus deuorationem animarum multarum impiarum: huius simile est illud Esaiæ, *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius, & populus eius, sublimes gloriosique eius ad Eum.* Et Ribera quidem ad hanc fermè sententiam interpretatur hunc locũ.

9 Interpre. Andreas. 54 Andreas verò Cæsariensis opinatur, per ea quæ ostensa sunt in Apertione quarti Sigilli, præfiguratam esse calamitosissimã & miserrimam temporum conditionem, quæ futura erat Maximiano & Diocletiano Romanum Imperiũ obtinentibus, sub quibus, etiam superiorum omnium crudelissima persecutio Christianorũ facta est: Andreæ verba sunt huiusmodi; Quartum animal locutum Ioanni in apertione quarti sigilli fuit Aquila, quæ vbi perspicacissimis oculis prædam supernè despectauit, maxima statim celeritate ad eam rapiendam è sublimi deuolat. Hoc autem significat clades, plagasque omnes non aliunde venire quam à supernis, Deus namque iusta ira & indignatione prouocatus mittit illas, partim quidẽ, vt iustos & sanctos viros ab impijs afflictatos & vexatos vleiscatur; partim autem vt ipsos impios per eas plagas puniat. Quod verò dicitur de equo pallido & sessore eius, & de pedissequo eius inferno & de quatuor flagellis quibus datum illi est percutere omnem terram, cum calamitoso rerum statu qui fuit imperantibus Maximiano & Diocletiano valde congruit: Cũ enim Imperatore Maximiano in ipso persecutionis Christianorum æstu pestis simul & fames crudeliter grassarentur, tanta hominũ multitudo, vt scribit Eusebius capite octauo libri noni historiæ Ecclesiasticæ, interijt, vt cadauera sepulturæ tradi vix possent, etiam si Christiani per id temporis curam maximam sepeliendis mortuis impenderent; erroreque seductos magna humanitate tractantes, ad veritatis lucem reducere niterentur. Addit præterea idem Auctor, non paucos ab Armenijs qui eo ipso tempore contra Romanos insurrexerant, contrucidatos occubuisse, canesque in cadauera interfectorum immaniter sæuisse; prorsus adeò vt qui à clade superfuerant, ad insectandos & occidendos canes se totos conuerterent, veriti scilicet ne post suum excessum, eanum ventres viua suorum corporũ sepulchra fierent. Fit etiam credibile, agrestes quoque feras cadauerum passim iacentium copia excitatas & allectas, eiusdem cum canibus pastus fuisse participes: Quin, nostra etiam ætate, quædam horum similia vsu venisse nouimus. Hæc Andreas. (Eusebius.)

Confutatio trium proximè superiorum interpretationum. Sed enim, trib. istis proximè cõmemoratis interpretationib. refellendis vnum illud in comune sufficit argumentũ, supra ostensũ esse a nobis cũ Apertionis secundi sigilli mysteriũ exponeremus, omnes illas decẽ Christianorũ persecutiones a Paganis Imperatorib. Romanis factas, à Nerone videlicet vsq; ad Diocletianũ, in apertione secũdi sigilli per equũ rufum & sessorẽ eius fuisse pfiguratas. Illã porro interpretationẽ Aureoli & Lyrani, mysteriũ quarti sigilli referentiũ ad secundã persecutionẽ factã sub 55

Domi-

Domitiano, propriè confutat ratio temporum: Hæc enim Visio Beati Ioannis propheticam habebat præmonstrationem, & prædictionem futurarum ignotarumq; rerum, non autem commemorationem rerum præteritarum & notissimarum; quo tempore autem hanc Visionem habuit Ioannes, habuit verò eam in extremo principatu Domitiani, persecutio Christianorum sub eo Principe vel finita, vel certè iam proximè finem erat, eratque & ipsi Ioanni & Ecclesiæ notissima, non igitur ad eam referre conuenit hanc Visionem Ioannis.

DECIMASEXTA Disputatio.

Explicatur vltima Interpretatio Apertionis quarti sigilli, quæ est de Maomete & eius Secta.

10. Interp. 56 Extremo loco referenda est Interpretatio quarti sigilli sanè quàm probabilis, a Ioachimo Abbate tradita, & Seraphino Firmano, & Cœlio Pannonio: Isti, *Ioachimus Abba.* quæ ostensa sunt in quarti sigilli apertione, interpretati sunt de Maomete pseudopropheta, & pestilentissima eius Secta. Per equi pallorem, ait Ioachimus, significatur animi liuor, & inuidia, atque odiũ, earum quippe affectionum externus oris pallor index esse solet: Istiusmodi ergo colore significatur genus hominum inuidia & odio tabescentium, & summæ nequitiæ ac malitiæ. Huius porrò quarti sigilli apertio tunc in Ecclesia Christi completa est, cùm gens Agarenorum qui se nominare Saracenos maluerunt, quasi de vagina suæ habitationis educta, plurimas in Syria, & Asia, & Græcia Ecclesias deuastauit. Equus igitur pallidus Secta est Maometana, quæ apud Danielem comparatur quartæ bestiæ quæ dentibus & vnguibus ferreis armata, comedens, & comminuẽs, & reliqua pedibus suis conculcans erat. Huius equi sessor cui nomen erat Mors, auctor eius Sectæ fuit Maometes, quippe innumerabilium ferme hominum & corporalis & spiritualis mortis causa fuit. Infernus qui sequebatur eum, aliquis fuisse putandus est subsequentis Sectæ Hæresiarcha, ex Maometana tamen Secta pullulantis & exortæ: & fortasse fuit is qui vulgò dicitur Meses Mutus, qui in Africa & in Mauritania per suos successores magna cum potentia regnat. Hæc Ioachimus.

Sed hanc ipsam interpretationẽ 57 *Seraphinus Firmanus.* pleniùs & distinctiùs, simulq; aptiùs atq; cõmodiùs tractat Seraphinus Firmanus in breui quadam explanatione libri Apocalypsis quam sermone Italico fecit, in hanc scribit sententiã: In quarta Ecclesiæ Ætate Secta Maometana extitit, & idcirco in apertione quarti sigilli visus est equus pallidus, id est, populus Saracenus, priuatus vigore fidei, & spiritaliter eneruis. Sessor equi fuit Maometes princeps Saraceni populi, & Sectæ ipsius auctor, Qui sibi nõ credentes & aduersantes, corporali gladio interimebat; credẽtes vero sibi & obtẽperantes peiori morte, id est, spirituali occidebat, Congruè igitur nomen eius dicitur fuisse Mors. Sequebatur autem eum Infernus, quòd Maometana Secta putetur esse perduratura vsque ad aduentum Antichristi, qui propter profundissimam errorum & vitiorum abyssum, & malitiæ barathrum ritè nominatur Infernus. Tanta porrò Maometanæ Sectæ cognatio & congruentia est cum futura Antichristi disciplina, vt nõnulli sint opinati, ipsũ Maome-

tem verum fuisse Antichristum, de quo infrà Beatus Ioannes multa prædicit horrenda execrandaque: Sed isti confuderunt sextum sigillum cum hoc quarto, nam in apertione sexti sigilli agitur de Antichristo. Quemadmodum porrò in Ætate quarta Ecclesiæ Maometes eiusque Secta viam, & sedem præparauit Antichristo, ita cōueniens fuit, vt in quinta Ætate in qua nos sumus, existeret insignis aliquis proximus præcursor Antichristi, qui pessimis disseminandis erroribus quasi viam præsternat & præmuniat venturo Antichristo; Hunc autem præcursorem Antichristi hic ipse Auctor paulò infrà interpretatur Lutherum vel Caluinum. Illud autem quod hic dicitur, datam ei fuisse potestatem super quatuor partes terræ, in Sectam Maometanam competere, adeò manifestum est vt probatione nō egeat, cum Sectam Maometanam per omnes terræ partes esse prosemina tam & prolatam, meridiana luce clarius fit: cuius dilatationi ac potentiæ magnum sine dubio incrementum dedit multiplex, & diuturna perturbatio Ecclesiæ Christi propter varias hæreses & schismata, maxima verò debilitatio potentiæ bellicæ Christianorum ob intestina Principum inter se dissidia atque bella.

Quomodo secta Maometana potestatē habuerit super quatuor partes terræ. Cœlius Pānonius.

58 Cœlius Pannonius hoc in loco appositis exemplis successorum Maometis declarat quemadmodū per eos Secta Maometana in quatuor istis terræ partibus sedem posuerit, imperiumque obtinuerit: Post mortem, inquit, Maometis qui Syriam & Arabiam bello inuaserat & subiugauerat, Abdalla Motaliph cum parte exercitus venit in Occidentalem regionem, occupauitque Africam & Hispaniam, destruens Ecclesias Christianorum, omnesque compellens ad Sectæ Maometanæ susceptionem. Ex alia vero parte Iomar gener Maometis Dux ab vniuersis declaratus & constitutus est: is peruasit omnes prouincias Orientales vsq; ad Indum fluuium, cogens obseruari ab omnibus legem Maometis, Ecclesijs Christianorum vel euersis, vel in Mesquitas conuersis. Iam verò circa annum Domini millesimū ducentesimum & duodecimum surrexerunt Tartari, & subiecerunt sibi plures Indiæ regiones, & totam Scythiam vsq; ad Tanaim, & Borysthenem fluuios, & quidquid est vsque ad fines Rutheniæ: isti verò etiam Sectam Maometanam susceperunt, & regiones Septentrionales vexauerunt. De Meridionali parte nihil attinet dicere, cùm ea primùm ab his Maometanis occupata sit, & in Africa meridionali atque in Ægypto etiam nunc vigeat & regnet. Patet igitur, potestatem datam fuisse Maometi & sectatoribus eius super quatuor partes terræ interficiendi gladio corporali: *Et fame*, tum corporali, tū etiam spirituali: nam apud ipsos interdictum est Christianis prædicatione auditioneque verbi Dei & Christianæ doctrinæ. *Et morte*, id est, per mortiferas afflictiones & vexationes, & cruciatus captiuorum Christianorum. *Et bestijs terræ*, sæpenumero Christianos in contemptum & vindictam eorum, leonibus & vrsis dilaniandos obijciendo, vel ad laboriosissimam & ærumnosissimam domesticarum bestiarum vt sunt equi, muli, asini, cameli, boues, oues, curam & seruitutem Christianos cogendo.

†

DE-

DECIMASEPTIMA Disputatio.

Declaratur, cur Auctor proximam superiorem Interpretationem Apertionis quarti sigilli de Maomete & Secta eius præferat cæteris.

Maometanam Sectã et persequutionẽ Christianorũ cõgruè præsignatam esse in apertione quarti sigilli.

95 CVR ego Interpretationem quam proximè commemoraui, anteferam ceteris, maximèque probabilem esse cẽseam, paucis indicabo Lectori. Mihi sanè fit admodum verisimile, persecutionem, quam populus Christianus à populo Maometano diu multumque passurus erat, fuisse in hac Apocalypsi Beato Ioanni reuelatam: Nam si alia minoris momenti, minúsque memorabilia, quòd ea pertinerent ad insignẽ aliquam Ecclesię vel prosperitatem vel aduersitatẽ, manifestata sunt Beato Ioanni; quantò est creditu procliuius, præmonstratam ei fuisse hanc Maometicam persecutionem, quæ alias omnes superiores quatuor modis longe superauit: Primum enim, excessit illas diuturnitate tẽporis, iã enim annos prope mille adhuc perdurauit, atque etiamnum durat & viget. Deinde, amplitudine imperij & potentiæ Maometanorum persecutorum qui maximã Orbis terrarum partẽ suæ dominationi subiugatam obtinuerunt, hodiéque tenent. Tum, atroci & implacabili odio Christianorum, cum quibus tanto tempore tum de religione, tum de imperio pugnacissimè decertarunt. Ac demũm multitudine grauitateque cladium, & calamitatum, malorumq; quibus Christianum populum plurifariam maiorem in modum afflixerunt: Nam & innumerabiles homines impiè renunciantes Christo ad impurissimæ Sectæ suæ cultum pertraxerunt, gentemque Christianam plurimis & amplissimis regnis atque prouincijs spoliauerunt. Quis igitur non facilè credat, hanc talem & tãtam persecutionem Christianorum a Maometanis factam, fuisse in his Visionibus reuelatam Beato Ioanni? Si autem ea reuelata est Beato Ioanni, est valde consentaneum existimare, præsignificatam fuisse in apertione huius quarti sigilli, id enim series & ordo superiorum Visionum deposcere videtur. In Apertione enim secundi sigilli per equum rufum prænuntiata est persecutio Christianorum in primis Ecclesiæ temporibus facta à Paganis Imperatoribus Romanis: Deinde, in Apertione tertij sigilli per equum nigrum præsignata fuit persecutio Ecclesiæ facta ab Hæreticis, maximè verò ab Arianis, quæ quidem paruo temporis spatio subsecuta est primam illam persecutionem Paganorum: Persecutioni verò hæreticorum Arianorum paruo interuallo successit & Sarracenorum & Maometanorum persecutio; nam circa annum Domini trigesimum & sexcentesimũ, iam deficiente atque exolescente Arianorum hæresi, magnus ille pseudopropheta Maometes extitit: Erat igitur valde conueniens, vt post apertionem tertij sigilli in qua persecutio Hæreticorum præfigurata est, hæc persecutio Maometica in Apertione quarti sigilli Beato Ioanni, & per eum Ecclesiæ reuelaretur.

Quemadmodum porrò verba 60

Applicatio verborum Scripturæ ad Maometanam Sectam & persecutionẽ.

Scripturæ huius loci ad hanc nostram interpretationem congrue commodèque applicari & aptari queant, & in proxime antecedenti Disputatione secundũm expositionem Seraphini Firmani dictum

 est,

est, nosque hoc loco, alijs quibusdam additis, ostendemus. Equus pallidus belle repræsentat Maometanam Sectam, tum quia equus animal est audax, ferox, bellicosum; & huius Sectæ homines audaces, feroces, bellicosi fuerunt: Hæc enim Secta per vim bellicam à primo introducta est, posteaque armis dilatata, roborata, & conseruata est. Tum etiam quia hæc Secta planè irrationalis, &, vt ita dicam, sensualis, & bestialis, & voluptuaria est; Scriptura verò equi similitudine vti solet ad significandum homines insipienter, & lasciuè, & libidinosè viuentes, in quodam enim loco scriptum est, *Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus*: & alio in loco, *Equi amatores & emissarij in fœminas facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat*. Pallor autem morientibus & vehementer pauentibus accidere solet; Maometani verò & Saraceni cædibus hominum, mundum, animosque mortalium nimio pauore ac terrore impleuerunt. Istius equi Sessor pseudopropheta Maometes fuit, qui congrue admodum nomine Mortis insignitus est, nam & ipse per se, multoque magis per sectatores suos innumerabilium mortis hominum, corporalis pariter atque spiritualis causa fuit: Omninò Secta hæc pestifera, exitialis, mortifera fuit humano generi. Illum porrò equum & sessorem eius Infernus sequebatur; quia sicut Infernus, secundùm Salomonem, insatiabilis, atque inexplebilis est, ita Maometani nullis dominationis certis finibus contenti, semper in dies maiorem potentiam, ampliusq; imperium affectarunt, & comparare voluerunt. Vel sequebatur Infernus Maometem, quia videbatur totus concurrisse Infernus & diabolica potentia ad eum adiuuandum, promouendum, & prosperandum: Vel quia nulla vnquam fuit Secta, quæ tot hominum damnationis æternæ, ac detrusionis ad Infernum vbique terrarum, causa fuerit. Quomodo autem Maometi, & successoribus eius data fuerit potestas super quatuor partes terræ, satis declaratum est in proxima superiori Disputatione secundùm Interpretationem Cœlij Pannonij. Istis denique verbis, *Interficere gladio, fame, morte, & bestijs terræ*, significantur præcipua genera flagellorum quibus Deus & olim puniebat impios & rebelles sibi Iudæos, hodieque Christianos populos diuinæ legis transgressores, grauissimisque sceleribus mancipatos castigare ac punire solet. Huiusmodi quatuor flagella Deus per Ezechielem vocat quatuor iræ ac vindictæ suæ iudicia pessima, id est, calamitosissima & nocentissima hominibus, Sic enim ait, *Si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, & bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem & pecus*. Vbi aduertere Lectorem volumus, Ezechielem vocasse pestilentiam, quam Beatus Ioannes hoc loco nomine Mortis significauit, Interdum enim nomen mortis ponitur in Scriptura pro pestilentia, quòd maximè sit mortifera, plurimorumque hominum & populorum miseranda mortis, & in breuissimo tempore, causa, Sic in libro Exodi & alibi sumitur. Quomodo autem istiusmodi flagellis Maometani Christianos perculserint, in ea quę hanc proximè antecessit Disputatione declaratum est.

Psal. 31.

Ierem 5.

Prouerb. 27. & 30.

Locus Ezechiel. 14.

DE APERTIONE Quinti sigilli.

DECIMAOCTAVA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 9. 10. 11.

Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas Interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes, Vsquequò Domine Sanctus & Verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi.

Exponuntur tres horum verborum Interpretationes, Victorini, Andreæ, & Ambrosij.

61 HIC Locus, si quis alius in Scriptura, per obscurus, simulque apud Doctores celeberrimus est, sed ab eis tamen maxima Interpretationum varietate tractatus. Conuenit igitur, etiam nos cum diligentia & cura in eo explicando versari, expositis primùm fideliter aliorum interpretationibus, nostraque ad extremũ indicata sententia.

Hanc Beati Ioannis Visionem in Apertione quinti sigilli factam, & verbis supra in huius Disputationis titulo positis ab eo descriptam, Victorinus hunc in modum interpretatur: Vidit Beatus Ioannes animas occisorum sub ara, id est, sub terra: ara enim, & cœlum, & terra dicitur: Sicut secundùm Legem erat duplex ara, vna intrinsecus, aurea, & altera extrinsecus, ærea, vel terrea. Quemadmodum igitur cœlum intelligitur ara aurea quæ erat interior, & in quam Sacerdotes qui chrisma habebant, tantùm intrabant; sic & ara ærea intelligitur terra, sub qua est Infernus: & inde remota pœnis & ignibus regio, & requies Sanctorum, in qua videntur illi quidem ab Impijs, & audiuntur, sed ad eos tamen transmeare non possunt: Et hic est sinus Abrahæ de quo loquitur Dominus in parabola Euangelica de Lazaro & Diuite. Hos igitur Sanctos expetere vindictam corporis & sanguinis sui, voluit nos cognoscere, qui omnia videt Deus. Sed quia in nouissimo tempore Sanctorum remuneratio perpetua, & Impiorum ventura est damnatio, dictum est, vt aliquandiu expectarent, & pro corporis sui solatio acceperunt stolas albas, id est, donũ Spiritus sancti. Hæc Victorinus: in cuius verbis animaduertere licet, secundùm ipsum animas Sanctorum post mortem, & vsque ad diẽ Iudicij manere in subterraneo quodã loco prorsus innoxio & quieto, que vocarũ esse putat sinũ Abrahę.

1. Interpr. Victorinus.

Quid altare siue ara.

Quale receptaculum animarum sanctorum post mortẽ.

Luca 16.

Quid stola alba.

Andreæ Cęsariensis Interpretatio huius loci est huiusmodi: Solutio quinti sigilli, Sanctorũ vita defunctorum clamores ad Deum pro Mũdi consummatione proponit. Qui aũt sint isti S. Martyres, duplex est Ecclesiæ Doctorum sententia: quidã enim referunt in antiquos Martyres Veteris Testamẽti, vt Prophetas, & alios: Sed recentiorum Ecclesiæ Doctorum sententia est, quæ dicuntur hoc loco, non præteritorum 62

2. Interpr. Andreas.

Quorum Martyrum fuerint animæ illæ.

com-

commemorationem, sed præmonstrationem & prædictionem futurorum continere; & idcirco in eos conuenire qui post huius Reuelationis tempus futuri erant Martyres propter Christum. Expetunt autem illi vindictam suorum persecutorum, cupientes scilicet vt vel pœnitentes ad Deum conuertantur, vel impœnitentes per generalem Mundi consummationem excidantur, ne Iusti ad iniquitatem extendant manus suas, secundum illud quod in Psalmis scriptum est, *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem Iustorum. vt non extendant Iusti ad iniquitatem manus suas.*

Psal. 124.

Nam etsi plures Impiorum iam dudum iram Dei experti sunt, illorũ tamen reliquiæ flagellis adhuc egẽt quibus aut conuertantur, aut condignè meritis suis plectantur. Cũ autem, datis albis stolis, dicitur illis, vt expectent modicum, satis declaratur, petitionem vindictæ in Sãctis, non esse aliud nisi desiderium consummationis sęculi, quam tamen expectare iubentur vsque ad complementum fratrum suorum, ne ante illos consummentur, vt scripsit Paulus ad Hebræos xj. Candor stolarum significat splendorem virtutum quæ perillustres in illis fuerunt, quo splendore iam nunc vndique sunt circumfusi, etiamsi istorum bonorum hæreditatem necdum adepti sunt. Spe igitur illorũ bonorum quæ spiritalibus ipsi oculis contemplantur, ab omni interea crassitudine excuti meritò lætantur, & in Abrahæ sinu pacatè requiescere feruntur. Multorum etenim Sanctorum est sententia, vnũquemlibet eorum qui virtutis cultores fuerunt, locum factis suis dignum post hanc vitam sortiri, ex quo de gloria sibi præparata certam facere queat coniecturam. Sic Andreas; qui, vt etiam supra Victorinus, multique Veterum, putauit, animas Sanctorum post mortem non videre Deum ante diem Iudicij, qua de re nos paulò infrà disseremus.

Quid sit Sãctos petere vindictam.

Quid stolæ albæ.

Vbi post mortẽ quiescãt animæ Sanctorum ante diem Iudicij.

63 Quinti sigilli apertio, inquit Ambrosius, ad Martyres pertinet. Tunc autem ipsum aperuit Christus, quando ea quæ per parabolas, & per quasdam figuras de Martyrum persecutione, & glorificatione dixerat, Doctoribus Ecclesiæ manifestauit. Aperuit etiam quintum sigillum, quando Martyribus cœlestem gloriam eis promissam contulit, eosque in mundo apud homines clarificauit. Altare Dei, sub quo vidit Ioannes animas Sanctorum, Christus est, sub quo quiescunt vt capiti supposita membra, eique per eius gratiæ & gloriæ participationem copulãtur. Mouet autem quæstionem Ambrosius super illis verbis, *Vsquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum?* Cum Scriptura prohibeat malum pro malo reddere, & Dominus in Euangelio dixerit, *Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos* quomodo Sancti in cœlo constituti vltionem de inimicis suis expetunt? Hanc quæstionem ita soluit Ambrosius: Sancti diem vltimum desiderant in quo plenam & consummatam suorum laborum mercedem, glorificatis etiam corporibus suis, accepturi sunt. Hũc enim diem desiderandum fuisse Discipulis, ostendit Dominus illis verbis, *Cum videritis hæc fieri, respicite, & leuate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.* Et in Oratione dominica petitur, *Adueniat regnum tuum.* Verum quia in die Iudicij simul cum glorificatione Sanctorum, erit damnatio æterna Impiorum per quam luent pęnas æternas pro ijs quæ contra Sanctos fecerunt; idcirco Sancti diem Domini siue iudicium desiderantes, expetere dicuntur vltionem inimicorum suorum. Nec aduersatur huic sententiæ dictum illud Amos prophetæ, *Væ desiderantibus Diem Domini.* Nã Amos non loquitur de San-

3. Interpretatio. Ambrosius

Quid altare.

Quomodo Sãcti petãt vindictam. Ad Romanos 12. Matt. 5.

Luca 21.

Matth. 6.

Locus Amos 5.

ctis,

ctis, sed de peccatoribus & impijs qui desiderare dicuntur diem Domini, in quo fiet æterna eorum dãnatio, non quidem in se, non enim est illis vllo modo desiderabilis, sed in causa eius, quæ sunt peccata: amant enim perseueranter & sectãtur peccata quæ merentur illam damnationem.

Quid singula & quæ bina stola albæ.

64 Sed quid est, Datas esse animabus Sanctorum singulas stolas albas? Stola alba gloria est sanctarũ animarum, quæ singulas nunc stolas possident, quia corporibus in terra quiescentibus, ipsæ tantùm stola cęlestis gloriæ & felicitatis ornãtùr; binas verò stolas tunc accipiẽt cum post resurrectionem animæ vna cum corporibus gloriam cęlestis patriæ sine fine possidebunt.

Quod sit modicum tempus expectationis animarum Sãctarum.

Tempus porrò modicum quo expectare iubentur, quoad numerus fratrum suorum compleatur, significat tempus vsque ad diem Iudicij, modicum sanè in comparatione futuri post Iudicium temporis, vel potius æternitatis: non veniet autem dies Iudicij, vsque dum impleatur omnis numerus Electorũ. Sed ponit Ambrosius hanc quæstionem. Cur solæ animæ Martyrũ dicantur sub altari esse, & stolas albas accepisse, cùm omnes Electorum animæ sub isto altari quiescant, & similes stolas albas habeant? Respondet Ambrosius animas interfectorum vocari hoc loco non solùm animas Martyrum, sed omnium Iustorum; omnes enim Iusti mortui fuerunt Mundo, vt viuerẽt Deo, sicut dixit Apostolus, *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*; & alio loco, *Omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutiones patiuntur*. Hactenus ex Ambrosio.

Animas sub altari non fuisse tantũ Martyrum, sed aliorum et Sanctorum. Ad Colo. 3.

2. ad Tim. 2.

†

DECIMANONA Disputatio.

Recensentur sex aliæ loci huius Interpretationes, Sancti Gregorij, Augustini, Bedæ, Haymonis, Ricardi, & Dionysii Carthusiani.

4 Interpretatio. S. Gregorius.

64 BEATVS Gregorius super illis verbis Dei ad Satanam, quæ sũt in primo Capite libri Iob, *Numquid considerasti seruum meũ Iob, quòd non sit ei similis in terra, &c.* hunc locum Apocalypsis luculenter tractat ita scribens, Quid est animas Sanctorum vindictam à Deo petere, nisi diem extremi Iudicij, & resurrectionem extinctorum corporũ desiderare? Magnus quippe sanctarum animarum clamor, magnum est earum desiderium, earùmque verba, ipsa sunt earum desideria: Si enim desiderium Sanctorum non esset sermo eorum apud Deum, non vtique Propheta dixisset, *Desiderium cordis eorum audiuit auris tua.* Sed cùm Sanctorum animæ sic in sinu interni secreti Deo inhæreant, vt inhærendo requiescant; quo modo dicuntur petere aut desiderare vindictam, quas & voluntatem Dei, & ea quæ futura sunt certum est non ignorare: Verum nihil illæ desiderant, quod ab eius voluntate quam cernunt, discordat: Sed ab ipso petunt, quod eum facere velle nouerunt, de ipso enim bibunt, quod ab ipso sitiunt, &, modo nobis adhuc incomprehensibili, in eo quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent illæ potius

Quid sit clamor animarum ad Deum, & quid petitio vindicta.

Psalm. 9.

tiùs à voluntate conditoris, si quæ vident Deum velle non peterent: eique minùs inhærerent, si dare volentem, desiderio pigriore pulsarent. Desiderantibus verò animabus respondere, vt quiescant ad modicum tempus, est, inter ardorem desiderij, ex ipsa præscientia consolationis solatium aspirare: vt & animarum vox sit hoc quod amantes desiderant; & respondens Dei sermo sit hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere itaque eis vt collectionem fratrum suorum expectent, est, mentibus earum libenter expectandi moras infundere, vt cùm iam carnis resurrectionem expetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur. Hæc sanctus Gregorius: cuius magna pars Interpretationis huius loci Apocalypsis ex vndecimo Sermone de Sanctis Beati Augustini fermè ad verbum sumpta est; quod ex ijs quæ hic proxime subijciam, fiet Lectori manifestum.

Quid sit, Deum respondere animabus vt expectēt collectionē fratrum suorum.

65 Sanctus Augustinus in eo quo dixi Sermone copiosam verborum Scripturæ huius loci, doctamque habet explanationem. Putat autem Augustinus, propterea dictum esse, visas esse Ioanni sub altari animas Sanctorum Martyrum, quod vetus sit Ecclesiæ consuetudo, super Martyrum sepulturis, in quibus eorum condita sunt corpora, erigere altaria in quibus veneranda Corporis & sanguinis Christi mysteria in Sacrificio Missæ celebrari solenne fuit. Quia igitur sub altaribus quiescebant corpora sanctorum Martyrū, idcirco ostensæ sunt Ioanni eorum animæ sub altari. Augustini verba ex illo Sermone hæc sunt: Rectè sub altari Sanctorum animæ requiescunt, quia super altare Corpus Domini offertur. Quid reuerentius, quid honorabilius dici potest, quā sub illa ara requiescere Sanctos, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus ipse Sacerdos est, de quo scriptum fuit, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Conuenienter itaque, & quasi pro bono consortio ibi sepultura Martyribus decreta est, vbi mors Domini quotidie celebratur, sicut Paulus dixit, *Quotiescumque hoc feceritis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* vt qui propter mortem eius mortui fuerunt, sub Sacramenti eius mysterio requiescant, & illic occisis tumulus constituatur, vbi occisionis dominicæ commemoratio celebratur; & quos cum Christo vnius passionis causa deuinxerat, vnius etiam loci religio copularet. Legimus plures Iustorū Abrahæ sinu refoueri, & alios Paradisi amœnitate lætari; sed honorabiliùs Martyres ibi requiescunt, vbi & hostia Christus est & Sacerdos, scilicet vt propitiationem de oblatione hostiæ consequantur, & benedictionem æterni Sacerdotis accipiant. Super eo autem quòd Ioannes audiuit, animas Sanctorum cum clamore magno vindictam petere suorum persecutorum, oritur quæstio, Cum Dominus in Euangelio iusserit diligere inimicos, & orare pro persequentibus, quo modo Sancti iam cum Deo manentes orent pro vindicta suorum inimicorum? Sed sciendum est, Sanctos in conspectu Dei consistentes videre voluntatē illius, & ab eo petere, quod ipsum facere velle nouerunt, & de ipso bibere, quod de ipso sitiunt. Vindictam porrò de inimicis suis expetunt ex charitate, & hoc duobus modis; vt scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt, conuertantur a malo ad bonum: qui autem, præsciente Deo, damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant, vt per hoc minorem pœnam in Inferno habeant, vbi vnusquisque secundùm qualitatem operum suorum etiam pœnarum magnitudinem sustinebit. Expetentes vero Sancti vindictam de inimicis, optant

5. Interpr. S. August.

Cur animæ Sanctorum Martyrum visæ sint sub altari.

Psal. 109.

1. ad Cor. 11.

Matth. 5.

Quomodo Sācti ex charitate petāt vindictam suorum persequutorū

venire

Quid stolæ albæ, & cur singulæ.

venire diem extremi Iudicij, & resurrectionem suorum corporum præstolantur. Per singulas autem stolas albas illis datas intelligere oportet mercedem Baptismi, præmium martyrij, mercedem æternorum bonorum, & gaudium cœlestis patriæ. Habent Sancti ante resurrectioné singulas stolas, quia in sola anima adhuc æterna beatitudine perfruuntur; post resurrectionem autem accepturi sunt binas stolas, quando receptis corporibus, immutabiles erũt in anima, & incorruptibiles in corpore. Dicere porrò illis, *vt expectent modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum eorum*, est inspiratio Dei qua mentibus eorum desiderantibus finem Iudicij immittitur virtus patientiæ, vt patienter ferant omnia, expectantes complementum numeri aliorum Sanctorum qui similiter pro Christo in terra occidendi sunt, & cum ipsis in cœlo regnaturi: vt qui desiderant recipere sua corpora, gaudeant de numero colligendorum fratrum suorum. Tali scilicet modo loquitur Deus Sanctis suis, qualiter paterfamilias habens multos filios, singulisque de agro reuertentibus, & rogantibus eum vt cibum ipsis tribuat, respondet, Refectio quidem vestra parata est, sed expectate fratres vestros, vt cùm in vnum positi fueritis, omnes in commune comedatis & epulemini gaudentes. Dicit autem fratres eorum esse interficiendos vel aperto videlicet martyrio, vel occulto. Hactenus verba fuerunt Beati Augustini.

Quid sit dicere animabus vt expectent collectionem fratrũ suorũ.

Pulchra similitudo.

6 Interpr. Beda. Scopus huius visionis.

66 Beda sic explicat hunc locum Apocalypsis: Quia per trium proximè superiorum Sigillorum apertionem significauerat Deus Ecclesiam multiplici persecutione conflictatum iri, nunc ostendit gloriam animarum post pœnas quas in corporibus suis passæ fuerant. Vidi, inquit, animas sub altari, id est, in secretario laudis æternæ: Ara enim aurea, & interiùs posita, & prope dominici corporis arcam, non, vt exterior ara Iudaici templi, carnem & sanguinem animalium sacrificans, sed sola offert Domino thymiamata laudis: & qui nunc exhibent corpora sua hostiam viuentem Deo, tunc diruptis carnis suæ vinculis sacrificabunt illi hostiam laudis. Potest auté per hyperbaton id esse dictum, vt non sub ara viderit Sanctos positos, sed viderit eos occisos sub ara, id est, sub testificatione nominis Christi, quemadmodum de Machabæis dictum est, *Sub testamento Dei ceciderunt*. De clamore autem animarum ad Deum, & petitione vindictæ, & de stolis albis, & responsione Dei ad ipsas, eadem scribit hoc loco Beda ijs quæ Augustinus & Gregorius tradiderunt; quorum nos verba paulò suprà retulimus.

Quid altare.

7. Interpr. Haymo. De duplici altari in tẽplo Iudaico.

Haymo declarans quid significet altare sub quo animas Martyrum vidit Beatus Ioannes, ita scribit, Duo erant in templo Iudaico altaria: vnum erat opertum ære, & in atrio, & sub dio, vbi animalium sacrificia cremabantur: Alterum erat interius, & ante Velum tegẽs Sancta sanctorum, & vestitum auro, in quo tantùm sanguis ponebatur, & thymiama incendebatur; Scisso autem per Christi mortem Velo, Arca coniuncta est Altari aureo, nullo discernente velamento. Per altare autem æreum, carnalis Iudæorum populus legem illã tantùm carnaliter intelligens & obseruans figuratur: Per aureum altare, perfecti viri illius populi spiritaliter legem intelligentes & seruantes designantur. Vnde Dauid bene sciẽs, adulterij & homicidij crimẽ suũ non posse sacrificijs illis legalibus expiari, dicebat, *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis*: moxque subiungit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despi-* 67

Matth. 27.

Psalm. 50

aspiciet. Huius itaque altaris aurei mentio fit in hoc loco Apocalypsis. Est porrò Christus Dominus & Sacerdos, & hostia, & altare: Sacerdos, quia per illum munera nostra ad Deum Patrem dirigimus, vnde Sacerdotes, se per Christum exaudiri optantes, in nomine ipsius orationes suas finiunt dicentes, *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* Est quoque Christus altare, quia per ipsum, & in ipso nostra sacrificia offerenda sunt Deo, vt ei sint grata & accepta. Est item hostia, quia semel obtulit seipsum Deo Patri in ara Crucis, & quotidie in Ecclesia idem ipse offertur, sed incruenta oblatione. Sancti etiam sunt altare, quia sunt capiti suo Christo coniuncti: Sunt & sub altari, quia nō illi per omnia coæquātur, sed virtutis eius participes sunt secundùm mensuram donationis eius. Sic Haymo; nam quæ deinceps scribit de clamore sanctarum animarum ad Deum, de petitione vindictæ, de stolis albis, & de responsione Dei ad ipsas, prorsus eadem sunt quæ tradidit Beatus Augustinus, cuius verba supra commemorauimus.

68 Altare Dei, ait Ricardus, Christus est, super eum namque per fidem & orationem offerimus bona quæcumque cogitamus, loquimur, operamur. Sub hoc altari sunt animæ Sanctorum, quia se Christo per humilitatem submittunt, & per ipsum à Patre Iudicium & vindictam ex amore iustitiæ requirunt. Dicuntur autem isti Sancti fuisse interfecti propter verbum Dei, & testimonium quod habebant, id est, propter præceptum Dei quod in se implebant, & ob testificationem Fidei quam alijs prædicabant. Clamabant voce magna, id est, magno voto & desiderio expetebant. Appellant Deum (Verum, & Sanctum) Sanctum, in semetipso: Verum in suo promisso: Sanctum, odiendo iniquitatem; Verum implendo prædicta, & promissa præstando. inquiunt, *non iudicas & vindicas?* Iudicas, malos, vt meriti sunt, puniendo. *Sanguinem nostrum*, id est, passiones & mortem nostram. *Ab his qui habitant in terra*, non solùm per corporalem habitationem, sed multò magis per inordinatum amorem & cupiditatem rerum terrenarum. *Et dictum est illis vt requiescerent.* Per acceptam scilicet iam animæ beatitudinem. *Et expectarent*, glorificandi corporis promissionē. *Donec impleatur numerus fratrum*, Id est, Martyrum & Confessorum. *Qui interficiendi sunt*, vel à Tyrannis morte corporali, vel per præsentium laborum & tribulationum tolerantiam. Impletio autem numeri fratrum; est Prædestinatorum plena & perfecta remuneratio, quorum certus a Deo definitus est numerus omninò complendus. Ita Ricardus.

8. Interpr. Ricardus. Quid altare.

Dionysius Carthusianus illud, 69 *Sub altari*, ita interpretatur, vel, sicut Beda, in secretario laudis æternæ, quod est sublime altare triumphantis Ecclesiæ: Vel sub Christi custodia & protectione, iuxta illud, *Iustorum animę in manu Dei sunt.* Petunt autem Iusti vindictam zelo Iustitiæ, non ex odio appetitu vltionis: Et hoc licet, sicut Dominus ostendit apud Lucam dicens, *Deus non faciet vindictam seruorum suorum clamantium ad se die ac nocte; Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Ista porrò Sanctarum animarum oratio ad Deum fuit exaudita, quia non petierunt vindictam inimicorum nisi prout placebat Deo. Ex eo autem quòd acceperunt singulas stolas albas, apparet, Sanctos ante generalem resurrectionem beatificari, secundum animam, & expectare tantùm glorificationem suorum corporum. Hinc etiam manifestum fit, stultam fuisse hæresim quorundam dicentium, Impios in die Iudicij

9 Interpr. Carthusianus. Quid esse sub altari. Sap 3. Quomodo sancti petāt vindictam. Luc. 8.

Refellitur ex hoc loco duplex error.

dicij precibus Sanctorum esse saluandos, cùm ex hoc loco Apocalypsis, & ex loco Euangelij Lucæ suprà citato pateat, Sanctos optare & petere à Deo vindictam Impiorum: quod etiam confirmatur illis verbis prophetæ Dauidis quæ sunt in Psalmo cxlviij. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: Exaltationes Dei in gutture eorũ, & gladij ancipites in manibus eorum, Ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant iudicium conscriptum: Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Ita Carthusianus.

Locus Psalmi 148.

Thomas Anglus ponit hanc dubitationem: Si desiderium Sanctarum animarum differtur vsque ad finem Mundi, quomodo illæ non inde affligentur, cùm Salomon dixerit, *Spes quæ differtur, affligit animam.* Respondet, posse dupliciter desiderari vt aliquid fiat: aut vt fiat statim & quamprimùm, & sic dilatio affligit expectantem: aut vt fiat opportuno tempore, & ita ex dilatione non accidit afflictio, manet tamen desiderij continuatio. Quin etiam ipsa dilatio est grata, nam ex dilatione id quod desideratur postea iucundius accidet desideranti: Habebunt autem Sancti in die Iudicij supremum gaudij cumulum ex consummatione suæ gloriæ, ex plena societate cœlestis curiæ, & ex complacentia diuinæ iustitiæ in Reproborum punitione.

Thomas Anglus. Cur dilata spes glorificationis corporum non affligat Beatas animas. Prou. 13.

†

VIGESIMA Disputatio.

Discutiuntur tres aliæ Interpretationes, Ruperti, & Ioachimi, atque Lyrani.

APertio quinti sigilli, secundùm Rupertum, declaratio fuit eorum quæ in Veteri Testamento prædicta fuerant de missione Spiritus Sancti in Christi Discipulos, vt illud Ioelis vaticinium, *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt, &c.* Quod vaticinium Beatus Petrus de missione Spiritus Sancti in Christi Discipulos interpretatus est. Animæ porrò Interfectorum clamantium vindictam, sunt animæ omnium eorum Iustorum quos Hebræi, sectatores Cain, occiderunt, a sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ quem occiderunt inter templum & altare, sicut illis exprobrauit Dominus. Visæ autem sunt animæ sub altari, quia primus illorum Abel propter Sacrificium Deo placitum ab inuidente fratre interfectus est; & ille Zacharias occisus est inter templum & altare. Rupertus porrò noua quadam interpretatione per illum Zachariã contendit non esse intelligendum illum istius nominis filium Ioiadæ Pontificis, non enim ille fuit vltimus eorum quos Iudæi occiderunt in templo, cùm post illum plures de Iustis & Veteris & Noui Testamenti interfecerint. Putat itaque, per illum Zachariam intelligi debere

10. Interp. Rupertus.

Ioel 2.

Act. 2.

Quorum Martyrum fuerint illæ animæ sub altari. Matth. 23.

Genes. 4.

Noua Ruperti opinio, Zachariã occisũ inter tẽplũ & altare fuisse B Iacobum Apostolũ dictũ fratrem Domini.

bere Beatum Iacobum fratrem Domini, primumque Ierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum, a Iudæis occisum proximè ante Ierosolymitanum excidium factum à Tito Imperatore, Ob cuius Iacobi necem Iosephus ait tantam illam calamitatem Iudæis contigisse. Sic Rupertus.

Refutatio sententia Ruperti.

71 Sed in eius Interpretatione duo esse videntur correctione digna: Primum, animas Martyrum sub altari visas Beato Ioanni, interpretatur Martyres duntaxat Veteris Testamenti; at Visio hæc Ioannis futura potiùs præmonstrat, quàm præterita commemorat; Et cùm multò plures fuerint; multoque illustriores Noui Testamenti Martyres, eorumque cædes multo atrociores & crudeliores, non est credibile, illos tantùm esse visos & auditos à Ioanne postulantes vindictam sui sanguinis & mortis, hos autem esse prætermissos. Deinde, illum Zachariam filium Barachiæ, fuisse Beatum Iacobum Apostolum, non minùs improbabilis quã noua est opinatio, eam quippe tria manifestè refellunt: primùm Iacobus nusquam appellatus est Zacharias, nec filius Barachiæ, sed Alphæi dictus est: Deinde, non est occisus inter templum & altare, sed extra templum præcipitatus: Dominus etiam noster manifestè locutus est de Iustis qui ante ipsum occisi fuerant à Iudæis, non autem de his qui posteà erant occidendi; Iacobus autem multis annis post mortem Domini interfectus est. Responsionem verò ad rationem qua Rupertus suam istam firmat opinionem, quærat Lector apud Caietanum, & Iansennium, & Ioannem à Louanio super illo Matthæi loco supra citato.

72 Interp. Ioachimus.

72 Ioachimus Abbas Apertionem quinti sigilli refert ad quintam Ecclesiæ Ætatem, in qua dicit ipse se tunc fuisse, & quidem in eius Ætatis extremitate; Cùm is tamen annis circiter ab hinc quadringentis vixerit. Seraphinus autem Firmanus qui hoc sęculo nostro fuit, non dubitauit dicere, iam instare finem huius quintæ Ætatis, & in proximo esse sextam Ætatem in qua venturus est Antichristus. Ioachimus itaque ait, altare Dei sub quo erant animæ interfectorum, intelligi debere Romanam Ecclesiam quæ valde confortata in Domino, valde floruit in hoc quinto tempore apud Latinos: Nam licèt ab exordio suo clara fuerit, in omni tamen tempore quo Imperatores Constantinopolitani Romanũ Imperium tenuerunt, tam ipsi quã Episcopi Constantinopolitani claritatem quam Romana Ecclesia à Christo accepit obscurare, ac subuertere non ratione, sed tyrannica violentia conati sunt. Vt autem primæ Ecclesię persecutio concitata est in Iudæa, & secunda Romæ, & tertia in Græcia, quarta verò in Arabia; sic in hac quinta Ætate persecutio quinta orta est in Mauritania & in Hispanijs: fuerunt enim ibi, & hodie sunt reliquiæ Christianorum sub fide ac protectione Romanæ Ecclesiæ, quorum plurimi à Sarracenis occisi magna tristitia & dolore vicinos fideles populos affecerunt. Quin etiam, nuper allatum nobis est, Mezelmuthũ Principem Sarracenorũ plurimos Christianorum quos sub ditione habebat, in odium nominis Christiani occidisse, quos coronæ Martyrij non fuisse expertes putandũ est. Sic Ioachimus.

Seraphinus Firmanus.

Quid altare Dei.

Refellitur Ioachimus.

Sed quamuis omnis iste numerus Christianorum interfectorum a Saracenis in illa Ætate Ioachimi quamlibet magnus fuerit, is tamen perquam exiguus censeri potest, pro vt fuit numerus eorum qui in vna duntaxat persecutione Diocletiani & Maximiani intra viginti annos, quacumque patebat Imperium Romanum, crudelissimè occisi sunt. Nulla igitur ratio erat 73

in

vt in quinta Ætate potiùs quàm in secunda Ætate Ecclesiæ induceretur clamor Martyrum postulantium vindictam suorum persecutorum; cùm in secunda Ætate Ecclesiæ per illas decem Romanorũ Imperatorum persecutiones multò plures Christianorum, multoque maiori tormentorum acerbitate, atrocitate, crudelitate interfecti sint.

11. *Interpretatio. Lyranus. Aureolus.*

74 Lyranus omnem huius quinti Sigilli apertionis interpretationẽ ad verbum mutuatus est a Petro Aureolo. Isti huius quinti Sigilli apertionem interpretantur de innumerabilium Christianorum cæde quæ facta est per septem persecutiones à septem Imperatoribus Romanis contra Christianos concitatas, id est, post Domitiani persecutionem vsque ad persecutionẽ Diocletiani: Nam post persecutionem Domitiani, prima fuit Traiani; secunda, Antonini; tertia, Seueri; quarta, Maximi, siue Maximini; quinta, Decij; sexta, Valeriani; septima, Aureliani: & has persecutiones secuta est vltima quæ fuit Diocletiani & Maximiani. Ac licet inter istos Imperatores supradictarum septem persecutionum auctores, multi alij fuerint intermedij sub quibus etiam occidebantur Christiani, illis tamen Imperatoribus præcipuè assignantur supradictæ persecutiones, quod illi ex professo edicta contra Christianos fecerint, vel iam facta renouauerint sub alijs autem Imperatorib. occidebantur Christiani propter edicta priorum, cùm ea non reuocarẽtur a posterioribus. Temporibus igitur illorum Imperatorum non erant Ecclesiæ in publico, nec altaria stabilia, sed in cryptis & locis subterraneis Christiani orabant & sacra celebrabant. Propter diuturnitatem itaque persecutionum mirabantur fideles, cur diuina Iustitia tandiu differret vindictam tantæ cædis suorum Martyrum. Dicuntur porrò Animæ fuisse sub altari, ratione corporum Sanctorum Martyrum quæ sepeliebantur in cryptis, & super eorum sepulturas vel super eorum Reliquias erigebantur altaria, & in his Missæ celebrabantur; Dicitur enim, Felicem Papam huius nominis Primum instituisse, vt supra memorias & sepulcra Martyrũm Missæ celebrarentur. Clamor verò Sanctorum Martyrum postulantium a Deo vindictam, non est aliud nisi manifestatio coram Deo malitiæ Tyrannorum meritò puniendæ, & declaratio innocentiæ Sanctorum Martyrum meritò remunerandæ: Quemadmodum Dominus dixit Cain, *Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Id est, declarat malitiam tuam puniri à me debere in mortis eius vindictam Et Aureoli quidem atque Lyrani loci huius interpretatio est huiusmodi.

Quid sit animas fuisse sub altari.

Quid Clamor animarũ petentiũ vindictam,

Locus Gen. 4.

Confutatio Interpretationis Aureoli & Lyrani.

Etenim, nulla ratio idonea & probabilis afferri potest, cur in hac Visione inductæ sint animæ clamantes & postulantes vindictã eorum duntaxat Martyrum qui passi fuerant in illis septem supradictis, persecutionibus: omissis innumerabilib. & nobilissimis Martyribus occisis in alijs tribus persecutionibus sub Nerone, & Domitiano, ac Diocletiano, cum horum eadem sit atque illorum conditio, eademque ratio expetendi vindictam; & responsum Dei de expectando complemento fratrum suorum, & quod dicitur de singulis stolis albis quæ datæ sunt illis, æquè pertineat ad animas horum Martyrum atque ad animas illorum. 75

†

VIGESIMA PRIMA Disputatio.

Expenditur loci huius Interpretatio quæ est apud Sanctum Bernardum.

13. Interp. S. Bern. 76 SAnctus Bernardus in Sermone quarto de Festo omnium Sanctorum ait, ante descensum Christi ad inferos, Sanctarum animarum receptaculum post hâc vitam fuisse in Inferno, in loco quidem tenebroso, sed quieto tamen, & pœnarum ac dolorum vacuo, qui dictus est Sinus Abrahæ. Nam Iob de seipso dixit, *Antequam vadam in locum tenebrarum & opertum mortis caligine.* & item, *Quis mihi tribuat vt in Inferno protegas me?* Quamuis vero tam Sanctorum, quàm Impiorum animæ in Inferno essent, erant tamen inibi magno locorum interuallo separatæ, &, vt in Euangelio dicitur, chaos magnũ firmatũ erat inter eos; Erant enim Sancti in loco quietis & refrigerij, & omnino expertes pœnarũ quibus cruciabantur Impij. Hunc igitur locum obscurum quidem, sed quietum, Dominus apud Lucam vocauit Sinum Abrahæ, quod ibi in fide & expectatione Saluatoris requiescerent: fides enim Abrahę vsqueadeò probata & approbata est, vt primus ipse futuræ incarnationis Christi meruerit accipere promissionem. Et hic quidem fuit Sanctarum animarum post hanc vitam status ante Christi aduentum. At verò post ascensionem Christi ad cœlum, receptaculum Sanctarum animarum post hanc vitam non iam in Inferno, sed in cœlo est; non in tenebris, sed in luce; non in sinu Abrahæ, sed sub altari Dei: testatur enim Beatus Ioannes in Apocalypsi, vidisse se animas Sanctorum sub altare Dei. Quòd si præsens quoque Sanctorum requies alicubi vel ab aliquibus nominatur Sinus Abrahæ, id ex dictis Domini in Euangelio inoleuit, & per quandam similitudinẽ accipiendum est; siquidem non incongruè fideles Sancti qui sunt veri filij Abrahæ, post hanc vitam in paternum sinum recipi dicuntur, quòd ad eius consortium quietis & felicitatis ex hoc sæculo transeant. Altare porrò Dei sub quo animæ Sanctorum quiescunt, ego, inquit Bernardus, Corpus & Humanitatem Christi Domini interpretor, iuxta illam eius sententiam, *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*: Sanctorum itaque animæ feliciter requiescunt sub Christi Humanitate, in quã scilicet etiam Angeli desiderant prospicere, donec veniat tempus, in quo non tam sub altari erunt, sed exaltabuntur super altare, non vtique prælatione, sed visione & contemplatione; Tunc enim Dominus ostendet se Sanctis, non tantùm in forma Serui in qua similis est illis, sed in forma Dei in qua æqualis est Patri: Ostendet simul etiam Patrem & Spiritum Sanctum, sine qua visione nihil sufficeret nobis, tunc enim videbimus eum sicuti est. Tripliciter enim in illa pfecta Beatitudine fruemur Deo: primò, videntes illum in omnibus creaturis: deinde, videntes & habentes ipsum in nobismetipsis: ac demum, quod his iucundius & beatius est, ipsam videntes in semetipsa Trinitatem, & gloriam eius sine vllo ænigmate mundo corde contẽplantes, in quo est vita æterna & perfecta felicitas: nam priora duo sũt velut cortex tritici; hoc autem tertium est tanquam medulla tritici & adeps frumenti qua cœlestis illa Ierusalẽ plenè satiatur. Et hæc est

Locus Sanctarũ Animarũ post mortem, & ante et post Ascensionẽ Domini ad Cœlum.

Locus Iob 10. & 14.

Locus Lucæ 16.

Quod sit altare sub quo S. Ioãnes vidit animas Sãctorum.

Matth. 24.

Ad Phil. 2.

1. Ioan 3.

Beati tripliciter fruuntur Deo.

quidem in eo quo dixi loco scribit Sanctus Bernardus.

77 Ex supradictis Bernardi verbis satis apparet, ipsum esse opinatũ, post hanc vitam animas Sanctorũ statim recepi in cœlum, & iucundissimo frui conspectu sanctissimæ Humanitatis Christi, & hoc esse, illas quiescere sub altari Dei, ante diem vero Iudicij non admitti eas ad beatificam diuinæ Essentiæ visionem. Et hoc ipsum significauerat idem Bernardus in præcedenti Sermone tertio de Festo omnium Sanctorum scribens, datas esse singulas stolas animabus Sanctorum: prima enim stola datur eis statim post mortem, & est ea quam diximus, requies & fęlicitas: altera stola dabitur eis post resurrectionem, & erit immortalitas & gloria corporum. Clamant porrò animæ Sãctorum, expetentes à Deo vindictam, non ex propriæ vltionis zelo, sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum quam vsque in diem iudicij differendam esse non dubitant. Sine qua glorificatione corporum nec earum compleri lætitia, nec perfici gloria, nec consummari beatitudo poterit: adeò enim vehemens in eis est desiderium naturale corporum suorum, vt non sinat eas toto affectu liberè pergere in Deum, & contrahat quodammodò, & rugam faciat, dum eas ad hoc desiderandum inclinat. Et Sancti quidem in terris nec sine ruga, nec sine macula sunt; Sed in cœlis nunc sine omni macula sunt, non tamen sine ruga: post diem autem Iudicij & sine ruga, & sine macula erunt. Idem etiam Bernardus in præcedenti Sermone secundo de eodem Festo affirmat, animas Sanctorum exutas corporibus protinus admitti ad requiem & lætitiam, non tamen ad plenam gloriam regni. Ex quo intelligitur, Sanctum Bernardum propensum fuisse ad sententiam multorum veterum Doctorum & Patrum qui negarunt Sanctorum animas ante diem Iudicij, clara & beatifica Dei visione frui; quam eorum sententiam nos paulo infrà discutiemus.

Quid stolę albæ.

Quid clamor animarum.

Nota hoc.

Locus epist. ad Ephes. cap 5.

Illud autem quod Bernardus dixit, animas Sanctorum naturali & summo desiderio recipiendi corpora sua, retardari quodammodo & impediri, ne tota affectione in Deum ferantur, sumpsit à Beato Augustino qui id ipsum affirmat in Capite 35. libri 12. de Genesi ad litteram ita scribens, Si quem autem monet, quid opus sit Spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiã sine corporibus summa illa beatitudo præberi: sciat, minimè dubitandum esse, & raptam à sensibus carnis mentem hominis, & post mortem ipsam, carne deposita trãscensis etiam similitudinibus corporalium rerum, nõ sic videre posse incommutabilem Dei substantiam, vt vident Sancti & beati Angeli, siue alia quapiam latentiore causa, siue ideò, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodò ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, id est, in visionem diuinæ Essentiæ, quandiu non subest corpus cuius administratione appetitus ille conquiescat. Sic Augustinus. 78

S. August.

Sed quia hæc Augustini verba nonnullam habet difficultatem, docet nos Beatus Thomas quemadmodum ea bonam in partem accipienda & interpretanda sint. Nam in prima secundæ quæst. 4. art. 5. ponit quarto loco ex supradictis Augustini verbis huiusmodi quandã obiectionem; Operatio fęlicitatis in qua consistit beatitudo, nullo modo esse debet impedita, vt Aristoteles ait in libro decimo Ethicorũ; Sed operatio animæ separatæ est impedita, quia, secundum Augustinum, inest ei naturalis appetitus administrandi corpus, retardans 79

D. Thom.

Quomodo animæ Beatæ ob appetitum suorum corporum impediantur ne tota intentione ferantur, in Deum.

quodammodo eam ne tota intentione pergat in illud summum cælum, id est, in visionem Essentiæ diuinæ: ergo anima sine corpore nõ potest esse beata. Ad hanc obiectionem Angelicus Doctor ita respondet: Dupliciter impediri aliquid potest ab alio; vel per modum contrarietatis, sicut frigus impedit actionem caloris; & tale impedimentum operationis repugnat felicitati. Altero modo aliquid impeditur ab alio per modum cuiusdam defectus, quia scilicet res impedita non habet quicquid ad omnimodam eius perfectionem requiritur; & tale impedimentum operationis non repugnat simpliciter felicitati, sed tantum omnimodæ perfectioni ipsius. Et ita separatio animæ a corpore dicitur animam retardare ne tota intentione tendat in visionem Essentiæ diuinæ; appetit enim anima sic frui Deo, vt ea quoque fruitio deriuetur ad corpus per redundantiam, sicut est possibile: & ideo quandiu ipsa fruitur Deo sine corpore, appetitus eius sic in eo quiescit, vt tamen adhuc ad participationem eius fruitionis vellet corpus suum pertingere. Similiter quod Augustinus dixit, animas in cælo non videre Deum sicut vident Angeli Beati; Beatus Thomas ait non id esse intelligendum secundum inæqualitatem quantitatis; nam etiam nunc aliquæ animæ beatæ assumptæ ad superiores Ordines Angelorum clarius vident Deum quam inferiores Angeli: sed id esse intelligendum secundum inæqualitatẽ proportionis, quia Angeli etiã infimi, habent omnem beatitudinis suæ perfectionem quam sunt habituri; non sic autem animæ separatæ Sanctorum, vt quibus deest ante resurrectionem perfectio & glorificatio suorum corporum. Hactenus ex B. Thoma.

VIGESIMASECVNDA Disputatio.

Explicatur Auctoris sententia, super apertione Quinti Sigilli.

QVÆ in Apertione, 8
quinti Sigilli à Beato Ioanne visa & audita, & hoc in loco descripta sunt, ea nobis per partes distinctè, enucleateque declaranda sunt: partim breuiter commemorando quæ in superiorum Interpretationum expositione dicta sunt; partim nonnullas etiam nostras quasdam commentationes & obseruationes exponendo, quò dilucidiorem, atque pleniorem, exactiorẽque obscurissimi loci huius interpretationem Lectori tradamus.

Quorum Martyrum illæ fuerint animæ. Rupertus.

Vidi subtus altare animas interfectorum. Quorum Martyrum illæ fuerint animæ, variæ sunt opiniones. Rupertus existimat, esse Martyres occisos a Iudæis, ab Abel iusto, vsque ad Zachariã filium Barachiæ quem ipse opinatur fuisse B. Iacobum Apostolum, vulgò dictũ fratrem Domini, primumque Ierosolymitanum Episcopũ. Ioachimus existimat significari eos qui in quinta Ecclesiæ Ætate in cuius extremitate dicit se tunc fuisse, occisi sunt a Saracenis, cum alibi, tũ maximè in Mauritania & in Hispania. Aureolus & Lyranus arbitrantur designari Martyres factos in septẽ persecutionib. Romanorum Imperatorũ, à Domitiano videlicet vsque ad Diocletianũ. Sed communior & probabilior est sententia, significari oẽs Martyres suprà designatos in Apertione secũdi & tertij & quarti Sigilli; id autẽ est,

Ioachimus.

Aureolus, & Lyranus.

Mar-

Martyres factos in decem illis persecutionibus Romanorum Imperatorum, & in persecutione Hæreticorum; & in persecutione Saracenorum siue Maometanorum.

Quid altare. Quinq; opiniones veterũ de varijs receptaculis Sãctarũ animarũ post mortẽ & ante diẽ Iudicij. Origenes.

81 *Subtus altare*. Quid illud Altare significet, variè admodum declaratur. Nam qui putarunt Sanctorum animas nõ videre faciem Dei ante diem Iudicij, sed manere in quibusdam locis valde quietis & iucundis, existimarunt istiusmodi loca esse significata vocabulo altaris; de istis verò locis & receptaculis animarum post mortem quinq; sunt opiniones. Prima est Origenis in libro secundo Periarchon, animas Sanctorum post mortem primùm duci ad loca quædam terrestria, vbi expoliantur & docentur multa quæ nesciebant: exinde, eas deferri ad loca quædam aerea, & ibi perdiscere maiora quædam & sublimiora: denique, supra cœlum, euehi, & ad ipsum Christum perduci, & ibi perfectè rerũ omnium causas videre. Secunda opinio est Victorini, esse loca quædam subterranea, quantùm ad quietem & amœnitatem, similia eorum quæ finxerũt Poetæ de campis Elysijs. Tertia opinio est Irenæi in libro quinto, & Tertulliani in quarto libro contra Marcionem, & in extremis Capitibus libri de Anima, esse Paradisum terrestrem in quo credunt esse Henoch & Eliam. Quarta opinio est Andreæ, esse diuersa loca pro voluntate Dei & diuersitate meritorum. Quinta est Bernardi, esse supra cœlum, & in visione atque contemplatione Humanitatis Christi.

Victorinus. Irenæus. Tertullia. Andreas Cæsariensis. Bernardus.

Quid sit altare sub quo sint animæ octo interpretationes. Ambrosius, Haymo, Richardus.

82 At verò eorum qui censent animas Sanctorum ab omni peccato mundas post mortem statim videre faciem Dei, quid sit altare sub quo manent Animæ, octo sunt interpretationes. Prima est Ambrosij, Haymonis, & Ricardi, per Altare significari ipsum Christum sub quo tanquam membra sub capite, eius gloriæ ac felicitatis participatione gaudent. Secunda & tertia Interpretatio est Primasij & Bedæ, per Altare significari vel secretum illud & penetrale cœleste vbi Sancti incensum laudis perpetuò offerunt Deo; vel testificationem nominis Christi pro qua Sancti libenter mortem oppetiuerunt, ob idque Martyres ritè nominati sunt. Quarta est Ruperti, vocabulo Altaris alludi ad altare Abelis qui propter Sacrificium in eo factum occisus est à Cain; & ad altare iuxta quod occisus est Zacharias filius Barachiæ qui, vt ait Dominus, occisus est inter templum & altare. Quinta est Ioachimi, per Altare designari Romanam Ecclesiam, sub cuius fide & obedientia plurimi Christianorum in quinta Ætate occisi sunt à Saracenis in Mauritania & Hispania. Sexta est Aureoli & Lyrani, quam etiam innuit Beatus Augustinus, in eo loco quem supra retulimus in Disputatione 9. num. 65. Altaris appellatione insinuari veterem Ecclesiæ consuetudinem erigendi altaria & Missas celebrandi super martyrum Sepulturas vel Reliquias. Septima est Dionysij Carthusiani, manere animas sub altari, idem esse quod manere eas sub tutissima Dei protectione, & securissima eius tutela, secundùm illud, *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illas tormentum mortis*. Et videtur alludi ad tabernaculum & altare templi Iudaici quod erat tutissimum asylum refugientibus ad ipsum, vt patet de Adonia & Ioab ex tertio libro Regum.

Primasius. Beda. Rupertus. Genes 4. Matth. 23. Ioachimus. S. August. Aureolus, Lyranus. Carthusia. Sap. 3.

Auctor.

Octaua Interpretatio quæ nobis maximè placet, huiusmodi est: Templum illud Iudaicum fuisse figuram Ecclesiæ; Quantùm ad atrium quidem exterius in quo erat altare holocaustorum, & mactabantur animalia, fuisse figuram Ecclesiæ militantis; quantùm verò

ad interius Sanctuarium vbi erat incensi & Sancta Sanctorum, figuram fuisse triumphantis Ecclesiæ. Vidit igitur Beatus Ioannes Sanctos Martyres quantùm ad corpora quidem in Ecclesia militāte sub altari holocaustorum propter eorum passiones & cædes; quantùm verò ad eorum animas post mortē, in Ecclesia triumphanti sub altari incensi, id est, in cœlo hostias perpetuæ laudis immolantes Deo, & indutos prima stola beatitudinis animæ, certissima spe secundam stolam glorificationis suorum corporum, consummatæque fęlicitatis expectantes.

83 *Vsquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Quo modo Sanctę animæ in cœlis expetunt vindictam inimicorum suorum, cùm Dominus in Euangelio, & Paulus in Epistolis suis iubeant nos diligere inimicos nostros, & orare pro persequentibus nos? Soluitur hoc varijs modis: Primò, Sancti ea petunt vindictam inimicorum non per se ac primò, sed ex consequenti; expetunt enim vt destruatur omnino regnū peccati, & adueniat super omnes regnum Dei, Sed quia hæc nō fient sine extrema Impiorum vindicta, idcirco eam vindictam dicútur ipsi expetere. Altera solutio est Beati Augustini & Gregorij: Expetunt Sancti vindictam per se, quia cernentes Dei voluntatem, vident eum velle facere istam vindictam, & ideò cupiunt vt talis voluntas Dei impleatur, & de tali impletione gaudent, quòd ea vindicta maximè pertineat ad diuinæ iustitiæ glorificationem. Tertia solutio est eiusdem Augustini & Haymonis; Sanctos petere vindictam ex caritate: tum vt per talem vindictam corporalem qui ex illis persecutoribus suis prædestinati sunt ad vitam æternam, quamprimùm conuertantur ad Dominum; tum etiā, vt qui reprobi sunt, & destinati æternis supplicijs, ocyùs tollantur è medio, ne plus noceant alijs, & maiora sibi ipsi mereantur & coaceruent supplicia. Quarta solutio Aureoli & Lyrani: Sanctorum petitionem vindictæ non esse aliud nisi manifestationem coram Deo malitiæ Tyrannorum meritis pœnis à Deo puniendæ, & declarationem innocentię ac pietatis Sanctorum condignis in cœlo præmijs a Deo remunerandæ. Illud porrò est obseruandum, aliquando Sanctos petere à Deo veniam pro suis persecutoribus, & hoc frequentius est; interdum etiam petere vindictam, vt videre est apud Ieremiam, & apud Dauidem in Psalmis: & vtraque petitio iusta est; Deoque grata, illa enim fit ardore charitatis; hæc zelo iustitiæ: & illa procedit ex communi doctrina Christi; hæc autem ferè non prouenit nisi ex singulari quodam impulsu Dei, & instinctu Spiritus Sancti.

ad Rom. 12. Matth. 5.

Quomodo animæ beatæ expetāt vindictam suorū persecutorum, quatuor interpretationes.

S. August. Haymo.

Aureolus. Lyranus.

Nota hoc.

Et data sunt illis singulæ stolæ albæ. 84
Qui negant Sanctorū animas post mortem videre faciem Dei ante diem Iudicij, hi per stolas albas significari putant statum animarum Sanctarum post mortem plenum munditiæ ac puritatis, & plenum securitatis ac quietis, quin etiam plenum gaudij & lætitiæ ex certissima spe futuræ beatitudinis suæ post diem Iudicij, sicut ex sententia Bernardi & Andreæ suprà exposuimus. Qui verò censent, Sanctorum animas omnis expertes culpæ post mortem statim videre faciem Dei, hi per singulas stolas albas designari aiunt gloriam animę ex beatifica Dei visione, & inenarrabilem lætitiam ex illa visione prouenientem, & ex spe futuræ gloriæ corporum, & futuræ omnium Electorum collectionis & societatis in cœlo. Hæc autem gloria quā nunc habent animæ beatæ, post diem Iudicij, & resurrectionem corporum crescet tripliciter, non

Quid stolæ albę.

Gloriā animarū post diē iudicij crescere tripliciter.

quidem

quidem substantialiter, (vt loquimur in Scholis) sed accidentaliter, & extensiuè: Primò, ex redundantia animarum in corpora; deinde, ex complacentia diuinæ iustitię in punitione Impiorum; tum, ex plenitudine curiæ cœlestis, & societatis cœlestium ciuium; & hoc tribus de causis, Primùm, ob mutuam communicationem gaudiorum & bonorum, propter perfectam amicitiam quæ est inter ciues cœlestes: Deinde, ob Dei gloriam in tot Beatis multiplicatam, & clarificatam, secundùm illud Apostoli loquentis de glorificatione Dei in die Iudicij, *Cùm venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Ad hæc, ob varias singulorum Sanctorum excellentes virtutes & præclarā merita: Denique, ob singularem quādam Dei circa singulos, & admirabilem prouidētiam per varias vias Electos suos, cùm essent in terris, mirabiliter dirigendo, & perducendo ad vitam æternam: Nam si nunc mire nos delectat audire vel legere eximias virtutes, & egregia facta, & varios mirosque casus & euentus illustrium virorum; quantò magis hoc in cœlis Beatos delectabit?

Societatem Sanctorū in cœlo afferre singulis Sāctis triplicē gaudendi causam.

Locus secūda ad Thessalonicen 1.

85 *Et dictum est illis vt requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conserui eorum.* Cur Deus perfectam Impiorum punitionem differat vsque ad diem Iudicij, plures causas licet adferre. Primò, quia nondum vsquequaque eorum cōpleta est malitia, sicut Dominus Abrahæ dixit de Amorrhæis, *Nondum completæ sunt iniquitates eorum.* Deinde, vt compleatur numerus Electorum qui ab Impijs intersiciendi vel affligendi sunt vsque ad diem Iudicij, sicut in hoc loco Apocalypsis scriptum est. Præterea, ob conuersionem peccatorum quibus longanimitas Dei extendit tēpus ad resipiscendum, & agendam pœnitentiam, Quò spectat illud Esaiæ, *Expectat Deus vt misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis.* Et illud Beati Petri, *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Adhęc, quò illustrior, & venerabilior, & amabilior appareat & bonitas & benignitas Dei erga peccatores, tandiu eos patientis, & varijs modis ad pœnitentiam, & salutem adducere volentis, secundùm illud Pauli, *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Postremò, vt manifestior omnibus fiat malitia peccatorum, tanta Dei benignitate abutentium, & iustissima eorum appareat vindicta, iuxta illud Apostoli, *Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti Iudicij Dei.* Eodemque spectat illud quod in hoc libro Apocalypsis Capite 16. ita scriptum est, *Iustus es Domine, quia hęc iudicasti, quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere, digni enim sunt Et audiui alterum dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens vera & iusta iudicia tua.*

Plures causæ ob quas Deus debitam impiorum punitionem differat.

Gen. 15.

Locus Esa. 30. & 2. Pet. c. 3.

ad Rom. 2.

Ibidem.

Nec verò quia spes quæ differtur, vt ait Salomon, affligit animā, propterea beatas animas ob dilationem vindictæ suorum persecutorum, & glorificationis corporum suorum vllo affici dolore, vel afflictione putandum est. Dupliciter enim, sicut etiam supra dictum est, fieri potest vt quispiam vehementer cupiat fieri aliquid; vel citò & quamprimùm, & ita dilatio eius affligit expectantem: vel fieri tempore opportuno secundùm Dei voluntatem & prouidentiam prędefinito; & sic ex dilatione non accidit afflictio, manet tamen desiderij continuatio; Quin etiam ipsamet dilatio est gratia desideranti & expectanti, cùm per dilationem id 86

Locus Prouerb. 13.

V 4 quod

Quomodo numerus Electorum certus sit apud Deū, et norit idē reproborū.

quod desideratur & expectatur, iucundius postea existet.

87 Iam verò quod hic dicitur, expectandum esse beatis animabus vsq; ad diem Iudicij, donec videlicet compleatur numerus Electorum, id profectò valde adiuuat firmatque sententiam Beati Augustini & Scholasticorum Theologorum qui aiunt, certissimum esse Deo numerum Electorum & Prædestinatorum, nec vllo modo diminui eum, vel augeri posse. Augustini verba ex 13. Capite libri de Correptione & Gratia hæc sunt: Prædestinatorum in regnum Dei ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. Istam numeri Electorum certitudinem significat Ioannes Baptista dicens, *Facite fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham: potēs est enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* Ostendens istis verbis sic illos esse amputandos, si fructum non fecerint, vt non desit tamen numerus promissus Abrahæ: Sed apertiùs demonstratur hoc in Apocalypsi illis verbis: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si enim alius non est accepturus coronam nisi alius perdiderit, certus proculdubio est numerus Electorum. Sic Augustinus. Nec solum Electorum numerus certus Deo esse dicitur ratione cognitionis & præscientiæ diuinæ, hoc enim modo etiam Reproborum atque omnium rerum certissimus est Deo numerus; Sed præterea certus esse dicitur ratione cuiusdam electionis & definitionis diuinæ, de quo ita scribit Beatus Thomas in Prima Parte quæst. 23. art. 7. Certus Deo dicitur numerus Prędestinatorum non solùm ratione cognitionis, quia scilicet scit quot sint saluandi, sic enim Deo certus est numerus guttarum aquæ, & arenæ maris: sed ratione Electionis & definitionis cuiusdam. Et paulò infrà, Certus, inquit, Deo est numerus Prædestinatorum, non solùm per modum cognitionis, sed etiam per modum principalis cuiusdam præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero Reproborum qui videntur esse præordinati à Deo in bonum Electorum quibus omnia cooperantur in bonum. Post hæc subdit varias Auctorum opiniones de quantitate numeri Electorum, quibus posthabitis, sic denique ait, Sed melius dicitur quòd soli Deo est cognitus numerus Electorum in superna fęlicitate locandus. Ita B. Thomas.

S. August.

Locus Matth. 3.

Apoc. 3.

S. Thomas.

ad Rom. 8.

VIGESIMATERTIA Disputatio.

Breuiter exponitur, & discutitur sententia eorum qui putarunt animas Sanctorum post mortem non habere beatificam Dei visionem vsque ad diem Iudicij.

EX ijs quæ in superiorum Interpretationum huius loci Apocalypsis tractatione commemorata sunt, manifestum Lectori esse potest, sententiam fuisse multorum veterum Scriptorum, animas Sanctorum post mortem non videre faciem Dei ante diem Iudicij: hoc enim sensisse Irenæum, Origenem, Tertullianum, Victorinum, Andream Cæsariensem, nec ab ea sententia videri Sanctum Bernardum abhorruisse, supra ostensum est. De cuius sententiæ veritate, siue falsitate non est hic copiosè differendi locus; disputarunt autem ea de re diligenter & accuratè cùm alij, tum super omnes Illustrissimus & doctissimus Cardinalis Bellarminus in principio septimæ suæ Controuersiæ. 88

Nec

Nec verò eius sententiæ diiudicatio obscura cuiquam nunc vel ambigua esse potest, cùm in Ecclesia Catholica iam pridem ea sententia damnata fuerit auctoritate decretoque tum duorum Generalium Conciliorum, Florentini in vltima sessione, in Decreto de Vnione Latinorum & Græcorum & Concilij Tridentini in sessione vigesima quinta; tũ duorum summorum Pontificum, Innocentij Tertij cap. Apostolica, extra. De Presbytero non baptizato, & Benedicti Papæ huius nominis Duodecimi in extrauaganti quæ incipit, Benedictus Deus, quam totam refert Alphonsus à Castro lib. 3. aduersus Hæreses in vocabulo (Beatitudo.)

Concilium Florentinũ & Tridentinum. Innocẽtius 3 & Benedictus 12.

89 Eam quoque sententiam manifeste refellunt (vt plura Scripturæ loca in præsens afferre supersedeã) verba illa quæ Dominus dixit latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Vocabulo enim Paradisi significatur beatifica diuinæ essentiæ visio, qualem scilicet habẽt in cœlis Angeli beati. Nõ enim audiendi sunt quidam Veterum, qui nomen Paradisi in illis verbis terrestrem Paradisum in quo Adam est a Deo collocatus, interpretati sunt; Christus enim eo die post mortem suã non fuit in Paradiso terrestri, sed secundum corpus fuit in sepulcro secundum animam verò apud Inferos & in Limbo Patrum, ibique mansit triduo, nec supra terram ascendit nisi tertio die cum a mortuis resurrexit immortalis. Hoc autem euidenter probatur illis Domini verbis quæ refert Matthæus Cap. XII. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Vocat cor terræ, profundissimam terræ partem quę circa eius cẽtrum est, vbi creditur Infernum esse, & fuisse olim Limbum Patrum.

Locus Lucæ 23.

Gen. 2.

Locus Matthæi ca. 12

90 Et verò, nulla satis idonea & probabilis causa ostendi potest, quæ Sanctorum animas remoretur, & retardet à beatifica Dei visione, non sane aliqua earum culpa, ponimus enim animas illas esse vacuas ab omni culpa, non impedimentum clausæ cœlestis ianuæ, hoc enim impedimentũ per Christi mortem & ascensionem ad cælum omnino sublatum est, nec demum separatio animæ à corpore, non enim ad beatificam Dei visionem anima indiget corpore, nã visio illa non fit per phantasmata, vel per mentis reflexionem ad phãtasmata, qui est naturalis modus intelligendi animæ humanæ dum est in corpore; visio enim illa beatifica exuperat naturalem intellectus nostri & facultatem, & modũ intelligendi. Nec est consentaneũ rationi, Sanctorum animas post mortem tanto tempore detineri sine adeptione cœlestis præmij quod condignè meruerunt, detineri, inquam, sine vllo lucro maioris meriti, sic enim essent extra viam, nec tamen essent in termino. Non igitur, vt diximus, istius sententiæ veritas vel falsitas hoc loco in examen vocanda est, sed nobis duntaxat respondendum est ad nonnulla diuinæ Scripturæ testimonia, nonnullasque rationes quibus ista sententia probari solet.

†

VIGESIMAQVARTA Disputatio.

Explicantur duo Sacræ Scripturæ testimonia, duæque rationes soluuntur quibus supradicta sententia probari posset.

91 DVo sunt potiora & firmiora diuinę Scripturæ testimonia quæ istam sententiam adiuuare, ac probabilem facere videri possent. Primum testimonium ex hoc loco Apocalypsis petitum est, vbi dicitur, Beatum Ioannem vidisse animas Sanctorum Martyrum manere sub altari: quo significatur eas non in clarissima luce cœlestis gloriæ nec in beatifico Dei conspectu esse, sed manere in loco quodam abscondito, & obscuro, quieto tamen, omnique pœna & molestia vacuo. Ad hoc ita respondemus: quid sit animas Sanctorum manere sub altari, suprà in vigesima secunda Disputatione satis superque declarauimus, secundùm varias, & probabiles Auctorum Interpretationes, quarum nulla tamen isti sẽtentiæ aliquatenus fauet. Videat Lector quæ ibi dicta sunt, nam ea repetere hoc loco, superuacaneum duxi. Vnum hoc tamen nunc addam, istas ipsas animas quas Ioannes vidit sub altari, quibus datæ sunt stolæ albæ, infra Capite septimo dicitur idem Ioannes vidisse ante Thronum Dei, & in conspectu eius, sic enim ibi scriptum est: *Et dixit mihi vnus de Senioribus, Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt? Et dixi illi, Domine mi tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideò sunt ante Thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in Throno habitabit super illos, &c.* Suprà etiam Capite quarto & quinto scripsit Ioannes, vidisse se viginti quatuor Seniores (qui repræsentabant Animas beatas insigniorum Sanctorum tam Veteris quam Noui Testamenti, vt ibi declaratum à nobis est) sedentes in Thronis circum Dei sedem, & in conspectu Dei & Agni manentes.

92 Alterũ Scripturæ testimonium ductum est ex illis Beati Pauli verbis quæ sunt in Capite vndecimo Epistolæ ad Hebræos, *Et hi omnes*, inquit, *testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur*: quibus verbis apertè indicari videtur, animas illorum veterum Sanctorum vsque ad tempora B. Pauli non accepisse promissionem cœlestis gloriæ, nec accepturas eam vsque ad vltimam Sanctorum consummationem quæ fiet in die Iudicij per resurrectionem corporum, & completam animarum atque corporum glorificationem. Sed nos ad locum istum respondemus, duplicem esse istorum Pauli verborum interpretationẽ, neutramque isti sententię vllo modo suffragari. Potest enim intelligi, Apostolum loqui de repromissione consummatæ felicitatis humanæ per glorificationem non solù animæ, sed etiam corporis, quæ quidem consummatio felicitatis non continget Sanctis ante diem Iudicij. Potest etiam intelligi, Apostolum loqui de promissione beatificæ visionis Dei, & de Sanctis Veteris Testamenti qui eam non sunt consecuti ante Christi aduentum, & mortem, nec ante Sanctos Noui Testamenti. Vtramque hanc interpretationem refert super illo loco Pauli Beatus Thomas, Augustinus tamen in Epistola 99. quam scripsit ad Euodium, sequitur priorem

Locus Epi. ad Hebræos Cap. 11.

S. Thomas. S. August. Locus Matthæi 27.

rem interpretationem: Cui Interpretationi nihil sanè officit quod à B. Matthæo scriptum est, multa corpora Sanctorum surrexisse è monumentis, & apparuisse multis: istos verò quidam putarunt surrexisse ad vitam immortalem; Sed nobis placet magis sententia B. Augustini in supradicta Epistola 99. & Sancti Thomæ in Tertia Parte Quest. 53. artic. 3. qui censent illos non surrexisse ad vitam immortalem, sed vt iterum, post factam de Christo testificationem, morerentur; ad eum scilicet modum illi resurrexerunt, quo modo etiam Lazarus resurrexit, sicut ait Beatus Hieronymus super illo loco Matthæi. Et quamuis illi resurrexissent ad vitam immortalem, paucorum tamen speciale priuilegium, generali non derogat legi, secundùm quam illo in loco Apostolus loquitur, quemadmodum etiam scribit S. Thomas in explanatione supradicti loci Epistolæ ad Hebræos.

Ioan. 11.

93 Duæ item sunt rationes, quæ videri possent nonnullam isti sententiæ fidem facere, quarum prior est hæc. Anima nostra non meretur nisi dum est in corpore, tẽpus enim merendi est in præsenti vita, cùm anima viuificat & regit corpus, secundùm illud Beati Pauli, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gessit, siue bonum, siue malum.* Sicut ergo anima non meretur sine corpore, ita nec præmium etiam meritorum suorum accipere debet sine corpore: ex quo sequitur, vt anima separata a corpore non habeat beatificam Dei visionẽ quæ est prẽmium meritorum eius, ante resurrectionem corporis: Sed nos respondemus, diuersam esse rationem merendi & præmium accipiendi, quantũ ad hoc quod est animam esse in corpore vel extra corpus. Anima quippe indiget corpore ad merendum duas ob causas: tum quia mereri est viatorũ, via autem hominis definita est & determinata a Deo præsenti vita, extra quam non est ampliùs merendi tẽpus: tum etiam, quia multò maxima, ac præstantissima pars meritorum hominis esse non posset sine corpore, vt patet in martyrio, in virginitate, in renuntiatione mundi, omniumque bonorum temporalium, in abstinẽtia & ieiunijs, & in multiplici corporis afflig atione, in exercendis misericordiæ operibus, & alijs huiusmodi. At verò, ad percipiendum præmium quod est beatifica Dei visio, anima non eget corpore, illa enim visio non fit per reflexionem Intellectus ad Phantasmata, quemadmodum mens nostra intelligit dum est in corpore; sed fit per lumen gloriæ, & eleuationem humani intellectus supra naturalem eius facultatem & modum intelligendi.

Locus 2. ad Corint. c. 5

Cur anima egeat corpore ad merendũ & non ad præmiũ accipiendũ

Posterior ratio est huiusmodi: 94
Beatifica Dei visio, cùm sit perfecta hominis beatitudo, omninò explet, &, vt ita loquar, quietat appetitũ animæ: Sed aĩa separata à corpore naturalẽ hẽt appetitũ recipiẽdi corpus, qui nec expleri, nec quiescere põt nisi recepto rursus corpore, quod fiet in resurrectione: Ergo aĩa dũ est separata à corpore, non habet beatificã Dei visionẽ. Respõdeo, animam separatam a corpore duplicẽ hẽre appetitũ, alterũ quidẽ primarium & principalem, videndi scilicet Deum, in quo principalis, &, vt ita dicã, substantialis beatitudo eius consistit; & per hanc visionem Dei principalis appetitus eius omninò expletur. Habet quoque anima separata alterum appetitum, videlicet viuificandi & regẽdi corpus, qui non explebitur nisi post resurrectionem. Cur autem ista dilatio non inquietet nec affligat animam, tres causæ satis probabiles reddi possunt. Primùm quod anima separata certissimã habeat spem opportuno tempore recipiendi corpus. Deinde, quod habeat voluntà-

An visio beatifica animæ separatæ expleat omnino appetitum eius.

Dilatio glorificationis corporum, cur non affligat animas separatas & beatasque, sp͠e & appetitũ habent recipiendi sua corpora.

luntatem omninò conformem voluntati Dei, videt autem Deum velle dilationem fieri vsque ad diem Iudicij. Denique, scit ex ista dilatione iucundiorem sibi, & gloriosiorem futuram receptionem corporis: nam in communi Sanctorum omnium, quæ simul fiet, glorificatione, & gaudio, illustrior erit gloria, cumulatiusque gaudium singulorum.

DE APERTIONE Sexti sigilli.

DECIMAQVINTA Disputatio.

Super illis verbis:

VERSV 12. vsque in finem Capitis.

Et vidi, cùm aperuiſset Sigillum sextum: Et ecce terræmotus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cęlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur, & cælum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons & insulę de locis suis motę sunt, & reges terrę, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus & liber absconderunt se in speluncis & in petris montium, & dicunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare.

Prima Interpretatio horum verborum quam tradunt Ambrosius & Rupertus, exponitur, & refellitur.

Prima Interpretatio.

APERTIONEM sexti sigilli, quantum ad prodigia & calamitates quæ commemorātur supradictis verbis Scripturę, referūt Ambrosius & Rupertus ad Iudaici populi reprobationem, & abiectionem, & punitionem, excidiumque & desolationem regni Iudaici factam à Tito Imperatore Romanorum; quæ mala Iudæi ob impiam Christi Domini necem, & ob persecutionem Christianorum, iustissimo Dei iudicio perpessi sunt. Quæ autem deinde narrantur in proximè sequenti Capite septimo, ea referunt isti Auctores ad lætissimam & gloriosissimam electionem & vocationem Gentium ad fidem Christi. Tunc igitur Dominus (secundum illos) sextum aperuit Sigillū, quando quæ de Iudæorum futuris calamitatibus vel per parabolas, vel apertis verbis prædixerat, & opere ipso compleuit, ipsarumque rerum euentu comprobauit. Verba autem huius Scripturæ sic interpretantur.

Ambrosius & Rupertus.

95 *Terra motus factus est magnus.* Tūc vide licet, quando gens Iudæorum à Romanis vastata est, & suis ex sedibus exterminata, id enim figuratè per terręmotum hoc loco significatur. *Sol factus est niger tanquam saccus cilcinus.* Populus enim Iudaicus qui ob cognitionē & cultum veri Dei, & obseruantiam legis diuinæ tanquam Sol in mundo refulgebat, factus est cunctis mortalibus despicabilis, & exosus ob enormitates scelerum suorum, diuina

Quid terræ motus.

Quid Sol niger, vt saccus cilicinus.

uina vltione eos persequente; sacco etenim pœnitentes operiuntur, vt ostendant se peccatores esse; Sol itaque nigredinem facci dicitur induisse, quia cunctis gentibus Iudæorum scelera patuerunt.

Quid color sanguineus Lunæ.

Et luna tota facta est sicut sanguis. Luna figurat Iudaicam Synagogam, quæ sanguinis speciem habere visa est, quia omnibus claruit, Iudæos ob impiam sanguinis Christi & seruorum eius effusionem, tot tantisque malis & miserijs fuisse percussos, & punitos: & prorsus eis contigisse quod sibimet ipsi imprecati sunt cum dixerunt contra Dominum, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Quantum porrò Sol ille Iudaicus denigratus fuerit, calamitates, quas illi passi sunt & multitudine, & magnitudine propemodum incredibiles, quarũ referti sunt libri Iosephi de Bello Iudaico, euidenter ostendunt. Est autem istiusmodi denigratio Solis Iudaici præsignata per tenebras illas, & obscurationem Solis factam super vniuersam terram, quando verus Sol Iustitiæ per summam Iudæorum impietatem & crudelitatem supplicio crucis occisus est.

Matth. 27.

Ibidem.

Quid stellarum de cælo Ca-

96 *Et stellę de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur.* Per stellas quæ ceciderunt, vel Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Pharisæi, & Seniores, qui erant tanquam luminaria cęli in illo populo Iudaico, designantur; vel tota ipsa gens Iudaica, & posteritas Abrahæ quæ in Scriptura comparatur stellis: Promiserat enim Deus Abrahæ, semen eius multiplicatum iri tanquam stellas cęli; quod ante quingentos post eam promissionem annos completum esse, ostendit Moses dicens Hebræis mox intraturis terram Promissionis, *Multiplicauit vos Dominus sicut stellas cæli.* Similis metaphoræ vsum ad idem significandum reperiet Lector apud Danielem Capite octauo. Stellæ porrò in modum grossorum ficus ceciderunt in terram, quia qui per scientiam legis velut stellæ in populo fulgebant, hos par calamitas & pęna conclusit atque ceteram multitudinem. Congrua verò similitudo est de grossis fici caducis, nam primi quique Iudæorum in Christum credentes quasi grossi ficus, id est, immaturi fructus, agitati vento inuidiæ Gentium quas gratiæ Euangelicæ participes fieri ægrè ferebant ceciderunt de cęlo, id est, deciderunt à Christi fide & gratia, quam sine obseruantia Legis Mosaicæ saluandis hominibus sufficientem esse negabant.

Genes. 15. & 22.

Deut. 1.

Et cęlum recessit sicut liber inuolutus 97 Per cęlum significatur diuina doctrina Veteris Testamenti: quando autem liber inuoluitur, Scriptura eius intuentibus absconditur: Similiter etiam spiritualis intelligentia Veteris Testamenti, per quam Christus demonstratur & agnoscitur, ablata est Iudæis, & data est Gentib. in Christũ credentib. sicut prædixerat illis Dominus dicens, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Et hic est liber signatus de quo nunc agit, inquit Rupertus, quẽ Agnus accepit a dextera Dei, & aperuit; non sanè Iudæis qui velamen habet super cor suũ, nec faciẽ Moysi nisi velatã aspicere possunt; sed nobis in ipsũ credẽtib. librũ aperuit qui sublato velamine, & reuelata facie gloriã Domini contẽplamur.

Quid recessus cæli, tãquam libri inuoluti.

Matth. 21.

2 ad Cor. 3.

Et omnis mons & insula de locis suis mota sunt: & reges terrę, & principes, & tribuni, & c absconderunt se in speluncis & in petris montium Quia terra Iudæorũ montosa erat, ꝑ montes intelligi possunt qui in editis locis habitabãt; ꝑ insulas verò, qui in cãpestrib. & planis locis degebãt. Mots aũt dicuntur locis suis, quoniã qui stragi & cladi Iudæorũ ab hostib. factæ superfuerant, proprijs sedib. exterminati, & in captiuitatẽ abdu-

Quid montes & insula.

sunt. Per diuersa verò hominum genera hic commemorata intelligere debemus tam eos qui inter Iudæos, vel potentia, vel dignitate, vel diuitijs, vel alia quapiam excellentia siue Sacerdotali, siue sæculari eminebant, quam alios minoris cōditionis, & inferiores istis. Qualiter porrò isti sese in speluncis & petris montium absconderint, disertè narrat Iosephus in libris a se scriptis de Bello Iudaico. Tanta enim fuit tunc Iudæorum afflictio & miseria, vt cum fame diuturna tabescentes consumerentur, & ab hostibus exterius, multòque magis à prædonibus & sicarijs qui erant intra ciuitatem, affligerentur, absconderent se in puteis, & in cloacis, alijsque abditis terræ locis, cupientes mori vt prolixam miseriam compendio mortis terminarent. Iosephus certè qui dux in eo bello fuit aduersus Romanos, scribit in Capite 14. libri tertij de Bello Iudaico, se post excidium vrbis Iotapatæ, medios hostes transgressum, saltu demisisse se in puteum, cui amplissima erat a latere spelunca; & inibi aliquandiu latitasse cū alijs quadraginta insignibus viris: sed per cuiusdam mulieris, quæ cū ipsis fuerat proditionem, inuentū & captum esse à Romanis. Illud autem, *Absconderunt se in speluncis & in petris montium.* potest etiam ita intelligi vt significetur Iudæos Maiorum suorum, Patriarchas dico, & Prophetas, confisos patrocinio, aliquod eius calamitatis quam patiebantur, effugium inuenturos se apud Deum sperasse; Sed falso id putabant, frustrà que sperabāt. Illi etenim ipsi Maiores eorum tūc eos non defendebant apud Deum sed contra, eos acriter accusabant sicut Dominus dixit illis, *Est qui accusat vos Moyses in quo vos speratis.*

Ioachimus

Ioan 5.

99 *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Scientes Iudæi se talia & tanta mala perpeti pro plurimis maximisque sceleribus suis, grauioraque manere ipsos Inferni supplicia, optabant opprimi se obruique à montibus, sub quibus delitescebant, & abscondi ab ira Agni quem offensum à se inexpiabili scelere putabant. Hoc sanè prædixerat Dominus Hierosolymitis mulieribus necem eius plangentibus atque lamentantibus, sicut Lucas refert illis verbis, *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros Quoniam ecce, venient dies in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt Tūc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus, Operite nos, quia si in viridi ligno hæc faciūt, in arido quid fiet?* Et interpretatio quidem huius loci Apocalypsis quam tradunt Ambrosius & Rupertus, & quam nos distinctè, ac dilucidè pleneque retulimus huiusmodi est,

Locus Lucæ 23.

Sed ista profectò Interpretatio tribus de causis haudquaquam probabilis est Illud enim excidiū Ierosolymitanum a Vespasiano & Tito Romanorum Imperatoribus factum, aliquot iam annis ante hāc Visionem Beati Ioannis euenerat eratque totum per orbem terrarum peruulgatum, cunctisque notissimum, nihil igitur opus erat, ipsum per nouam hanc Visionem Ioanni & Ecclesiæ notificari. Deinde, in fine huius Capitis scriptū est, homines quibus mala hic commemorata contigerunt, agnouisse ea mala sibi accidisse ob Agni contra ipsos iram & vindictam: at Iudæi calamitates & mala illius excidij Ierosolymitani non putarūt sibi accidisse in vindictam & pœnam impiæ necis quam Domino nostro intulerant, sed ob seditiones, & rebellionem quam fecerāt aduersus Romanos Adhæc, isti Auctores non pauca verba Scripturæ huius loci satis incongruè ac durè interpretantur, vt ea quoquo 1

Confutatio supradictæ interpretationis.

quo modo, etiam violente detorqueant & trahant ad istam suam interpretationem & sententiam; & hoc manifestum erit Lectori suprà expositam eorum interpretationem consideranti & pensitanti.

VIGESIMASEXTA Disputatio.

Enarratur atque confutatur secunda Interpretatio huius loci quæ est Aureoli & Lyrani, & tertia Interpretatio quæ est Arethæ.

2 Interpretatio. Aureolus & Lyranus.

101 QVÆ narrantur in Apertione huius sexti Sigilli, ea Petrus Aureolus & Lyranus referunt ad decimam & vltimam persecutionem Christianorum factam sub Imperatoribus Romanorum Diocletiano & Maximiano, superiorum omnium atrocissimam; per quam vbique terrarum Christiani quærebantur ad necem, euertebantur Ecclesiæ, libri sacri comburebantur, & intra triginta dies, centum septuaginta millia hominum promiscui sexus neci data sunt, præmissis tamen exquisitissimis cruciatibus. Quin etiam Marcellinus Papa immanitate tormẽtorum deterritus thus accendit Idolis, sed mox tamẽ perquam pœnitens, vltrò sese ad mortem pro Christi fide obtulit: Hæc itaque persecutio figurata est hoc loco per apertionem sexti Sigilli.

102 Tunc sanè magnus terræ motus factus est propter euersiones Ecclesiarum & proscriptiones innocentium, innumerasque cædes hominum: tunc Sol, id est, Christus, factus est niger, id est, fuit in odio & in opprobrio hominum infidelium: tunc Luna, id est Ecclesia, ob tantam vbique terrarum cædem Christianorum, facta est tota sicut sanguis: tunc stellæ ceciderunt de cœlo, quia complures qui vel doctrina, vel existimatione Sanctitatis lucebant inter Christianos, aut metu, aut impatientia tormentorum, deserta Christi fide lapsi sunt in Idololatriam. Et sicut ficus perdit grossos suos, cum à vento magno agitatur; ita Ecclesia violentissimo illo persecutionis vento multos fidelium perdidit. Cœlum recessit sicut liber inuolutus, quia libri sacri comburebantur passim, quotquot, & vbicumque inueniebantur: & quia prædicatio verbi Dei, & ministeria cultus diuini, nonnisi abditis & occultis in locis fieri poterant. *Omnis mons & insula de locis suis mota sunt,* quia Ecclesiæ Christi, & congregationes fidelium, vbicumque locorum, siue in arduis montibus, siue in remotis insulis, siue in alijs desertis, abstrusis & inaccessis locis, funditus excidebantur. Et quia de numero fidelium iam tunc erant aliqui Reges, & Principes, & magistratibus perfuncti, & diuites, ac nobiles, hi omnes id temporis abscondebant se in speluncis, si quo modo tantam persecutionis rabiẽ effugere possent. Mirabantur porrò homines iram Dei & Christi aduersus fideles suos, quòd eos tam sæua ac diuturna persecutione vexari & afflictari pateretur.

Illud denique, *dicunt montibus & petris, Cadite super nos,* ita licet interpretari, vt per montes & petras intelligantur Sancti, qui iam tunc erant in cœlis; montes videlicet ritè nominati, propter cœlestis eorũ in bono gloriæ sublimitatẽ; petræ verò, propter cõfirmationẽ eorum 103

rum in bono, & soliditatem, ac firmitatem; æternæ ipsorum felicitatis. Horum Sanctorum patrocinium, & auxilium implorabant fideles in illa crudeli persecutione positi dicentes, *Cadite super nos*, id est, Protegite & iuuate nos orationibus vestris apud Deum, vt ipse cessare faciat persecutionis suorũ fidelium atrocitatem, cuncta illis nocitura repellens, & quæ illis erant profutura concedens.

Refutatio Interpretationis Aureoli & Lyrani.

104 Et huius quidem sexti Sigilli apertionem ita vt dixi, Aureolus & Lyranus interpretati sunt. Sed contra istam eorum interpretationem idem hoc loco dicendum est, quod supra diximus contra interpretationem superiorum Sigillorum ab istis traditam: Censent enim isti, decem illas persecutiones Christianorum à Romanis Imperatoribus factas, per diuersa Sigilla esse præfiguratas; Exempli gratia, in apertione secundi Sigilli præfiguratam esse primam persecutionem: in apertione tertij Sigilli, secundam persecutionem; in apertione quarti Sigilli, tertiam persecutionem; in apertione quinti Sigilli, sex deinde subsequentes persecutiones; denique, in apertione sexti Sigilli præfiguratam esse decimam & vltimam persecutionem Christianorum sub Maximiano & Diocletiano Etenim, nos supra in explanatione Apertionis secundi Sigilli ostendimus, omnes illas decem persecutiones in Apertione vnius Sigilli, videlicet secundi, esse præfiguratas per vnum illum equum rufum; per alia verò Sigilla esse præsignatas insignes quasdam alias futuras Ecclesiæ Christi, ac populi Christiani persecutiones, vt Hæreticorum & Saracenorum, siue Maometanorum. Est præterea sanè quàm incongrua, & dura, minimeque probabilis, quam isti tradunt, interpretatio illorum verborum, *Dicunt montibus, cadite super nos.* Aiunt enim Christianos in illa Diocletiani persecutione vehementer afflictatos, ac vexatos, istis verbis implorare patrocinium & auxilium Sanctorum qui erant in cœlis, quos nomine montium & petrarum significant; & orare & eos vt cadant super ipses, id est, vt suis apud Deũ orationibus protegant ipsos, & à tot tantisque malis liberent, in quibus tunc versabantur. Sed profectò, illud, *Cadite super nos*, interpretari, Protegite & defendite nos, nimis aspera est interpretatio, continens locutionem valde nouam & in diuinis litteris insolentem.

3. Interpretatio, Arethæ.

Tertia Interpretatio Apertionis sexti Sigilli, est Arethæ: is autem portenta calamitatum & miseriarum quæ narrantur hoc loco, interpretatur de prodigijs & miraculis in passione & morte Christi Domini factis. Et sane quædam eorum quæ hic commemorantur, vt de terræ motu, & de nigrore Solis, & Lunæ sanguinolento colore, persimilia sunt illis. Arethæ verba sunt huiusmodi: Sexti Sigilli solutio non est aliud nisi crux & mors Domini nostri, vnde secuta est cunctis optanda resurrectio. Per terræmotum magnum, & nigrorem Solis, & Lunæ cruorem, manifestè nobis hæc Visio describit signa in passione & morte Christi facta, motum scilicet & conquassationem terræ, & Solis tenebras, & Lunæ totius mutationem in sanguinem. Signatè vero, accurateque dictum est, quod tota Luna facta sit sicut sanguis; cùm enim in morte Domini esset decimaquinta Luna, & in plenilunio, & ex diametro distaret à Sole, quo modo fieri potuit vt Solem, repentino suo ad eum aduentu obscuraret, & in medio die constituta, talis appareret? Vnde etiam Dionysius Areopagita id retulit ad diuinum miraculum, non enim id contigit iuxta affectiones in corporibus cælestibus fieri solitas. Hæc Arecha. 105

Matth. 27.

tha.

Refellitur Aretha interpretatio.

tha: Cuius interpretationem illud facit improbabilem, quod hæc B. Ioannis Visio est prophetica præsignans videlicet res futuras, & ignotas; at miracula illa, quæ in passione Domini contigerunt, plus sexaginta annis ante Visionem hanc Beati Ioannis facta fuerant, & erant & notissima omnibus, vt nihil opus esset nouam fieri Visionē & Reuelationem per quam ea notificarentur Ioanni vel Ecclesiæ, cum multo antè ab Euangelistis fuissent literis & memoriæ prodita. Deinde, ad istam Arethæ interpretationem minimè congruit quod hic dicitur, Reges, & Principes, & Tribunos, & diuites, & fortes, & liberos, & seruos abscondisse se in speluncis & petris montium, & dixisse montibus, *Cadite super nos*, & collibus, *Operite nos*. illud enim factum esse in passione Domini nusquam legitur.

VIGESIMASEPTIMA Disputatio.

Explicatur quarta Interpretatio apertionis sexti Sigilli quæ plurimorum est Auctorum, & videtur superioribus Interpretationibus esse præferenda.

106 QVARTA Interpretatio Apertionis sexti Sigilli multo sane quam tres superiores probabilior, est Victorini, Ticonij, Primasij, Andreæ, Bedæ, Haymonis, Ioachimi, aliorumque complurium. Isti censent prodigia & calamitates præsignatas in Apertione sexti Sigilli, pertinere ad nouissimi temporis persecutionē Christianorum proximè Antichristi aduentum futuram, aliarum omnium vt postremam, sic atrocissimam; erit enim tunc, sicut dixit Dominus in Euangelio, & Daniel prædixerat Capite XII. talis & tanta tribulatio, qualis & quanta nec fuit ab exordio Mundi vsque adhuc, nec postea est futura vsque ad illud tempus. Propterea verò mala nouissimorum temporum prænuntiata sunt; vt fideles dudum ante de illis malis præmoniti, tunc ingruentibus illis, animum minimè despondeant: mala quippe prævisa & præmeditata minus grauia & molesta esse solent; præsertim vero si breuia sint futura, & in amplissima & perpetua bona sint commutanda. Indicat præterea etiam sexti Sigilli apertio, supremam Impiorum vindictam, & Dei atque Agni aduersus ipsos iustissimam & implacabilem iram in consummatione Mundi cunctis manifestandam.

4. Interpretatio quæ est Victorini, Ticonij, Primasij, Andreæ, Bedæ, Haymonis, & Ioachimi.

Matth. 24.

107 Secundum hanc igitur sexti Sigilli explanationem quemadmodum verba Scripturæ huius loci sint intelligenda, & ad istam Interpretationem accommodanda, cognoscet Lector ex luculenta expositione huius loci, quæ est apud Cæsariensem Andream, quam ille his fermè verbis tradit: Etsi nō desunt qui omnia quæ in Apertione sexti Sigilli ostenta sunt B. Ioanni, ad Hierosolymorum obsidionē & euersionem, quæ à Tito facta est pertinere putent, eoque referant singula quæ hic dicuntur, ea per tropum exponentes, nobis tamen probabilius fit, ab aliarum persecutionum tempore transitum hoc loco fieri ad tempus aduentus Antichristi, in quo clades & persecutiones, de quibus hic sermo est, incident. Ista porrò mala quanta nūquā antea visa vel audita sunt, eo fine prædicta videntur, vt minus tūc ingruentia perturbent, & lædant, si multo antè prævisa & præmeditata sint

Andreas.

Quid Terræ motus.
Aggæi c. 2.
Ad Heb. 12.
Psal. 67.
Quid nigror solis et cruor lunæ & Hillarii cēsur.

Per terræmotum sacræ Litteræ significare solent rerum mutationē sicut Dominus dixit, *Adhuc semel, & ego mouebo terram*: quę verba Paulus ad rerum mobilium translationem refert. Hebræorum quoque profectio ex Ægypto vocatur terræ motus. *Terra*, inquit Dauid, *mota est, etenim cœli distillauerunt.* Nigrorem Solis, & Lunæ cruorem Beatus Cyrillus interpretatus est obscuritatem mentis, & cœcitatem cordis eorum, quos Dominus ad iudicium aduenies, in ira sua comprehendet. Stellarum casus denotat eos qui Mundi luminaria putabantur, suppliciorum terrore fractos victósque, à fide in perfidiam defecturos: Stellarum etiam cadentium similitudine vsus est Daniel Capite octauo: & Dominus hoc ipsum apertis verbis nos docens, præmonuit tantam id temporis fore omnium afflictionem, vt inducantur in errorem (si fieri potest) etiam Electi: Et fortasse hoc ipsum quoque significat similitudo ficus, quæ fructus suos imperfectos, vento aliquo vehementius exagitata, in terram deijcere solet: tales nimirum sunt, qui tentationum igne nec dum satis excocti neque caritatis ardore ad dulcedinem perducti, facilè grauium tētationū quasi ventis diuexati, gratia & fide Christi excidunt. Vocabulū porrò ficus & in bonā & in malam partem vsurpare solent sacræ Litteræ, & vtrāque vsurpationē simul vno in loco videre licet apud Ieremiam, Cap. 24. vbi loquitur de duobus bonarū, & malarū ficuum calathis: Separatim autē in malam partem accipitur ficus quā maledictione sua Christus damnauit; in bonā autem partem, huius fit mentio in Canticis, *Ficus protulit grossos suos.*

Matth. 24.
Locus Ierem. 24.
Matth. 21.
Cant. 2.
Quid recessus cœli tāquam libri inuolutio

108 Cœlum verò instar libri conuolutum recedere, vel indicat, incertum fore secundū Christi aduentū liber quippe subitò & absque vllo strepitu aperitur: vel significat, virtutes cœlestes, dum eos qui fide Christi excidunt, ex commiseratione lugent, molestam quandam velut ægritudinem animi præ se laturas: Illud præterea insinuatur, non omninò cœlum esse interiturum, vt secundùm substantiam aboleatur, sed tantùm velut quandam inuolutionem subeundo, in meliorē statum esse commutandum, sicut etiam tradit Irenæus in libro V. Reprehensionū falsi nominis sciētiæ, idipsum vetustiorum etiam Auctorum probans assertione. Nec illud non est hoc loco indicandum Lectori, Beatum Ioannē suam hoc loco orationem antiquæ Hebræorum consuetudini accommodasse: Hebręi namque loco librorū quorū apud nos est vsus, inuolutis quibusdā chartis vtebantur, quam euolutio & explicatio non afferebat illis chartis interitū, sed rerum quæ in illis continebantur manifestationem. Similiter in illo die Iudicij, cœlestis corporis explicatio significat bonorum quæ Sanctis in cœlo rēposita sunt, manifestationē. Quid igitur, cœlum tanquam librum inuolutum recedere significet, secundùm quatuor supradictas expositiones, ostensum est.

B. Irenæus Martyr.
Vetus consuetudo Hebræorū in scribendo libros.
Quid sit montes & insulas, locis suis esse motas.

Quod autē hic dicitur de montibus & insulis loco suo motis, intelligere licet ex ijs quę Dominus Apostolis ipsum interrogantibus de Ierosolymorum euersione, sæculiq; consummatione pro captu eorum prædixit futura: quorū multa in Vespasiani obsidione contigerunt Iudęis, vt refert Iosephus: sub Mundi tamen finem, & Antichristi aduentum multò plura sęuioraque mala, totum, vt ita dicam, orbem terrarum opprimet. Tunc enim tam mundana potentia, vel Ecclesiastica dignitate ceteris præcellentes, ob idque montes appellati: quā fidelium Ecclesię per metaphoram hoc loco insulæ nominatę, vt itidē nominantur ab Isaia, sedes suas deserent, deque loco ad locū, propter 190

Anti-

Antichristi persecutionis immanitatem subinde sese transferent. Reges terræ hic appellantur, quorum studiũ, et dominium circà terrã prę cipuè occupatur, nihil habens cum cœlo commune; quod illis conuenit cum cœteris hominibus terrenis, cuiuscumque fuerint conditionis. Hi omnes sub speluncis & mõtibus abdi cupient potiùs quã irã Agni, & flagella experiri quæ in Antichristi aduentu, iusso Dei permissu, ex fame bello, peste, alijsque plagis orta, instar densissimi & concitatissimi imbris, miseros illos obruent. Aut certè tanto illi terrore cõcutiẽtur propter præparata ipsis supplicia Inferni nullũ habitura finẽ, sceleribus eorũ merita, debitãque, & irreuocabili Iudicis sẽtẽtia ipsis cõstituta. Hactenus Interpretationẽ huius loci Apocalypsis ab Andrea traditam distinctè, ac dilucidè retulimus.

Interpretatio huius loci secundũ Primasiũ & Bedam & alios.

110 Primasius etiam & Beda, à quibus nec Haymo, nec Ioachimus, nec plures alij discrepant, Apertionẽ huius sexti Sigilli de Antichristi persecutione, nouissimãque Mũdi tribulatione intelligentes, verba Scripturę huius sic fermè interpretantur. Sexto Sigillo aperto, nouissima Mundi persecutio denuntiatur: & sicut Domino in sexta feria crucifixo contigit Mundum tenebris horrescere & pauore concuti, ita & tunc fiet. Sol nigrescet, id est, Christi vel operta potentia, vel doctrina ad tempus obscurata, vel à defẽsione erit velata, cũ ministri Antichristi in seruos Christi grassari sinentur. Tunc Luna tota fiet quasi sanguis, id est, Ecclesia solito ampliùs sanguinẽ pro Christo fundet, nõ vno, vel paucis in locis tantùm, sed totum fermè per orbẽ terrarum. Qui autem instar stellarum in speciem fulgebunt in Ecclesia, vento nouissimę illius persecutionis impulsi, terreni fuisse probabũtur: quorũ opera congruè grossis, immaturis, videlicet & inutilibus fici fructibus comparãtur. Et sicut liber inuolutus, mysteria quidem intus, sed foris non apparentia cõtinet; ita tunc Ecclesia suis tantùm cognita, persecutiones discretè vitans recedet, vt ab extraneis, abdita non videatur.

Solis nigredo.

Luna sanguinolẽtia.

Stella cadẽtes.

Cœlum sicut liber inuolutus.

111 Diuersa porro, pro diuersitate officiorum aut virium, memorans Ecclesię mẽbra in montibus & insulis, & in regibus, & Principibus, alijsque, indicat nullum ab illo turbine persecutionis fore alienũ: sed modus tamen non erit per similis; in bonis nimirum fugiendo pręcauens, in malis verò cedẽs obsequẽdo. Cumque tunc infirmiores pręcellentium in Ecclesia virorum roborari exemplis, consilijs muniri, protegi meritis, precibus obumbrari se quęrent, quasi ipsos super se montes per affectum compassionis cadere precantur, sicut in Psalmo scriptum est, *Montes excelsi ceruis, & petra refugium herinacijs*. Cupiunt autem abscondi à facie sedẽtis super thronum, & ab ira Agni, vt eos scilicet, non reprobos sed in fide in fide stabiles, & bonis ornatos operibus vẽturis inueniat Iudex, ipsorum peccatis, intercessu Sãctorum & Dei miseratione opertis. Quod si terrę motum magnum (de quo dicitur hoc loco) referamus, secundùm litteram, ad diem Iudicij, non est mirum, si Reges, & Principes terreni eo tempore pauidi & perterriti, Sanctorum, velut montium refugia quęrant: quemadmodum in Diuite purpurato, & in paupere Lazaro factum esse legimus in Euangelio. Et quarta quidem Interpretatio huius loci Apocalypsis, quę plurimorum est Doctorum, ita se habet.

†

Quid sit illud montes cadite super nos.

Psalm. 103

Luc. 16.

VIGESIMAOCTAVA Disputatio.

Declaratur Auctoris super Apertione sexti Sigilli sententia.

112 Mihi fit admodum verisimile, ne dicã certum, quæ hoc loco de Apertione sexti Sigilli a Beato Ioanne scripta sunt, ea pertinere ad vltimam Ecclesiæ sub Antichristo persecutionem, & ad nouissimam hominum tribulationem proxime ante secũdum Christi aduentum & consummationem Mundi, futuram. Hoc autem dupliciter, etiam cuiuis minime contumaci, neque contentioso facilè persuaderi poterit. In tractatu enim superiorum Disputationũ, in quibus de admirabili hac Visione libri septem Sigillis signati, & de Apertione priorum quinque Sigillorum disseruimus, non semel dictum est principale Dei consilium in tradendo huiusmodi Visionem, fuisse, per illum librum, & per Apertionem Sigillorũ eius præmonstrare ac prænunciare Ioanni, & per eum Ecclesiæ suæ varias insignesq; admodum Ecclesiæ, ac populi sui persecutiones ac tribulationes diuersis in temporibus futuras vsque in finem Mũdi. Inter persecutiones autem, & tribulationes Ecclesiæ, & populi Dei, omnium maxima erit sub Antichristo, & sub finem Mũdi, vt Dominus ipse nos docuit in Euangelio. Nullo itaque modo est putandũ eam fuisse prætermissam in hac Visione septem Sigillorum. Cùm itaque priores tribulationes & persecutiones præsignatæ fuerint in apertione priorum Sigillorum, ratio ipsa, & series, & consequẽtia Visionis exigit, vt nouissimi tẽporis persecutio præsignificata fuerit in apertione sexti Sigilli. Nam quæ de Apertione sexti Sigilli scripsit Ioannes hoc loco, aperte ostẽdunt maximã quãdam tribulationem & horribiliorem omnibus supra ostensis tribulationibus in Apertione priorum Sigillorum.

Deinde, quæ dicuntur hoc loco esse ostensa Beato Ioãni in apertione sexti Sigilli, ea simillima, sed verius dixerim, prorsus eadẽ sunt illis, quæ de maxima hominũ tribulatione in nouissimis Mundi temporibus futura Dominum prædixisse referunt Matthæus & Lucas. 113
Apud Lucam Dominus dixit, *Erũt terræmotus magni per loca.* hoc ipsum dicens Ioannes in hoc loco, *Ecce terræmotus magnus factus est.* Apud Lucam ait, *Erunt signa in Sole, & Luna.* Signa dixit, id est, prodigia & portenta mortalibus tristissima, maximeque horrẽda, quæ, qualia essent futura, apertius retulit Matthæus dicens; *Sol obscurabitur, & Luna nõ dabit lumen suũ, & stellæ cadent de cælo.* Sed hoc ipsum expressius etiã Ioannes declarauit hoc loco, *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur.* Quod autẽ subdit Ioannes *Cælũ recessit quasi liber inuoluens,* fortasse illud ipsũ est quod Dominus dixerat, *Et virtutes cælorum commouebuntur.* Apud Ioannẽ homines præ afflictione tũc præsentiũ malorũ metuq; futurorum abscondunt se in speluncis, & petris montium, quorũ super ipsos casu & ruina opprimi se cupiũt; huius rei causã indicat Lucas dicẽs, *Et in terris pressura gentium præ cõfusione sonitus maris & fluctuum, arescẽtibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Apud Ioannem homines dicunt montibus & petris, *Cadite super nos, & abscondite nos ab ira Agni, quoniam aduenit dies magnus iræ eorũ.* Cur autem isti hæc dicturi sint, indicauit Dominus apud Matthæum

Matth. 24.
Luca 21.

thrum dicens, *Tūc apparebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna, & maiestate: & mittet Angelos suos cum tuba et voce magna.* Denique apud Ioannem homines illi dicunt, *Et quis poterit stare*, in illo scilicet die iræ Agni. Sed apud Lucam Dominus docuit nos, quemadmodum possimus tunc stare, dicens, *Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quę ventura sunt, & stare ante Filium hominis.* Maneat igitur, sitque persuasum Lectori, quæ in hoc loco de Apertione sexti Sigilli dicuntur, ea spectare ad vltimam Ecclesiæ sub Antichristo persecutionem, & nouissimam hominum tribulationem proximè futuram ante secundum Domini aduentū, & consummationem sæculi.

114 Sed illud perarduam habet in hoc loco quæstionem, quemadmodum ista prodigia in Sole, & Luna & stellis tunc futura intelligere oporteat. Nam de intellectu eorum quatuor sunt Doctorum sententiæ: Prima est, ista non simpliciter, & reuera, sed per comparationem quandam tantùm intelligi debere. Secunda, esse accipienda non secundum litteralem sensum sed secundum allegoricum & mysticum. Tertia, esse accipienda tanquàm figurate, & per hyperbolem dicta. Quarta denique, esse accipiēda omnino secundum sensum litteralem, & vt ipsa verba sonant. Has quatuor istorum prodigiorū Interpretationes, & Doctorum sententias, in tribus proximè sequentibus Disputationibus enarrare atque examinare visum nobis est.

VIGESIMANONA Disputatio.

Exponitur, & perpenditur prima Interpretatio ex quatuor proximè commemoratis, eorum prodigiorum quæ sub finem Mundi in cęlo futura esse dicuntur.

PRIMA Interpretatio est duorum illustrium Ecclesię Doctorum, Chrysostomi & Hieronymi, 115 qui de cœlestibus istis prodigijs duo tradunt: Aiunt enim, ea non præcessura esse secūdū Domini aduētū, sed futura eo ipso tēpore quo Dominus ad iudicādum de cœlo veniet cum inenarrabili maiestatis claritate. Deinde arbitrantur, Solem & Lunam dici a Domino tunc obscuratum iri, non diminutione sui luminis, sed quia præ nimia luce & splendore aduenientis Domini quasi obscurata, non apparebunt oculis mortaliū; quemadmodū in die, quia ob multo maiorē lucē Solis stellæ nō apparent, dicunt vulgò stellæ obscurari a Sole. Ergo per obscurationē Solis & Lunæ, secūdū istos Doctores, nō aliud significat nisi exuperantia lucis & claritatis q̄ feret secū Dominus adiudicandū veniēs in cuius p̄sentia, cęli & astrorū lux non apparebit, & quasi offuscata videbitur.

Chrysostomi super hac re verba ex homilia 77. in Matthęū hæc sūt: *S. Chrysostom.* *Sol tunc obtenebrabitur*, non quia destruetur, sed quia à Luce aduentus Christi superabitur; *Et virtutes cœlorum commouebuntur*, id est cęlestes Spiritus cōmouebuntur, cum tantam rerum fieri mutationem prospicient: Nam si quādo facta sunt

astra, adeò miraculum illud exhorruerunt, vt de eo dictum sit, *Quando factę sunt Stellę, me omnes Angeli mei laudauerunt:* multò magis tunc mirabuntur, cum videbunt vniuersa commutari, & omnes homines Dei tribunali assistere, & à cunctis exactam omnis eorum vitæ rationem exigi: Tunc Crux Christi Sole fulgentior videbitur, obscurabitur enim Sol, Crux autē apparebit, quod fieri non posset, nisi radios Solis splendor Crucis superaret. Hæc Chrysostomus, quem sequuntur Euthymius & Theophylactus. Ad eandem quoque sententiam B. Hieronymus in XXIIII. Caput Matthæi illam Solis & Lunæ futuram obscurationem interpretatur ita scribens: Sol & Luna obscurabuntur, non diminutione luminis, cum apud Isaiam scriptum sit, tunc lucem Solis futuram septuplo maiorem quam nunc est; & lucem Lunæ tantam fore tunc, quantā nunc est lux Solis; sed quia ad comparationem veræ Lucis aduenientis Domini omnia visui tenebrosa apparebūt. Si itaque Sol qui nunc per totum Orbem rutilat, & luna quæ secūdum est luminare, & stellæ omnes quæ in solatium noctis accensæ sunt; si omnes etiam cœlorum virtutes, quas Angelorum multitudines intelligimus, commouebuntur in aduentu Christi, & quasi in tenebras reputabuntur; decutiatur supercilium eorum qui se sanctos arbitrantes, præsentiam venturi Iudicis non formidant. Sic B. Hieronymus: neque Hilarij super illo Matthæi loco de obscuratione Solis & Lunæ diuersa est sententia.

Iob 38. *S. Hierony.* *Esai 30.* *S. Hilarius*

116 Sed hæc Interpretatio dupliciter refelli potest. Prodigia enim illa cœlestia non in ipso tempore aduentus Domini futura, sed præcessura aduentum eius, satis indicauit Lucas scribens, homines eius temporis visis prodigijs illis in cęlo, & audito fremitis maris horrifico sonitu, fore vt arescant præ timore & expectatione ingentiū malorum quæ præuident superuētura esse vniuerso Mundo. Cum igitur apparebunt illa prodigia in cęlo, nondum erit Christi aduentus, necdum aderunt extrema Mūdi mala. Non itaque obscuratio illa Solis fiet ob præsentem claritatē aduenientis Christi. Hoc etiam indicat illud Ioelis de istiusmodi prodigijs vaticinium, ad quod videtur spectasse & Dominus in Euangelio, & Ioannes hoc loco: *Sol,* inquit, *conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Beda sane, animaduertens, opinor, hanc nostram obiectionem, & nihilominus tueri volens supradictam interpretationem Hieronymi & Chrysostomi, ait, Matthæum & Lucam de diuersis prodigijs cœlestibus locutos esse, nam quod dixit Matthæus, *Sol obscurabitur*, id fiet eo ipso tempore quo Dominus adueniet; quod aūt dixit Lucas, *Erunt signa in Sole & Luna;* id eueniet ante Domini aduentum, eritque tanquam prænuncium aduentus eius. Sed hoc responsum haudquaquā probabile est; nimio enim apertius est quam vt negari queat, vtrūque Euangelistam de ijsdem prodigijs in cœlo futuris loqui.

Refutatio prima interpretationis Luca 21. *Ioelis ca. 2.* *Beda.*

117 Deinde, supradicti Doctores putant, dici, tunc Solem & Lunam obscuratum iri, non per amissionē vel diminutionem suæ lucis, sed quia ob ingentem claritatem aduenientis Christi, eorū lux non apparebit mortalibus, ob idque iudicabuntur ab illis obscurata, & luce sua priuata. Etenim, multo plus significare voluit Dominus, quam quod isti dicunt: ista enim prædixit Dominus futura tanquam maxima prodigia, & quæ maximum hominib. id tēporis pauorem horroremque allatura sint: at minorē lucem non apparere in præsentia ma-

maioris lucis, non est inuisitatum, nec prodigiosum, nec horrificum hominibus; sed est vsitatissimum, & quotidianum, & naturale; videmus enim quotidie, prto Sole, abscondi nobis lucem stellarum. Præterea, Dominus manifestè distinguit casum stellarum de cælo ab obscuratione Solis & Lunæ, aliud enim est, Solem obscurari, & Lunam non dare lumen suum, & aliud est, stellas de cælo cadere; Secundum autem istorum Doctorũ interpretationẽ per ista tria prorsus idem significatur, nimirum quod lux Solis & Lunæ ac stellarum tunc non apparebit in præsentia Lucis Christi. Nec sane, istorum interpretatio commodè aptari potest ad verba Beati Ioannis hoc loco aientis, fore tunc vt Sol nigrescat tanquam saccus cilicinus, quod profectò multo plus est quam lucem eius non apparere mortalibus: Ait etiam, quod tunc Luna fiet tota sanguinoleta, quod etiam mulo plus est quam lucem Lunæ non videri ab hominibus.

TRIGESIMA Disputatio.

Excutitur secunda Interpretatio quæ est multorum, existimantium, ista prodigia cælestia non esse accipienda propriè, sed mysticè intelligenda esse.

118 EST plurimorum sententia, illa prodigia Solis, & Lunæ, & stellarum sub finẽ Mundi futura, quæ Dominus in Euangelio prædixit, & in Apertione sexti Sigilli ostensa sunt Beato Ioanni, non esse intelligenda secũdum sensum litteralem quem verba ipsa præseferunt, tanquam futura sint corporalia & sensibilia; sed esse accipienda secundum mysticũ & allegoricum sensum, & interpretanda esse de Ecclesia & fidelibus. Et hac quidem ratione interpretatos esse istiusmodi prodigia Victorinum, Ticonium, Primasiu, Andream, Bedam, Haymonem, compluresque alios, supra ostendimus in Disputatione XXVII. vbi mysticas eorum prodigiorum significationes & interpretationes ab istis Auctoribus traditas retulimus: ex quo loco licet cognoscere quisnam singulorum istorum prodigiorum sit mysticus sensus & intellectus.

Victorinus, Ticonius, Primasius, Andreas, Beda. Haymo.

Beatus certè Augustinus in Epistola LXXX. quam scripsit ad Hesychium, quæ in Euangelio prædicta sunt à Domino de obscuratione Solis & Lunæ, de casu stellarũ, & de commotione Virtutum cælestium, ea putat intelligi debere complenda in Ecclesia Christi per atrocissimam persecutionem ab Antichristo excitandam. Per Solem igitur & Lunam mysticè intelligenda est Ecclesia, de qua videlicet dicitur in Canticis, *Pulchra vt Luna, electa vt Sol*: vt per obscurationem Solis & Lunæ significetur, Ecclesiam sic tunc obscuratum iri vt non sit apparitura, impijs eius persecutoribus vltra modum in eam sæuientibus. Stellæ cadentes, & virtutes cælorum commotæ significant multos fidelium qui stellarum instar fulgere gratia videbãtur in Ecclesia, illi persecutioni cessuros, atque casuros, alios item qui tanquam firmissimæ columnæ erant, commotum & tremefactum iri. Ad hanc interpretationem & sententiam Beatus Augustinus ea maximè adductus est ratione, quod istiusmodi prodigia Solis, & Lunæ, & stellarum, si corporalia & sensibilia intelligantur, sæpius & ante primum Christi aduẽtum, & postea vsque ad hæc nostra tempora contigerunt. Talia igitur prodigia 119

Interpretatio B. Aug.

Cant 6.

gia toties antè facta & visa, non possent esse proprium, & certū,& indubitabile signū aduentus Christi ad iudicium: & cū nō essent noua nec inusitata, aut nullum, aut certè non magnum pauorem & terrorem mortalibus afferrent. Augustini verba ex ea quam dixi epistola sunt huiusmodi: Hæc, inquit prodigia in Ecclesia melius existimo intelligi: ne Dominus, appropinquante secundo aduentu suo, ea pro magno prædixisse videatur, quæ huic Mundo & ante primum eius aduentū cōsueuerāt euenire, & irrideamur ab eis qui hæc, quæ velut nouissima, & omniū maxima pertimescimus & horrescimus, in historijs Gentium & sæpius, & multo maiora contigisse legerunt. Sic ille.

Discutitur supradicta interpretatio.

120 Sed profectò ista prodigia intelligi debere corporaliter & visibiliter in ipso Sole, & Luna, & stellis, & non solum mysticè in Eclesia & fidelibus, probari hunc in modum potest. Qui quærunt in explanatione sacræ Scripturæ germanum, & proprium, & litteralē eius sensum, eos oportet ante omnia spectare ac sequi propriam & vulgarem significationem verborum, quibus vtitur Scriptura: ex propria enim significatione verborū elicitur verus & proprius sensus litteralis, alioquin nullum habere proprium & certum litteralē sensum possemus: Si enim a propria significatione vocabulorum discedimus, & sequimur mysticas eorum significationes atque intelligentias, in multos admodū, variosque sensus mysticos qui ex eisdē Scripturæ verbis mysticè interpretatis excudi, & effingi possunt, incidemus. Sēper itaq; indagantib. propriū & litteralē sensū spectāda est propria significatio verborū: nisi fortè ex verbis propriè sumptis aliquid sequeretur absurdi, repugnās videlicet aut veritati, aut pietati, aut honestati; tunc enim ratio ipsa cogit nos sentire, verba illa nō propriè, sed figuratè dicta esse. Cū igitur ex eo q̄ ista prodigia in Sole, & Luna, & stellis sub finē Mūdi futura sint corporaliter & visibiliter nihil sequatur absurdū, nihil repugnans veritati aut pietati, arbitrari profectò conuenit, talia ea futura qualia significantur verbis propriè acceptis quib. ea p̄dixit Dominus.

Valdè obseruādum Tractatori Sacrarum litterarum documentum.

Nec sanè, operosū fuerit diluere quod cōtra hoc obiecit B. Augu. Ait enim, ista prodigia corporaliter & visibiliter sæpius antea esse facta & visa, & ideò talia non essent propriū, & certū, & indubitatum signū secundi aduentus Domini. Ad hoc enim responderi potest, ista prodigia sub finem Mundi futura, multò maiora, & insigniora, & terribiliora futura, quā vllo tēpore antea euenerint, ita vt talia & tāta nūq̄ antea fuerint facta, & visa. Et verò, si obiectio ista esset valida, nihilominus vrgeret ac premeret interpretationem B. Augu. Maxima enim persecutio & tribulatio Ecclesiæ, & perturbatio fideliū q̄ sub fine Mūdi futura dicit, sæpius ēt in superiorib. tēporib. facta est, cū alias, tū maximè in illis decē persecutionib. Ecclesiæ ac fideliūq; a Paganis Imperatorib. Romanorū factæ sunt. Sed q̄a nulla fuit talis & tāta, qualis futura est sub finē Mūdi, idcirco hęc erit certū signū secundi aduētus Domini. Quod igit de tribulatione Ecclesię & fideliū diximus, & proculdubio dicturus esset Beatus Augustinus, idem ipsum de illis in cœlo prodigijs tunc corporaliter & visibiliter futuris dicendum est. 121

Deinde, B. Augustinus q̄ dixit 122 Dominus de obscuratione Solis & Lunæ, & de casu stellarū, & de cōmotione virtutū cœlorū, putat nō esse accipiendū propriè, vt verba sonant, sed esse interpretandum mysticè de Ecclesia quæ est tanquam Sol & Luna, & tunc obscurabitur, id est, ob maximam persecu-

secutionem & tribulationem abscondet & occultabit se; multique instar stellarum in populo Dei fulgentes, cedent persecutioni, & ex Christi gratia & fide cadent in infidelitatem. Etenim, Matthæus & Lucas prodigia illa Solis, & Lunæ, & stellarum, & persecutionem Ecclesiæ & fidelium, tanquam duas res inter sed diuersas, quarum altera in cœlo, & altera in terris futura sit, distinctè narrant. Matthæus enim de maxima tribulatione & perturbatione in Ecclesia & fidelibus tūc futura hæc scribit; *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & odio eritis omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi: & multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio Mundi vsque modò, neque fiet Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro Surgent etiam tunc pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi.* Ecce, Matthæus ita descripsit maximam illam persecutionem, & tribulationem, & perturbationem, de qua loquitur Augustinus, in Ecclesia & fidelibus sub finem Mūdi futuram. Sed præter hanc, esse futura prodigia in Sole, & Luna, & stellis, manifeste declarat subiungens hæc verba: *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.* Ex quibus verbis liquidò apparet, præter maximam illam tribulationem Ecclesiæ, & fidelium tunc futuram, etiam in cœlo futura prodigia Solis, & Lunæ, & stellarum. Idem quoque ostendunt verba Lucæ ita scribentis, *Et erunt signa in Sole, & Luna, & stellis; & in terris pressura gentium.* Distinctè igitur narrat & quæ in cœlo futura sunt, & quæ in terris. Immo commotionem & mutationem tunc futuram in cœlis, indicat præcipuam fore causam maximi pauoris & terroris hominum in terris, qui prodigia illa cœlestia putabunt esse signum ingentium malorum imminentium quæ ipsis superuentura sunt; Sic enim ait Lucas, *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cœlorum commouebuntur.* Cōmotio itaque & turbatio in cœlis tunc futura, ingentis hominum timoris & terroris causa erit. Non igitur videtur negari posse, quæ dicuntur de obscuratione Solis & Lunæ, & casu stellarum, ea visibiliter, &, vt verba sonant, in istis astris esse futura.

Luc. 21.

TRIGESIMA PRIMA Disputatio.

Examinatur tertia Interpretatio istorum prodigiorum cœlestium, quæ est quorundam existimantium, ista prodigia non tanquam verè & propriè futura sint, sed tanquam dicta metaphoricè & per hyperbolem, esse intelligenda & interpretanda.

DIonysius Carthusianus, & 123
quidam alij opinantur, quod Beatus Ioannes in hoc loco Apocalypsis dixit fore vt Sol nigrescat tanquam saccus cilicinus, & Luna tota fiat quasi sanguis, & stellæ cadant de cœlo, & cœlum ipsum ceu liber inuolutus recedat, hoc, inquam, non esse accipiendum tanquam propriè dictum, & secundùm eum sensum quem faciunt verba propriè sumpta; sed intelligi oportere tanquam figuratè, ac metaphoricè, & per hyperbolem dictum more videlicet

Dionysius Carthusianus.

Propho-

Prophetarum, quem secutus est Beatus Ioannes in Apocalypsi qui est liber propheticus. Prophetis etenim in more est, quò magnitudinem calamitatis & malorum quę denuntiant hominibus, expressiùs declarent, vehementiùs ea exaggerare, & dicere, luminaria cœli tunc perturbatum, & mutatum iri: Hominibus enim maximo pauore correptis, & in altissimum deiectis & defixis mœrorem, videntur cœlestia sidera quasi non lucere; non enim lucent eis ad solatium, quinimo fugiunt illi & oderunt lucem; & quæ priùs eis iucunda erant, tūc amara sunt, & inuisa, auersantibus illis & abominantibus omnia quibus antea maiorem in modum oblectabantur. Huius propheticæ consuetudinis, & modi loquendi multa sunt apud ipsos Prophetas exempla: Isaias Cap. 13. vaticinando excidium Babylonis, *Ecce*, inquit, *dies Domini veniet, crudelis, & indignationis ac furoris plenus, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli non expandent lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* Et apud Ieremiam Capite quarto, *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihilis & cœlos, & non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt.* Ezechiel quoque Capite 32. maximam Ægypti regi calamitatem venturam prænuntians, *Operiam*, inquit, *cùm extinctus fueris* (Pharaonem alloquitur Regem Ægypti) *cœlos, nigrescere faciam stellas eius. Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus.* Horum similia scribit etiam Ioel Capite 2. *A facie eius*, inquit, *contremuit terra, & moti sunt cœli, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* His verbis Ioel exaggerat hyperbolicè magnitudinem calamitatis & malorum quæ Iudæis ventura erant ab exercitu Chaldæorum.

Mos locutionis Prophetica.

Nec solùm in malis denuntiandis, sed etiam in prædicendis amplissimis bonis quæ futura sunt, istiusmodi locutione hyperbolica vti solent Prophetæ. Cùm enim ingens aliquod gaudium, maximamque prosperitatem, & felicissimam rerum mutationem, quam Spiritu prophetico præcognitam, Dei nomine promittunt hominibus, vehementiùs exaggerare volunt, dicere solent fore tunc vt cœli lætentur & exultent, & solito splendidiùs luceant sidera, & lux Solis ac Lunæ notabiliter augeatur. Ad hunc sensum & intellectum pertinent verba illa quæ sunt apud Esaiam Capite 30. *Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum: in die, qua alligauerit Dominus vulnera populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.* Huc etiam spectat quod Prophetæ solent promittere, tunc fore vt Deus creet nouos cœlos, & nouam terram, & vetera transeant, & noua sint omnia: Quo genere locutionis figuratè significatur felicissimam esse futuram rerum omnium commutationem; vt magnitudine bonorum obruenda sint priora mala, tantamque fore, tamque paratam Dei protectionem, & benignitatem, & largitionem bonorum quæ plenissima manu effundet, vt nulla re indigere videri possint. Hac ratione Deus per Esaiam denuntians futuram sub venturo Messia mysticæ Hierusalem felicitatem, *Non erit*, inquit, *ampliùs tibi Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te; sed erit tibi Deus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam & complebuntur dies luctus tui.* Similiter idem Isaias Capite 34. exaggerans vltionem hostium populi Dei, præcipuè verò Idumæorum,

114

Cap. 60.

rum; quàm facturus erat Deus ad erectionem & consolationem Iudæorum, ita loquitur: *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & defluet sicut folium de vinea aut de ficu.*

125 Hac igitur figurata & hyperbolica locutione perquàm familiari Prophetis, putant isti Auctores huius tertiæ Interpretationis vsum esse Beatum Ioannem hoc loco, cùm dixit fore vt Sol nigrescat tāquam saccus cilicinus, & tota Luna fiat quasi sanguis, & stellæ cadant de cœlo, & ipsum cœlum quasi liber inuolutus recedat; significare videlicet huiusmodi oratione hyperbolica volens, tantam fore tunc multitudinem, & grauitatem calamitatum & malorum quibus obruentur atque opprimentur homines, tantumque pauorem eorum, terroremque, & angustiam, ac dolorem, vt videantur ipsis & astra, & cœli commoueri & perturbari, suoque lumine ac virtute priuati.

Confutatio prædictę opinionis.

126 Sed quòd prodigia illa cœlestia a Prophetis prædicta, cùm maximas calamitates venturas hominibus denuntiabant, non verè contigerint, sicut eorum verbis significabatur, ex eo concludere non licet, etiam prodigia cœlestia quæ Dominus in Euangelio, & Ioannes hoc loco dixerunt sub finem Mundi ventura, non verè ac visibiliter futura; sed quod de illis dicitur, id non propriè, sed figuratè dictum esse. Nam, vt annotauit Iansennius super 123. Capite suæ Concordiæ Euangelicæ, cùm insigniores illæ à Prophetis prædictæ Dei vltiones, quales de Babylonijs, Ægyptijs, Iudæis, alijsque gentibus aliquando sumptæ sunt, tanquam specimen quoddam fuerint supremę atque omnium maximæ vltionis omnium Impiorum, quæ futura est in die Iudicij; mirum videri non debet, si vltiones illæ à Prophetis descriptæ sint per ea prodigia quæ in supremo Iudicij die reuera euentura sunt. Nam etsi talia in illis non euenerint, per ea tamen quæ illis euenerunt, præfigurata sunt: & homines qui calamitates illas à Prophetis prænuntiatas perpessi sunt, non minori pauore, angustia, dolore, animique perturbatione & confusione affecti sunt; quàm si prodigia illa verè facta, & ab eis visa fuissent. Voluit etenim Dominus per illas insignes aliquarum gentium vltiones à Prophetis descriptas admonere nos extremæ vltionis omnium Impiorum in die Iudicij futuræ, in qua verè prodigia illa cœlestia talia euenient, qualia sunt Domini, & Beati Ioannis verbis significata. Quapropter cùm apud Prophetas de insigni vltione alicuius gentis agitur, generalis fit sermo, & transitus quidam fit ab illius vltionis descriptione ad presignificationem vltimæ ac generalis superuenturæ Impijs in die Iudicij vltionis. Hoc autem animaduertere licet apud Esaiam Capite XIII. vbi cùm Propheta prædixisset describturum se onus Babylonis, generaliter tamen loquens, *Ecce*, inquit, *dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque; ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea*; & post hæc subiungit, *Et visitabo super orbis mala, & contra Impios iniquitatem eorum, &c.*

Iansennius.

His præterea nos addimus, 127 quòd illa prodigia cœlestia à Prophetis prædicta, non essent propriè, sicuti verba eorum sonabant, intelligenda, euentus ipse ostendit: In aduentu enim illarum calamitatum quas illi venturas hominibus denuntiabant, prodigia illa in cœlo non sunt facta nec visa ab illis hominibus; quamobrem ratio ipsa cogit nos, sentire ac dicere, quæ de illis prodigijs fuerant prædicta, nō secundùm propriam verborum significationem & sensum, sed tanquam dicta figuratè & per hyperbolem fuisse inteligenda. At verò, prodi-

prodigia quæ in Sole, & Luna, & stellis, secundùm prædictionem Domini, & hanc Visionem Beati Ioannis, sub finem Mundi ventura sunt, ratio ipsa suadet credere, ea verè ac visibiliter, & vt verbis ipsis significatur, esse futura. Nam cùm tunc futura sit consummatio Mundi, omniaque vel interitura sint, vel in alium statum, & in aliam (vt Pauli verbo vtar) figuram commutanda; tunc enim plantæ & animalia sic interitura sunt, vt non sint amplius futura; eleméta verò in aliam dispositionem, & quasi faciem commutabûtur; ipsi etiam cœli & astra motu suo priuabuntur, & influxu virtutum suarum in res sublunares ad earum vel generationem, vel corruptionem: Cùm tanta, inquam, futura sit rerum omnium commutatio, nec incredibile cuiquam, nec mirum videri debet, si prodigia illa cœlestia de quibus Dominus & Beatus Ioannes locuti sunt, verè fiant in cœlo tanquam prænuntia futuræ illius maximæ commutationis rerum omnium, & consummationis Mundi.

1. ad Cor. 7

S. Greger.

128 Huc etiam spectant quæ scribit B. Gregorius in Homilia XXXV. in Euangelia super illis signis consummationis Mundi prædictis a Domino, & descriptis à Beato Luca Capite XXI sic enim ait, Dominus ac redemptor noster perituri Mundi præcurrentia mala denuntiat, vt eo minùs perturbent venientia, quò fuerint præscita: Minùs enim iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabiliùs Mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequentur; & ideo post bella & seditiones non statim finis, quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nuntiare. Quoniam igitur omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur; & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, vt impleatur quod dictum est, *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Sap. 5.

TRIGESIMASECVNDA Disputatio.

Enarratur quarta Interpretatio, quæ prioribus antefertur, secundùm quam prodigia illa cœlestia sub finem Mundi verè futura esse in cœlo & astris ostenditur.

ET pluribus alijs 129 viris doctis placet, mihique perplacet, quæ Dominus de prodigijs illis cœlestibus sub finem Mundi futuris prædixit, & hoc loco scripsit B. Ioannes, ea propriè ita vt significant verba, intelligi oportere, vereque ac visibiliter in cœlo futura. Hoc sanè conficitur, & manifestè concluditur ex confutatione a nobis facta trium superiorum interpretationum: Si enim quod dicitur de obscuratione Solis & Lunæ, non est accipiendum tanquam solùm per comparationem cum claritate & splendore secundi aduentus Domini dictum, vt habet prima Interpretatio: nec tantùm est mysticè interpretandum de Ecclesia Christi & fidelibus eius cultoribus, vt secunda Interpretatio tradit: neque intelligi debet quasi tantummodò dictum per figuratam quandam & hyperbolicam locutionem, vt in tertia Interpretatione continetur: Restat profectò vt id propriè, sicut verba ipsa sonant, intelligere oporteat, & credere,

dere, ista prodigia verè futura esse in cœlo & astris. Ad huius etiam rei confirmationem satis valet id quod Beatus Petrus in posterioris Epistolæ Capite tertio de consummatione Mundi scriptum reliquit his verbis: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cœlos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.*

Locus 2. Epist. Petri cap. 3.

130 Sed à nobis declarandum sigillatim est, quemadmodum propriè secundum litteralem sensum intelligere oporteat quæ de futuris prodigijs in Sole, & Luna, & stellis dicta sunt. De Sole quidem Dominus dixit, *Sol obscurabitur*, Ioannes autem dixit, *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*. Vbi Lector aduertat, Dominum in Euangelio de istis prodigijs loquentem semper vsum esse verbis futuri temporis; dixit enim, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur*. Prænuntiabat enim Dominus ista prodigia vt reuera

Nota Lect.

132 sub finem Mundi futura erant. At verò Beatus Ioannes in hoc loco de eisdem prodigijs, licet alijs verbis, loquens, vsus est verbis præteriti temporis dicens, *Sol factus est niger, & Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ ceciderunt de cœlo super terram, & cœlum recessit sicut liber inuolutus*. Ioannes enim ista prodigia describit ea ratione vt ostensa ei fuerant in Spiritu & extasi: per visionem enim imaginariam repræsentatus est ei Sol niger, & tanquam cilicino sacco opertus, & Luna quasi suffusa colore sanguineo, & stellæ de cœlo cadentes. Ioannes itaque videbat in Spiritu ista tanquam iam facta; sed ea visio portendebat id quod futurū erat sub finem Mundi, & à Domino prædictum fuerat in Euangelio.

[illegible] Lunæ. Caietanus.

Sed enim, quo modo, & qua ex causa Sol obscurandus sit, non vna est omnium sententia. Origenes in tractatu illius loci Matthæi toties à nobis supra commemorati, putat, ex maximo illo incendio quo Mūdus est conflagraturus, exhalatum iri tantam in sublime, & vsquequaque per aerem densissimi ac nigerrimi fumi copiam, vt ea Solis lucē obscuratura sit, eiusque aspectum mortalib. adēptura. Caietanus, Quod, inquit, dictum est, *Sol obscurabitur*, non intelligo id futurum per suppositionē Lunæ sub ipsum, vt in Eclipsi Solis fieri consueuit; sed per miraculosā quandā obscurationē. Sic ille. Sed nec indicauit ipse, qualis ista futura sit miraculosa Solis obscuratio, & posset ita fieri per Solis perfectā Eclipsim, præter ordinē tamen & modū naturalem motuū cœlestiū factā, sic enim miraculosa esset, sicut fuit in passione Domini nostri. Noster Maldonatus illum Matthæi locum explanans, Mihi, inquit, videtur non opinione hominū, neque vllius rei oppositu, sed verè obscurandus esse Sol. Primum, quia sic obscuratus est in morte Domini, & similiter in secundo eius aduentu obscuratum iri, satis est credibile. Deinde, quia Solē alia quauis ratione obscurari, non est quid magnum, & insigne, & inusitatum, quale scilicet Christus significare voluit: vt ipso ad Iudicium veniente, Sol ipse atque omnes stellæ contremiscant, & quasi metu perculsæ splendorem suum retrahant; quemadmodum homines timore perterriti sanguinem & calorem in intima retrahere solent, & extrinsecus expallescere; hac enim ratione obscuratus est Sol patiēte Christo, quasi moriente Deo exhorrescēs.

131 *Quomodo obscurandus sit Sol. Origenes.*

Caietanus.

Matth. 27.

Maldonatus.

Noster

Ribera.

131 Noster etiam Ribera interpretans verba illa Ioannis quæ sunt in hoc loco, *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.* Hoc ipsum, inquit, est, quod Dominus dixit in Euangelio Matthæi, & Ioel vaticinatus fuerat Capite secundo: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Sol igitur factus niger, id est obscurus, & tenebrosus, maxima densitate nubium ei obtenta, & lucem eius abscondente & obscurante, ob idque videbitur tanquam sacco cilicino ex nigris setis contexto opertus. Ista vero obscuratio portendet, finitum iri omninò lucem Impiorum, id est, eorum gaudia, & prosperitatem mundanam.

Aucthoris sententia. Quatuor modis fieri poterit Solis obscuratio quæ futura est ante diem Iudicij.

133 Ego de ista Solis obscuratione ita sentio. Quatuor modis ea Solis obscuratio miraculosè fieri poterit: vel per ipsius Solis Eclipsin, præter ordinem tamen naturalem, modumque cœlestium motuum factam, sicut in morte Domini nostri contigit: vel per priuationem luminis Solis, adempta luce qua Sol ipse lucet: vel non quidem adempta Soli luce, sed suspensa eius illuminatione qua res alias longè lateque illuminat, sicut in Babylonico igne Deus prohibuit & suspendit actum vrendi tres illos iuuenes Hebræos: vel demum per maximam crassorum & nigrorum vaporum atque nubium copiam & constipationem quæ operiet faciem cœli, auferetque hominibus aspectum Solis. Sed enim, si per illud quod dixit Beatus Ioannes, quòd *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*, intelligere oportet, tunc Solem visum iri quidem ab hominibus, non tamen clarum & lucidum, sed obscurum, & quasi nigrum, si hoc, inquam intelligatur, nequaquam profectò illa Solis obscuratio secundùm tres posteriores modos proximè dictos fieri poterit; nam secundùm eos non modò Sol non videbitur obscurus & niger, sed neque vllo modo videri posset ab hominibus. Si enim fiat priuatio totius lucis Solis, aut omninò suspendatur illuminatio eius qua illuminat alia, aut ob nimiam vaporum & nubium constipationem penitus operiatur facies cœli & Solis; nulla profectò ratione Sol videri posset ab hominibus: Non igitur, vt ait Ioannes, videretur obscurus & niger, tali scilicet nigrore qualis est sacci cilicini. Restaret igitur solus primus modus, quo fiat ista Solis obscuratio, per Ecclipsim videlicet ipsius Solis, ita vt supra dictum est. Dici tamen posset, in secundo modo non esse intelligendum, ademptum iri omnem lucem Soli, sed tantum lucis, vt relicta ei lux faciat eum visibilem quidem hominibus, sed quia diminutum & imperfectum est lumen, repræsentet Solem hominibus obscurum, & quasi nigrum. Idem quoque dicatur de tertio modo, in quo suspensio illuminationis non ex toto fiat, sed in tantum, vt Solem & relinquat visibilem, sed obscurum tamen, & quasi nigrum ostendat. Similiter dicatur de quarto modo, vt illa densarum & nigrarum nubium constipatio non tanta sit futura, vt omnino tollatur aspectus Solis, sed vt per eam aliquo modo videatur Sol, & videatur tanquam obscurus & niger.

Explicat secundum prodigium cœleste futurum in Luna. Caietanus.

Sequitur secundum prodigium cœleste quod fiet in Luna; de quo Dominus ait, *Et Luna non dabit lumen suum;* quibus verbis significatur, ait Caietanus, quòd Luna habens lumen suum, non dabit illud: vt intelligamus, quòd non loquitur de Eclipsi Lunæ, sed de miraculo quod tunc fiet in Luna: quia in Eclipsi Luna priuatur lumine, hîc autem non dicitur quòd Luna non habebit lumen, sed quòd non dabit lumen suum. Sic ille. Significat autem Caietanus, fore vt tunc Luna, per miraculosam suspensionem illuminationis suæ, non det 134

lumen

lumen suum alijs rebus. Beatus verò Ioannes eadem de re loquens, ait, *Et Luna tota facta est sicut sanguis,* quod etiam multò antè prædixerat Ioel: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Ergo tunc Luna non dabit lumen suum, suum dico, quod naturaliter dare solet, liquidum scilicet, sincerum, & clarum; tunc autem erit diminutum, & imperfectum, & in specie simile rubori sanguinis, qualem vtique colorem in sua Eclipsi Luna referre solet; Iste porrò color sanguineus Lunæ portendet Impijs instantem eis miserrimam mortem eorum, æternaque supplicia.

Ioel. 2.

TRIGESIMATERTIA Disputatio.

De tertio prodigio cœlesti sub finem Mundi futuro, id autem est, quomodo intelligendum sit, stellas cæli tunc casuras de cœlo.

135 Ertium prodigium cœleste fiet in stellis, de quo Dominus dixit, *Et stellæ cadent de cœlo;* idemque dixit hoc loco Beatus Ioannes, nisi quod vsus est verbo non futuri, sed præteriti temporis, ob eam, quam paulò suprà exposui, causam; ait enim, *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram.* Sed quia difficile est intelligere, & arduum, rectè ac probabiliter declarare, quemadmodum stellæ in cœlo infixæ; atque adeò ipsius cœli partes continuæ cadere queant de cœlo in terram; idcirco variæ admodum super ea re Doctorum opiniones extiterunt. Origenes super illo Matthæi loco Platonizat hac in re, ait enim, propterea dici stellas de cœlo casuras, quia lumen suum amittent, & quod in eis terrestre fuerat, decidet in terram; quod sanè iuxta Platonis doctrinam in Timæo traditam dictum est, constantis ex quatuor Elementis & cœlos & astra. B. Hieronymus putat intelligi debere eodem modo casuras esse stellas, quo modo obscurabitur Sol: nam quia stellæ ob nimiam claritatem & splendorem aduentus Domini ad iudicium nullo modo apparebunt hominibus, videbuntur quasi non essent in cœlo. Iansennius propterea existimat dici stellas de cœlo casuras, quia tunc retrahentes lucem suam, non videbuntur, & putabuntur non esse ampliùs in cœlo, sed cecidisse de cœlo. Hanc interpretationem accepit Iansennius à Caietano, cuius super illo Matthæi loco hæc sunt verba: Quod dr, *Et stellæ cadent de cœlo;* contextus ipse, & coniunctio stellarum cum Sole & Luna, cogit nos intelligere, Dominum loquutum esse de veris stellis quæ sunt in cœlo: Sed ego casum earum intelligo esse casum non à loco, sed à lucendo; ita quòd sicut Sol obscurabitur, & Luna non illuminabit, ita & stellæ non lucebunt nobis, & hoc metaphoricè vocatur cadere de cœlo: Ex eo enim quòd semotis nubibus non videbuntur stellæ, videbuntur non esse ampliùs in cœlo, & hoc per metaphoram secundùm fulgere suum, est cadere de cœlo.

Variæ opiniones de Casu stellarum à cœlo.

Origenes.

S. Hieron.

Iansennius.

Caietanus.

Franciscus Ribera super hoc loco Apocalypsis declarans quemadmodum stellæ de cœlo casuræ sint, Non reuera, inquit, stellæ de cœlo cadent, id enim fieri non potest; sed quia nubibus obscurato cœlo abscondentur stellæ cœlestes, & exhalationes ignitæ stellis similes demittentur in terram, ita 136

Ribera.

vt

vt hominibus, stellæ de cœlo cadere videantur. Etenim nulla superiorum interpretationum placet nostro Maldonato; & quod Ribera dixit, fieri non posse vt veræ stellæ de cœlo cadant, hoc ipse non solùm fieri posse, sed etiam tunc verè factum iri arbitratur. Audiat Lector eius verba super illo Matthæi loco: Quidam, inquit, ex recentioribus, præsertim Theologis, non veras stellas, sed eas quas vocant crinitas, in aere generatas, dicunt casuras. Multorum opinio est, non verè casuras, sed fore vt quia tunc non lucebunt, cecidisse de cœlo videantur. quod ego nullo modo persuadere mihi possum; dixisset enim de stellis, sicut dixerat de Sole & Luna, quòd obscurabuntur, vel quod non dabunt lumen suum; Cùm autem distinctè, & propriè de illis dixerit, quod cadent de cœlo, maius profectò aliquid significare voluit. Itaque Chrysostomo & Euthymio qui veras stellas casuras putant, libenter assentior: magis enim Christo id affirmanti, quam Aristoteli fieri posse id neganti, credendum esse arbitror.

Maldon.

Disentitur Maldonati sententia.

137 Sed profectò illa Maldonati sententia, secundùm communem Philosophorum, & Mathematicorum, nec non etiam Theologorum Scholasticorum doctrinam, videtur admodùm improbabilis; eam nempe multa quæ perabsurda sunt, necessariò manifesteque consequuntur. Cùm enim stella sit pars cœli in quo est, cum alijs eiusdem cœli partibus continua, eo tantùm differens ab illis, quod densior pars est, conspicuam habens lucem qua lucet ipsa, & illuminat alia; vt stella cadat de cœlo, necessum est discindi compaginem & continuationem cœli, vt stella ab alijs partibus quibus continuatur, separata cadat de suo loco deorsum. Quanquam cùm ipsa cœli natura nihil prorsus habeat grauitatis, vt necessaria ratione in primo libro de Cœlo conclusit Aristoteles, etiamsi stella separata esset à suo cœlo, suapte tamen natura non caderet deorsum in terram; sed illuc deferenda esset ab Angelis. Necessarium præterea foret, vt omnes septem inferiores Orbes cœlestes in quibus sunt septem Planetæ, disrumperentur, vt per eos stella de octauo cœlo cadens in terram, transire posset. Quid, quòd ex tanta multitudine stellarum quæ sunt in octauo cœlo, quælibet earum vel notabilis multò maior est quàm tota terra; immo earum quindecim stellarum quæ vocantur primæ magnitudinis, vnaquæque centies & septies maior est quam tota terra? quomodo igitur omnes stellæ cadent super terram, cùm vna sola tanto maior sit quàm tota terra? Non itaque super terram caderent stellæ, sed aliæ super alias. Nec solùm terra non caperet stellas cadentes, sed ne vniuersum quidem hoc spatium quod est intra omnem cœli ambitum, continens quatuor elementa; & quæcunque conflata sunt ex elementis, cadentes ex octauo cœlo stellas capere posset. Si quis autem hæc de cœlis & astris Philosophorum, & Mathematicorum, atque Theologorum dogmata pro nihilo ducat, & perfricta fronte abneget, cum isto equidem minimè pugnauerim; placet enim mihi dictum illud Philosophi, Stultum est attendere quid quisque dicat.

Auctoris sententia.

Quæ igitur est nostra de isto 138 stellarum è cœlo casu sententia? Mihi sanè communis Doctorum loci huius interpretatio fit admodùm verisimilis, maximèque probabilis. Puto enim, quod à Domino dictum est de cœlis è cœlo casuris, non de vero casu stellarum quæ in cœlo propriè dicto sunt, esse intelligendum. Primò, quia hoc ipsum habet, vt dixi, communis Doctorum sententia. Deinde, quia non est necessarium ad veritatem sententiæ Domini tuendam, illa eius verba de

vero casu stellarum cœlestium interpretari, Tum, quia posito vero casu de cœlo stellarum cœlestiú, multa sequi videntur, secundum receptam Philosophorum, & Theologorum doctrinam, maximè improbabilia & absurda, quorum nõ nulla paulo suprà cursim attigimus. Dictú igitur Domini verè licet intelligere, commodéque interpretari de stellis in suprema aeris regione generatis, & quantùm ad lumen, & quantùm ad figuram, nõ paruã cœlestium verarúmque stellarum similitudine habentib. Huiusmodi vero stellæ sub finem Mundi multò plures erunt, multòque maiores, quam antea vnquam fuerant & insolita, & prodigiosa multitudine, & magnitudine, & specie, ac motu, casuque in terrã, ingenti admiratione simulque pauore, ac terrore mortaliũ oculos & animos implebũt. Istæ porrò stellæ dicũtur casuræ tũc de cœlo, tũ quia veris tũc stellis i cęlo nõ lucẽtibus videbũtur hominibus de cęlo propriè dicto extinctis earũ luminibus, cecidisse; tũ quia cadẽt de suprema regione aeris, cui nomẽ cęli sæpe in sacris Literis tribuitur. Solet enim diuina Scriptura de vniuerso hoc spatio à terra vsque ad octauum cęlum expãso ita loqui, quasi id totũ esset vnũ cõtinuũ corpus, idque omne vocabulo cęli appellare: Quod etsi pluribus ex locis Scripturę ostendi potest, vnus tamen ad presens Scripturæ locus satis erit In illo nobili Cantico, quod vocatur Trium puerorũ, nomen cęli ponitur indistincte & pro corpore æthereo in quo sunt veræ stellæ, & pro corpore aereo i quo generãtur pluuiæ, & aues volitant: Dicitur enim ibi, *Benedicite Sol & Luna Domino, Benedicite stellæ cœli Dominò*, vbi nomẽ cęli positũ est pro cœlo propriè dicto, in quo scilicet Sol, & Luna, & veræ stellæ sunt. Dicitur etiam, *Benedicite aquæ omnes quę super cœlos sunt Domino.* Et item, *Benedicite omnes volucres cœli Domino.* In his autem duobus locis manifestè sumptum est nomen cęli pro spatio hoc aereo, in quo pluuiæ generãtur, & volant aues

Daniel. 3.

Secundùm igitur morem loquendi sacræ Scripturę, in hoc vniuerso spatio à terra vsque ad octauum cęlum, distinguũtur quatuor partes: De infima parte intelligitur quod sæpe dicitur, volucres cęli: de media parte illud quod dicitur, aquas esse in cęlo, & super cęlũ de superiori parte, quę est suprema regio aeris, & in qua generãtur exhalationes ignitæ multiformiter figuratę, intelligere oportet quod dicitur. stellas de cęlo casuras: in suprema verò parte istius spatij locata sunt astra, vt septem Planetæ, & vniuersa illa multitudo stellarum quæ fixæ manent in octauo cælo. Et Sic intelligendum est quod dicitur Solem, & Lunam, & stellas lucere in cęlo Apparet itaque ex his quæ dicta sunt, & quomodo stellæ casuræ sint de cęlo, & cur istiusmodi casus tunc maxime prodigiosus & terrificus hominibus futurus sit. Illud denique sciat Lector, eius quod Beatus Ioannes hoc loco dixit, stellas de cęlo cecidisse in terram, sicut arbor ficus à magno vento agitata grossos suos emittit in terram, simimũ esse quod Esaias multo ante prædixerat: *Omnis*, inquit, *cœlorum militia* (eo nomine Scriptura multitudinem, & dispositionem stellarum cęlestium appellare solet) *Omnis*, inquam, *cœlorum militia defluet, sicut defluit folium de vinea & deficit.* 139

Isai c. 34.

†

Y TRI-

TRIGESIMAQVARTA Disputatio.

De quarto prodigio cœlesti, siue de eo quod Dominus dixit,

Virtutes cœlorum commouebuntur. Matth.24.

140 QVartum prodigium cœleste sub finem Mūdi futurum, fiet in Virtutibus cœlorum, de quo dixit Dominus, *Et virtutes cœlorum commouebūtur.* Pro quo Beatus Ioannes hoc loco quartum etiā prodigium cœleste recensēs dixit, *Et cœlum recessit; sicut liber inuolutus.*

Quid sint virtutes cœlorum.
S Hieronymus.
S.Chrysostomus.

Sed est valdè obscurū, & perdifficile ad intelligendum, quid sint istæ virtutes cœlorum, & qualis earum futura sit commotio. Beatus Chrysostomus & sanctus Hieronymus, pluresque alij super istis Domini verbis quæ sunt apud Matthæum Capite 24. Virtutes cęlorum interpretantur Spiritus cœlestes & angelicos, quos aiūt in fine Mundi cōmouēdos esse, id est videntes tot & tanta prodigia, tantamque rerum omnium in Mundo commutationē fieri, ingenti afficiēdos esse admiratione, simulque quodā velut horrore concutiendos ob considerationem tantæ seueritatis diuinæ iustitiæ, quanta manifestè tunc aduersus Impios ostendetur.

An virtutes Cœlorū sint ipsi cœlestes Spiritus.

Locus Iob 26.
S.Tomas.
S. Dionisius Areop.

Ad quod nonnulli applicant verba illa, Iob, *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*. Beatus Thomas in Quarto Libro sententiarum Distinct. 48. hanc interpretationem secutus, eamque distinctiùs & dilucidiùs explanans, ait, nomen Virtutum cœlestium dupliciter, secundum doctrinam Beati Dionysij in capite vndecimo libri de cœlesti Hierarchia, vsurpari solere; vel communiter & indifferenter pro cunctis Spiritibus cœlestibus vel speciatim pro quodam Ordine Angelorum, cui nomen Virtutum propriè tribuitur, & secūdùm Dionysium, inter tres Ordines secunde Hierarchiæ est medius; secundùm verò Beatum Gregorium in Homilia XXXIIII. in Euangelia, est supremus Ordo infimę Hierarchiæ; Vtroque autem modo nomen Virtutum intelligi potest in illis verbis Domini, *Et virtutes cœlorum commouebuntur*. Si priori modo accipiatur nomen Virtutis significatur illis verbis, omnes Angelos tunc commotum iri præ ingenti scilicet admiratione tantę nouitatis, quanta in Mundo tūnc fiet. Sin autem posteriori modo sumatur pro speciali quodam Ordine Angelorum, qui propriè vocantur Virtutes, quoniam isti Ordini angelico attribuitur, secūdùm Gregoriū loco supra citato, miracula facere quę circa finem Mundi & plura, & maiora fient, idcirco tunc maximè dicuntur istæ Virtutes commouendę, ad plura & maiora solito videlicet miracula facienda. Vel quia istarum Virtutum munùs est, mouere orbes cœlestes, per quorū motum & lumē producuntur quę sunt in hoc inferiori Mundo, vnde etiā nominantur Virtutes cœlorū. Virtutes igitur istę cœlorum sub finem Mūdi cōmouebuntur, quia cœli quos mouent, ab effectu, & influxu suo in res inferiores vacabūt & ipsæ Virtutes cœlestes à cœlorū motione cessabunt; quemadmodū etiam Angeli quibus hominum custodia à Deo est demandata, tunc à custodia hominum cessabunt.

Non probatur supradicta sententia de virtutibus cœlorum.

Et hæc quidem est istorum Au- 141 ctorum sententia: quæ mihi tamen

men tribus de causis non videtur esse probabilis. Dominus enim locutus est in Euangelio de futuris sub Mundi finem prodigijs cęlestibus quæ manifesta & conspicua erunt hominibus, & ideo maximũ pauorem & timorem eis incutiẽt: ista verò Angelorum commotio, siue admiratio, erit hominibus ignota, nõ eorum modo visum, sed etiam latens intelligentiam. Deinde, hoc etiam ipsum confirmatur

Luca 21.

eo, q; Beatus Lucas causam facit futuræ tunc trepidationis & angustiæ hominum istam cõmotionem Virtutum cœlorum, ait enim fore vt arescant homines prętimore & anxia expectatione malorum quæ superuentura sibi timent, & pro causa huius subdit, *Nam virtutes cœlorum commouebuntur*. Ad hæc in Cã-

Dan. 3.

tico Trium puerorum aperte distinguuntur Virtutes à Spiritibus angelicis: primùm enim dicitur: *Benedicite Angeli Domini Domino*; & pòst subditur, *Benedicite omnes virtutes Domini Domino*.

Eusebius.

142 Eusebius citatus à Beato Thoma super Lucam, Virtutes cœlorum interpretatus est ianuas cęli, quas apertum iri ait in die Iudicij, Christo nimirum è cœlo ad faciendum iudicium descendente, & peracto iudicio, in cœlum cum Beatis omnibus redeunte. Sed ego non video, quam habeant conuenientiam Virtutes cęlorum cum ianuis cęlorum: præsertim autem, cùm, propriè loquendo, nullas habeat cęlum ianuas, est namque corpus vndequaque continuum & solidum: sed Deum recipere & admittere homines sanctos ad cęlestem patriam, & societatem cęlestium Angelorum, & ad beatificam suæ Deitatis visionem, hoc, inquam, per metaphoram dicitur Deum aperire ianuas cęli. Adijce quòd illarum ianuarum cęli apertio fieret in ipso Christi decensu ad Iudicium: at commotio Virtutum cęlorum, sicut alia etiam prodigia cœlestia, vt ex verbis Lucæ patet: aliquantisper Domini è cœlo descensum ad Iudicium antecedet. *Luca 21.*

Iãsennius.

Iansennius in 123. Capite suæ 143 Concordiæ Euangelicæ putat Virtutes cœlorum, secundùm loquendi modum sacrę Scripturę, non esse aliud quam ipsa cœli astra, quæ in Sacris litteris & militia cœli, & virtutes cœli vocantur, vt animaduertere licet in illis verbis Dauidis, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. *Psalm. 32*

An virtutes cœlorũ sint ipsa cęli astra.

Quod igitur paulò antè speciatim & distinctè de Sole, & Luna, & Stellis dixerat, idem ipsum generatim dixit his verbis, *Et virtutes cœlorum commouebũtur*. Homines itaq; videntes tunc, virtutes cœlorũ, id est cęli astra commoueri, id est, à solito suo statu deturbari, nã Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cœlo, Huiusmodi, inquam, commotionem, & perturbationem cęlestium astrorum videntes, maiori quàm credi possit, męrore, & pauore, & animi angustia, doloreq; corripientur. Ita ferme Iansennius: cuius tamen interpretatio mihi tribus de causis nõ probatur. Primùm, quia nimio apertius est, quam negari queat, Dominum quatuor diuersa prodigia cęlestia, tanquam diuersa, distinctè prædixisse futura: nam primo loco dixit, *Sol obscurabitur*. Secundo loco, *Luna non dabit lumen suum*. Tertio loco, *Stellę cadent de cęlo*. Quarto demum loco, *Virtutes cœlorum commouebuntur*. Deinde, Si virtutes cęlorũ sunt ipsa cęli astra, cùm apertè iam dixisset prodigia futura in astris, incongruum profectò videtur idipsum indistinctè & obscurè dicere voluisse, præsertim verò cùm id, quod proximè antè dixerat, *Stellæ cadent de cœlo*, multò plus, multoque admirabilius, & horribilius sit, quàm commoueri virtutes cęlorũ. His accedit, quod sacra Scriptura pluribus locis distinguit Virtutes ab astris: & tan-

quam res inter se diuersas distinctè cõmemorat, vt in Psalmo 148. in illis verbis, *Laudate eum omnes Virtutes eius. Laudate eum Sol & Luna: Laudate eum Stellę cœli & lumen.* Et in Cantico Trium puerorum, *Benedicite omnes Virtutes Domini Domino; Benedicite Sol & Luna Domino: Benedicite Stellę Cœli Domino.*

Dan. 3.

Hasselius.

144 Ioannes Hasselius Louaniensis Commentarium scripsit explanationis Euangelij secundùm Matthæum, in quo istorum verborum, *Virtutes cœlorum commouebuntur*, nouam quandam affert interpretationem, non eam quidem asseueranter tradens, sed quasi considerandam & pensitandam Lectori proponens. Posset, inquit, etiam inquiri, vtrùm nomine Virtutum cęlorum intelligi queāt bases, siue axes, vel fulcra, vel columnæ cęlorum: quæ ideo dicantur commoueri, quia vel in die Iudicij, vel paulò ante, ita turbabitur & obtenebrabitur cęlum, vt videatur quodammodò nutare, & complicari, vt idē sit virtutem cęli commoueri; atq; illud quod dixit Ioannes in Apocalypsi Capite sexto, & ante ipsum Esaias Capite 34. Cęlos sicut librum complicatum iri, omnemque militiam eorum defluxuram sicut defluit folium de vinea & de ficu. Sic ille. Sed quod Hasselius asseueranter dicere non est ausus, id verissimum esse putans, magna tradidit asseueratione noster Maldonatus, qui post Hasselium Cõmentaria scripsit in Matthæum; Ego, inquit, semper existimaui, Virtutes cęlorum vocari hoc loco, quòd Iob Cap. 21. alia metaphora Cardines cęli appellat, & sicut dicuntur Cardines terræ in primo libro Regum Cap. 2. & in libro Prouerbiorum Cap. 8. & quēadmodum Iob Cap 36. dixit Cardines maris. Huiusmodi porrò metaphoris nihil aliud significatur, quam firmamentum & robur, quod etiam ipsum Virtutis nomen declarat. Docet itaque Christus Cardines ipsos, & quasi fundamenta cęlorum prę timore commouenda esse: sicut etiā Beatus Petrus dixit in Capite tertio secundæ epistolæ, cęlos ipsos magno tunc impetu esse transituros; quòd non est aliud, nisi quod Dominus dixit hoc loco, *Virtutes cœlorum commouebuntur.* Sic ille.

An virtutes cœlorū sint Columnæ siue bases, siue cardines cœli.

Malden.

Sed profectò, vbicumq; diuina 145 Scriptura istas virtutes vel præcisè, vel cum adiectione cęlorum nominat, longè aliud quippiam, multoq; sublimius dicere ac significare videtur, quàm quod ab istis dr: Consideret Lector ea Scripturę loca quorum nos paulò antè nonnulla commemorauimus. Enim verò, quæ dicuntur de basibus, & cardinibus, & columnis cęli, ea procul dubio non propriè, sed per metaphoram de cęlo dicta sunt, neq; enim reuera sunt talia in cęlo, qualia verbis istis significant: dicuntur enim de cęlo per analogiam quandā ad eas res quæ ista verè habent, & in istis nituntur atq; firmantur. Equidem non crediderim cùm Ecclesia canit, *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant;* per Virtutes cęlorum intelligi dere istas metaphoricas bases, vel cardines, vel columnas cęli.

Titelmanus Virtutes cęlorum 146 interpretatur efficacias & influentias cęlorum in hæc inferiora: quę Virtutes propterea dicuntur commouendæ esse in consummatione sæculi, quia cęli post diem Iudicij non operabuntur in Mundum hunc inferiorem, sicut antea solebant. Hoc Titelmanus sumpsisse videtur a Caietano qui ante eum Commentaria edidit in Euangelia. Explanans enim Caietanus illa Domini verba quæ sunt apud Matthæum Cap. 24. *Et virtutes cœlorum commouebuntur.* Per Virtutes, inquit, cęlorum, intelligo vires siue potestates corporum cęlestium.

Titelmanus. An virtutes Cœlorū sint potentia actiua cœlorū, & quę vulgo appellantur influentię cœlorum.

Caietanus.

stium. Non enim dicitur præcisè (Virtutes) sed cum adiunctione, *Virtutes cælorum*. Mutabuntur autem illæ Virtutes, quia potentiæ actiuæ cœlestium corporum a solitis priùs actionibus cessabunt. Et hoc sanè cognatum, & consequens est mutationibus ante dictis circa Solem & Lunam, & stellas, quæ à solitis priùs actionibus suis tunc impedientur. Ita Caietanus.

Auctoris sententia de virtutibus cælorum.

147 Placet mihi hæc Interpretatio: Sed neque illa Beati Thomæ quam paulò suprà retuli, interpretatio duplicet; Virtutes cœlorum dici Angelos motores cœlorum, quorum proprium est munus & ministerium eis à Deo iniunctum; mouere orbes cœlestes, & per eorum motum Mundum hunc inferiorem & sublunarem conseruare ac regere. Dicuntur autem isti Angeli Virtutes, vel quia sunt ex secundo Ordine secūdæ Hierarchiæ Angelorum, qui nomine Virtutum appellantur: vel quia sunt Virtutes & potestates motrices cœlorum, & gubernatrices rerū sublunarium. Istiusmodi porrò Virtutes in consummatione sæculi commouebuntur, quia remouebuntur & cessabunt à ministerio mouendi cœlos, quod exercuerant ab initio Mundi vsque ad illud tempus. Et quanquam ista commotio, siue remotio & cessatio Angelorum a ministerio mouendi cœlos, non erit ipsa per se manifesta hominibus illius temporis; ex effectu tamen eius cognitia erit ab eis: Videbunt enim cœlos & astra manere prorsus immota, neque sentient in rebus inferioribus solitos priùs influxus & operationes cœlorum; erit autem hoc eis maximè prodigiosum & terrificum, & maximorum quæ superuentura ipsis sint malorum signum.

TRIGESIMAQVINTA Disputatio.

Super illis verbis Beati Ioannis, quæ sunt in hoc loco Apocalypsis.

Et cœlum recessit sicut liber inuolutus.

Hoc est quartū prodigium cœleste Beato Ioanni ostensum in Apertione sexti Sigilli. Nam primum prodigium cœleste fuit illud, *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*. Secundum fuit illud, *Luna tota facta est sicut sanguis*. Tertium fuit illud, *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram*. Quartum fuit id quod comprehensum est ijs verbis quæ diximus, *Et cœlum recessit sicut liber inuolutus*. Hoc ipsum porrò Isaias prædixerat futurum, Capite 34. illis verbis: *Cœli sicut liber complicabuntur*. Sed quo meliùs germana istorum verborū sntia Lectori pernotescat, primò, declaranda est ratio istius similitudinis ex inuolutione vel complicatione libri dictæ: deinde, quid per istiusmodi similitudinem in cœlo significetur, & à nobis intelligi debeat, explicandum est. 148

Andreas.

Andreas Cæsariensis Cappadociæ Archiepiscopus paucis verbis rationem istius similitudinis indicauit: Arbitror, inquit, Apostolum Ioannem Veterum consuetudini orationem suam accommodasse: siquidem Hebræi loco librorum, quorū apud nos est vsus, inuolutis quibusdam chartis vtebantur, quarū euolutio vel explicatio non afferebat illis interitum aut extinctionē, sed rerum quæ in illis

descriptæ continebantur manifestationem. Sic ille. Sed veterem istā Hebræorum in libris consuetudinem pluribus verbis exposuit Sixtus Senensis in libro 2. Bibliothecæ sanctæ sub illo titulo, Liber Inuolutus, in hanc sententiam: Apud Hebræos antiquitus libri diuersa forma scribi solebant, quàm nunc scribuntur libri apud nos. Habebāt enim vnum duntaxat folium siue membranam oblōgam, quæ circa cylindrum siue axem ligneum circumplicabatur instar lineæ telæ radio textorio circumuolutæ. Videbantur autem eiusmòdi libri nonnullā referre cœlorum similitudinem & imaginem; Sicut enim ligneum illum axem qui erat in medio voluminis, complures ipsius mēbranæ ceu spirę altera super alterā ambiebāt & circumdabant; ita terram hancque medium totius Vniuersi quasi axis obtinet, cœlestes orbes alter super alterum collocati in orbem circumplectuntur Sic ille.

Sixtus Senensis.
Quid significet similitudo libri inuoluti.

149 Sequitur vt declaremus quid istiusmodi complicatio libri significet in cœlo, & quid per eam intelligi debeat. Beatus Martyr Iustinus in Responsione ad quæstionē Orthodoxorum nonagesimā quartam propositam sibi de sententia illorum verborum Esaiæ, *Cœli sicut liber complicabuntur*: sic ait: Quemadmodum cœli creationem diuinę litteræ per similitudinem aliquando cunferūt cum pellis extensione dicentes, *Qui extendit cœlum sicut pellem*: interdum autem cum firmato fumo, vt apud Isaiam Cap. 51. iuxta LXX. Interpretes, *Cœlum ceu fumus firmatum est*. nōnunquam cum rotunditate cameræ, vt apud Isaiā Ca. 40. secundùm LXX. interpretes *Qui extendit cœlum sicut cameram*. Ex aduerso autē cęli dissolutionem per similitudinem quandam cōparant cum alijs rebus, vt apud Isaiam Cap. 34. cum libri complicatione; *Cœli, inquit, sicut liber complicabuntur* & apud Dauidem Psalmo 101. cum vestimēti iam veterascentis cōmutatione, *Opera*, inquit, *manuum meārum sunt cœli ipsi peribunt, tu autem permanes & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertoriū mutabis eos, & mutabuntur* Ita Iustinus. Sanctus Hieronymus explanans illa verba Esaiæ, *Cœli complicabuntur sicut liber*; Considerandum est, inquit, quòd non dicat propheta interituros esse cęlos, sed esse complicandos quēadmodum liber cōplicari solet, vt postquam omnia peccata aperta & relecta fuerint, complicentur qui prius aperti fuerant, vt nequaquā vltrà scribantur in eis delicta multorum; in diuina enim Scriptura dicūtur cœli annuntiare iustitiam Dei, & reuelare iram eius, & probare ac testificari hominū scelera.

S. Iustinus.
Quid significet cōplicatio cœ tā quā libri.
Psalm. 103.
S. Hieronymus.
Psal. 18.
Ad Ro. 1.

150 Andreas Cæsariensis videtur illa verba Ioannis, *Cœlum recessit sicut liber inuolutus*, ita intellexisse quasi illud verbum *recessit*, idem significet atque (explicatum & apertum est) quasi recesserit à priori complicatione & occultatione rerum quas continebat. Sic enim scribit: Libri euolutio & explicatio non affert ei interitum, sed rerum quæ in eo descriptę continentur, manifestationem: Quapropter cœlestis quoque corporis explicatio æternorū bonorum quæ Sanctis in cęlo reposita sunt, patefactionē significat. B. Thomas & Nicolaus de Lyra, Complicabuntur, inquiūt cęli tanquam liber, quia non exercebunt vltrà Ethnici astromantiā suam, nec diuinare audebunt ex astris euentus hominum quasi legerent in sideribus descriptos futurarū rerum casus & euentus. Dionysius Carthusianus sic interpretatur: Complicabitur cęlum in die Iudicij, quia nulli patebit vltra introitus in regnum cęlorum, sed ianua cęli clausa erit in perpetuum. Franciscus Forerius, & alij quidam omninò volunt verba ista Esaiæ, & Beati Ioannis de cęlorum

Andreas.
B. Thomas Lyranus.
Dionysius Carthusiā.
Forerius.

rum

-rum instar libri complicatione, orationem esse hyperbolicam, qua illi exaggerare voluerunt magnitudinem iræ ac vindictæ Dei aduersus eas gentes de quibus loquebantur, ingentemque eorum hominum tristitiam, angustiam, & afflictionem animi & corporis: quibus præ animi perturbatione, & anxietate, & oppressione videbuntur cœlestia lumina extingui, & stellæ de cœlo cadere, & ipsum cœlum instar libri complicatum recedere.

Adami interpretatio qua placet Auctori.

151 Videtur mihi satis congruè, & apposite & accuratè interpretatus esse locum illum Esaiæ, & hunc locũ Apocalypsis Adamus Sasbout: Sensus, inquit, istorum verborum Isaiæ & Ioannis est huiusmodi: *Complicabuntur sicut liber, cœli*, id est, desinet notus hic cœlorum vsus, non aliter quàm libro vti desinimus, cùm ipsum complicamus siue claudimus. Verbum autem Hebraicum (galal) quod in illo Isaiæ loco Interpres Latinus vertit (complicabuntur) significat aliquid cõuoluendo siue complicando amouere & tollere è loco in quo erat, sicut cùm vsi sumus libro, iubemus eum remoueri & tolli. Et hoc sine dubio significauit Beatus Ioannes dicens, *Cœlum recessit*, nam ad verbum est (remotum est cœlum,) in voce scilicet passiua. Conducit etiam ad istorum verborum intelligentiam illud quod in Psalmo 101. de cœlis a Beato

Locus Psalmi 101.

Dauide scriptum est, *Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*. Nã pro verbo illo (mutabis) LXX. Interpretes vsi sunt eodem verbo Græco quod est apud eos in illo Isaiæ loco, & à nostro Interprete Latinè redditum est per verbum complicare. Posset itaque locus ille Psalmi sic etiam commodè interpretari (Et sicut opertoriũ conuolues, siue complicabis eos.) Significat enim Dauid istis verbis idem ipsum in cœlis futurum per similitudinem vestimenti, quod Isaias & Ioannes per libri similitudinem dixerunt: & sensus est, Nũc quidem expandis cœlos in vsus mortalium; sed in fine Mundi nullus erit cœlorum vsus sicut anteà fuerat, tunc eos quasi conuolues & complicabis: quemadmodum vestimentum euoluimus, cùm eo vti volumus; sed postquam vsi eo sumus, complicamus ipsum; & in alium locum reponimus. Sic ille. Quoniam igitur obscuratis cœli luminaribus, vt anteà dictum erat, cœlum recedet ab aspectu mortalium, quin etiam ab influxu & vsu quem hominibus cunctisq; rebus sublunaribus exhibebat, idcirco Beatus Ioannes dixit, *Et cœlum recessit*. Hoc autem similitudine libri declarans adiecit, *Sicut liber inuolutus*: quemadmodum enim in libro cùm euoluitur & explicatur, quæ in eo scripta sunt videri & legi possunt; cùm autem conuoluitur & complicatur, nihil in eo legi & videri potest: ita quia tunc quæ in cœlo sunt, videri non poterunt, astris omnibus obscuratis quæ sunt in cœlo quasi litteræ quædam & tanquam Scriptura per quam multa cognoscuntur & prænoscuntur ab hominibus; idcirco, sanè quam congruè & apposite dicitur cœlum recessisse siue complicatum esse sicut liber conuoluitur vel complicatur.

CAPVT SEPTIMVM.

1 Postbæc vidi quatuor Angelos stantes super
quatuor angulos terræ, tenentes quatuor uen-
tos ne flarent super terram, neque super ma-
2 re, neque in vllam arborem. * Et vidi al-
terum Angelum ascendentem ab ortu Solis,
habentem signum Dei viui: & clamauit vo-
ce magna quatuor Angelis, quibus datum
3 est nocere terræ, & mari, * dicens; Nolite
nocere terræ, & mari, neq; arboribus, quoad-
4 usque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. * Et audiui nu-
merum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex om-
5 ni tribu filiorum Israel. * Ex tribu Iuda duodecim millia signati: Ex
tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia
6 signati: * Ex tribu Aser duodecim millia signati: Ex tribu Nephtali
duodecim millia signati: Ex tribu Manaße duodecim millia signa-
7 ti. * Ex tribu Simeon duodecim millia signati: Ex tribu Leui duode-
8 cim millia signati: Ex tribu Issachar duodecim millia signati: * Ex
tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu Ioseph duodecim mil-
9 lia signati: Ex tribu Beniamin duodecim millia signati. * Post hæc
vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gen-
tibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante Thronum, & in
10 conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: * &
clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super
11 Thronum, & Agno. * Et omnes Angeli stabant in circuitu Throni,
& Seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt ante Thronum in
12 facies suas, & adorauerunt Deum, * dicentes, Amen. Benedictio, &
claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitu-
13 do Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. * Et respondit vnus de
Senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt?
14 & vnde venerunt? * Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mi-
hi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas
15 suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. * Ideo sunt ante Thro-
num Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius. Et qui sedet in
16 Throno habitabit super illos. * Et non esurient, neque sitient am-
17 plius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus: * quoniam Agnus,
qui in medio Throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes
aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

IN CAPVT SEPTIMVM APOCALYPSIS

DISPVTATIONES SEXDECIM.

PRIMA Disputatio.

Quisnam scopus sit eius Visionis quæ narratur in hoc septimo Capite: Et quæ in ea Visione Beato Ioanni ostensa sunt, quid propriè significauerint.

1 QVo potissimũ spectẽt, quę in hoc capite manifestata in Spiritu esse B. Ioanni scriptum est, variæ sunt Explanatorum huius libri sententiæ. Ambrosius existimat per apertionem sexti sigilli duo esse præsignata. Primò enim per ea quę in fine sexti Capitis scripta sunt, præsignata est abiectio & reprobatio Iudæorũ & clades quæ ipsis ob eorũ perfidiam atque impietatem contigerunt. Deinde, per ea quę commemorantur in hoc septimo Capite, secũdũ Ambrosium, significata est lætissima & felicissima Gentiũ ad finem Christi conuersio, & numerosissima in Dei Ecclesiam congregatio, & mira electorum hominum ex Gentilismo & magnificatio in terris, & in cœlis glorificatio.

Ambrosius

Aureolus & Lyranus quoniam mysterium sexti sigilli, vt nos suprà retulimus, interpretati sunt de sæuissima Christianorũ persecutione facta sub Imperatore Diocletiano, de qua nimirum esse putant intelligenda quæ paulò suprà in extrema sexti Capitis parte scripta sunt; consequenter nunc ea quæ traduntur in hoc septimo Capite interpretantur de iis quæ consecuta sunt, postquã Imperio sese Diocletianus abdicauit, vltro priuatã eligens vitam. Tunc enim magna Ecclesiæ Dei pax, & tranquillitas multiplexque vtilitas contigit, Constantino Magno ad Romanũm Imperium assumpto; & ab eo debellatis atque profligatis quatuor Tyrannis, & Christiani nominis hostibus, qui varijs in locis Imperium inuaserant, & in hoc septimò Capite nomine quattuor Angelorum stantium ventorum prohibentium designantur. 2

Aureolus, & Lyranus

Ter-

Primasius.
Haymo.
Ansbertus
Anselmus.
Richardus

3 Tertia de Scopo huius visionis sententia multorum est, vt Primasij, Haymonis, Ansberti, Anselmi, & Richardi: Isti quæ dicuntur in hoc Capite septimo ea referũt ad tempus primi aduentus Domini nostri, & salutiferæ prædicationis Euangelij per totum mundum. Ante hoc tempus, omnes terræ Reges, cunctaque regna terrena in hoc loco insinuata per quatuor angulos terræ, & per quatuor Angelos in istis quatuor angulis residentes, in maximis errorum tenebris, omniumque vitiorum sordibus versabantur, & instigantibus Dæmonibus, quorum erant Imperio mancipati, fidem & pietatem, id est, veri Dei cognitionem cultumque non solum à se repellebant, sed etiam omni studio, conatuque oppugnabant.

Sed enim, quia obijci poterat, videri satis incongruum & creditu difficile, Beatum Ioannem cum paulo ante in sexti sigilli apertione locutus esset de nouissima Fidelium persecutione sub Antichristo futura, repente nunc ad primum Domini aduentum resiluisse: idcirco huic obiectioni Primasius occurrit ita scribens, Aduertẽdum est locutionis Genus quod huic libro Apocalypsis Spiritus Sanctus inuoluit: vsque ad sextũ enim sigillum ordinem custodiuit; & prætermisso paulisper septimo sigillo, ea quæ ante dixerat, nunc in septimo Capite recapitulat: & duas intexens narrationes, quasi ordinem secutus, septimo sigillo concludit. Sed ipsa hæc recapitulatio non vbique fit eodem modo, sed varie, & pro locorum varietate intelligenda est. Aliquando enim ab origine dispensationis Christi siue ab Incarnatione eius; aliquando à passione eius; aliquando à medio tempore; aliquando à persecutione Ecclesiæ recapitulat. Nunc igitur descripto sexto sigillo, Beatus Ioannes in illis quæ scribit hoc septimo Capite, redit ad originem, id est, ad tempora primi aduentus Domini, de illis breuiter, aliterque dicturus. Sic Primasius. Et hoc ipsum documentum, à Primasio scilicet mutuatum etiam tradit Ansbertus.

Primasius.

Refutatio trium superiorum Interpretationum.

4 Sed contra istas tres de scopo huius Visionis Auctorum sententias idẽ hoc loco dici potest, quod supra dixi insuper caput sextum Apocalypsis Disputatione XXV. & XXVI. cum de mysterio apertionis sexti sigilli disputaremus. Nimirum, hæc Visio sigillorum quam Beatus Ioannes habuit, nõ fuit rerum præteritarum tanquã historica quædam commemoratio, sed fuit prophetica rerum futurarum præsignatio atque prænunciatio: ea verò ad quæ Auctores primæ & tertiæ sententiæ applicant & accommodant quæ narrantur in hoc septimo Capite, iam fuerant præterita & facta, quando Sanctus Ioannes hanc Visionẽ habuit, & in Ecclesia pernotuerant, vt ad ea manifestanda Ioanni, & notificanda Ecclesiæ Christi noua Visione ac Reuelatione opus non esset. Sententia porrò Aureoli & Lyrani, mysterium sexti sigilli de persecutione Christianorum sub Imperatore Diocletiano facta interpretantium, in superiori Disputatione XXVI. super Caput sextum a nobis est confutata; Ex quo liquet, ea quæ traduntur in hoc septimo Capite, non esse ad pacem & lætitiam quæ Christi Ecclesiæ contigit post Diocletianum, & Constantino Magno ad Imperium assumpto, referenda.

Andreas.
Beda.
Carthusianus.
Ribera.

5 Quarta sententia tribus proximis superioribus multo probabilior est Andreæ Cæsariensis, & Bedæ, cui etiam Dionysius Carthusianus & Ribera adhæserũt. Isti quæ narrantur in hoc septimo Capite, referunt ad consolationem, & lætitiam, quam Ecclesia Christi magnam est habitura post atrocissimam

mam Antichristi persecutionem; & ad numerosam multitudinem Electorum tunc futuram tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus. Quemadmodum in superioribus sigillis, ait Beda, post multiformes Ecclesiæ conflictus, Beatus Ioannes triumphantium gaudia vidit animarum; sic etiam nunc regnum Antichristi & persecutionem eius quæ secutura sit Ecclesiæ victoria probat exemplo principalium quatuor regnorum terræ quæ iam diu Ecclesiæ cesserunt; Grandes enim causæ grandioribus necesse est confirmentur argumentis. Sic Beda. Sed ego Bedam satis miror: cùm enim de Scopo huius Visionis rectè sensisset & scripsisset, deinde tamen, in explanatione verborum Scripturæ huius septimi Capitis, ad opinionem eorum relabitur qui hęc ad tempus primi aduentus Domini retulerunt. Idem sensit de scopo huius Visionis Andreas Cæsariensis, ita enim scribit: Etsi quidam referunt hæc ad calamitates & mala quæ Romanis in excidio Ierosolymitano perpessi sunt Iudæi; existimant enim per quatuor illos Angelos de quibus initio huius septimi Capitis dicitur, effectum esse vt Iudæi nec terra, nec mari diuinam iram impendentemque eis cladem euitare potuerint: multo tamen rectius, & congruentius est, ad Antichristi aduentum, & persecutionem hęc referre. Tunc enim sæuissima illa tempestas furibundè in vniuersa terra desæuiet, quamobrem super quatuor terræ angulos stetisse narratur. Sic ille.

Beda.

Andreas.

Authoris sententia.

6 In eadem quoque sum ego sententia. Neque enim dubium esse potest, quin ea quæ memorantur in hoc septimo Capite, pertineat ad mysterium sexti sigilli, quod supra Beatus Ioannes in extrema parte sexti Capitis describere orsus est. Nam enarratis omnibus quæ in Visione descripta in hoc septimo Capite continentur, Beatus Ioannes initio proximè sequentis capitis octaui exposuit apertionem septimi sigilli ita scribens: *Et cum aperuisset sigillum septimum factum est silentium in cælo, quasi media hora* Mysterium etenim sexti sigilli præsignabat & mala, & bona in nouissimis Mundi temporibus, & in consummatione seculi euentura hominibus & malis, & bonis: ac de malis quidem & calamitatibus quæ tunc improbis, atque impijs hominibus contingent, supra dictum est in extrema parte sexti Capitis; de bonis autem, quæ tunc accident viris a Deo electis & præ destinatis, agitur in hoc septimo Capite. Ergo, quia in sexto sigillo præsignata fuerat generalis & maxima omnium tribulatio sub Antichristo & sub finem Mundi futura, ne putaretur ea Sanctis & Electis nocitura esse, consequenter demonstratum est Beato Ioanni in ea Visione quæ narratur in hoc septimo Capite, quemadmodum Deus tunc mirabili modo seruaturus sit Electos suos, & quantus eorum tunc ex Iudæis & Gentibus futurus sit prouentus.

* * *

SECVNDA Disputatio.

De quatuor Angelis prohibentibus ventos flare super terram

Super illis verbis:

VERS. 1. *Post hæc, vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angelos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent, super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.*

7 DE istis quatuor Angelis stātibus super quatuor angulos terræ, & cohibentibus flatū ventorum, quid alij explanatores huius libri senserint, & in Commentarijs suis scriptum reliquerint, & quid nobis videatur esse probabilius, breuiter exponemus Lectori.

Prima Interpretatio Ambrosius Prima Interpretatio est Ambrosij, qui putat, per quatuor istos Angelos Romanum Imperium designari sub quo erant alia regna, & quod quatuor terræ partes, Oriētalem scilicet, Meridionalem, Septentrionalem, & Occidētalem debellando peruaserat, & dominando obtinebat. Per quattuor Ventos, qui nubes excitant, vt terram irrigando faciem eius reddant hilarem & frugiferam, pax cunctis mortalibus optata signatur, quę mentes hominum lætificat, efficitque vt proprijs vtilitatibus consulant & seruiant. Per terram & mare gentes siue in continenti, siue in Insulis habitantes, denotātur, per arbores autem hi qui inter homines dignitate ac potestate sublimiores, humanęque societati vtiliores sunt. Quatuor igitur Angeli quatuor ventos tenebant ne flarēt super terram, quia Romani vbique terrarum imperantes, omnem terram rapinis, & incendijs, & cædibus hominum replebant, non sinētes pacatum, & quietum esse genus humanum. Sic Ambrosius.

8 Nec huius dissimilis est secunda Interpretatio, quæ est Primasij, Haymonis, Ansberti, Anselmi, Richardi, & quam sequitur Beda. Isti quatuor illos Angelos interpretantur quatuor principalia Mundi Regna, & Monarchias, quæ tempore aduentus Christi erant sub dominatu Parthorum, & Romanorū: nam quasi diuiso orbis Imperio, Parthi Orientis, Romani Occidētis regna tenebant. Hæc igitur regna potestate sua omnia quasi præfocando, nullum, pro libito sui iuris, sinebant respirare. Super hæc autem regna stabant quatuor Angeli, id est, secundùm Haymonē, quatuor maligni spiritus, qui permissu Dei, & peccatis hominum exigentibus, magnam in omnem terram, omnęque genus humanū habebant imperium, & varijs modis & corporaliter, & spiritualiter homines vexabant & perdebant. *2 Interp. Primasius. Haymo. Anselmus. Ricardus. Beda.*

9 Tertia Interpretatio, quam tradit Aureolus, & Lyranus, referentes quæ dicuntur in hoc septimo capite ad tempus proximè consecutum persecutionem Diocletiani, est eiusmodi: Postquam Diocletianus & Maximianus abdicarunt se Imperio, quatuor extiterunt in Romano Imperio Tyranni, siue insectatores & hostes Christianorum Maximinus in Oriente, Seuerus in Italia, Licinius in Ægypto & Alexandria, Maxentius Romæ. Quatuor itaque Angeli Satanæ, & persecutionum nuncij ac ministri stabant in su- *3 Interp. Aureolus. Lyranus.*

supradictis quatuor terræ angulis, id est, principalibus terræ partibus impetrando, & bonos vexando. Isti tenebant ventos ne flarent super terram, quia impediebant fideles Doctores prædicare fidem Christi tam in terra quam in mari, tam hominibus infimæ conditionis, quàm sublimi dignitate & potentia præditis.

4. Interpr. Andreas. Cuius sententiæ accedit Auctor.

10 Quarta Interpretatio tribus proximè superioribus multo congruentior huic Visioni, multoque probabilior, est Andreæ Cæsariensis, referentis hæc ad nouissimam hominum tribulationem sub Antichristi persecutione, & sub finem Mundi futuram. Hic quatuor illos Angelos interpretatur veros fore Angelos, diuinæ scilicet iræ ac vindictæ administros, qui impleant ministerium diuinitus sibi quidem iniunctum, nobis autem incognitum. Ast Ventorum prohibitio, legitimi ordinis dissolutionem, & ineuitabilem comminatorum malorum euentum haud dubiè insinuat; siquidem per ventorum flatum arbores & plantæ, atque animalia nutriuntur ac refocillantur, & maria nauibus sulcantur. Hæc Andreas.

Auctoris sententia.

11 Cui ego prorsus assentior, arbitror enim, illos quatuor Angelos fore veros Angelos, qui nouissimo illo Mundi tempore à Deo mittentur in terras, vt tanquam administri diuinæ iustitiæ, improbos & impios homines in terris affligant, & creaturas corporales, vt plantas, quæ in mundi consummatione interituræ sunt, destruant & perdant. Ex multis autem varijsque modis tunc affligendi & puniendi homines improbos, & destruendi creaturas corporales, vnus erit is qui hoc loco ponitur, cohibere scilicet cursum, ventorum, & prohibere ne venti terras, & maria, & arbores perflent: impedito namque ventorum cursu, flatùque cohibito, necesse est omnia quæ in terris viuunt, tabescere ac deficere, breuique ad interitum recidere. Quanta enim incommoda & mala consequerentur, sublato ventorum flatu, existimare licet ex plurimis & maximis commoditatibus ex tempestiuo ventorum flatu, ad omnia quæ in terris viuunt permanantibus. De quibus ventorum vtilitatibus iuuat hic adscribere breuem & luculentam Senecæ orationem, ex Capite 18. libri 5. Naturaliū Quæstionum. Non ex vna causa, inquit, Ventos aut inuenit aut per diuersa loca disposuit Dei prouidentia. Sed primum vt aerem non sinerent pigrescere, sed assidua voxatione purum redderent vtilemque tracturis. Deinde, vt imbres necessarios terris subministrarent, eosdemq; nimios aut superuacuos compescerent, nā modo adducūt nubes, modo diducunt, vt per totū orbē pluuiæ diuidi possint: Nec verò, fruges percipi possent, nisi flatu superuacua & mixta seruandis ventilarentur, nisi esset quod segetem excitaret, & latentem frugem ruptis velamentis suis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperirent. Omnibus præterea inter se populis, beneficio ventorum, commercium dedit, iunxit & miscuit: gentes dissipatas locis: dedit et ventos ad vlteriora noscēda, fuisset enim imperitū animal, & sine magna experientia rerum homo, si natalis sui soli finibus circumscriberetur. Hæc Seneca de Ventorum vtilitatibus.

Ventorum commoditates.

Ceterū, an illi quatuor Angeli cohibētes flatū Ventorū, boni, an mali Angeli futuri sint, in quæstionē vocant hoc loco Interpretes huius libri; & alij quidem malos fore, alij verò contra, bonos Angelos futuros esse affirmant. Et sanè, potest vtrumque probabiliter dici: non enim ex eo quod illi Angeli parati erant ad nocendum mari, terræ, & arborib. cōcludere licet, 12

An illi quatuor Angeli fuerint boni Angeli.

eos fore malos Angelos: Nam etiam bonos Angelos corporaliter nocere hominibus, eosque punire satis ostendunt verba illa Beati Augustini quæ sunt in Capite 5. libri 9. de Ciuitate Dei: Sancti inquit, Angeli sine ira puniunt eos quos accipiunt æterna Dei lege puniendos. Angelos certè missos à Deo ad perdendos Sodomitas, vniuersamque eorum regionem, fuisse bonos & sanctos Angelos, non sinit dubitare nos diuina Scriptura, quæ in Capite XVIII. & XIX. libri Geneseos narrat, quemadmodum eos Angelos sanctus Patriarcha Abraham, & vir iustus Lot hospitio lætiac venerabundi acceperint, & Dominos suos appellauerint, & beneficia ab eis petierint. Verum de ministerio Angelorum tam bonorum, quam malorum, quo ad affligendos homines siue bonos, siue malos vtitur Deus, videat Lector egregiam disputationem quam Beatus Augustinus facit Super illis verbis Psalmi 77. *Misit in eos iram indignationis suę, indignationem & iram, immissiones per Angelos feros.*

S. Augustinus.

†

TERTIA Disputatio.

De illo Angelo prohibente quatuor Angelos nocere terræ, & mari, & habente signum Dei viui.

Super illis verbis:

Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelos quibus datum est nocere terræ & mari dicens, Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. VERS. 2. & 3.

Complures, sunt 13 Interpretationes horum verborũ apud explanatores huius libri, quas ego breuiter atque fideliter hic referam, simulque perpendam. Prima interpretatio ponatur hoc loco ea quæ est Ambrosij. Angelus ab ortu solis ascendens, & signum habens Dei viui, inquit Ambrosius, ipse est Christus Dominus, quem scilicet Isaias, secundum translationem LXX. Interpretum, appellauit magni concilij Angelum; idemque alibi nominatur Vir Oriens. Ab ortu autem solis ascendit, quia non ex concubitu viri carnem assumpsit, sed immaculatam sibi carnem ex purissima Virginis carne formauit.

Sex Interpretationes

1. Interpr. Ambrosius

Cap. 9.

uit. Vel aduentus eius in Mundum ab ortu Solis, significat lætitiam, & gaudium, omniumque bonorum copiam ab ipso mortalibus allatam. Signum Dei viui est ipsius latens in carne Diuinitas, cuius signum fuit admirabilitas operum quæ fecit in terris, quæ talia fuerunt, vt eum Dei esse Filium apertè demonstrarent. Sicut ipse dixit, *Opera quæ ego facio, illa testimonium perhibent de me.* Et Nicodemus dixit ei, *Scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

Ioan 10
Ioan. 3.

Clamor autem istius Angeli ad quatuor alios Angelos, significat potentem efficacemque operationem Christi, qui in aduentu suo fecit vt sublatis ferè bellis, magna in terris pax esset, Imperium Romanum tunc obtinente Augusto Cæsare: in cuius rei signum ille vniuersum orbem describi, & Iani fores claudi iussit: idque prædictum fuerat per Dauidem in Psalmo 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis,* quo scilicet citius, & facilius semina fidei per vniuersas gentes spargerentur, & signaculo Fidei, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, signarentur. Hæc Ambrosius.

Luca 2.

2. Interpr. 14 Secunda Interpretatio est Primasij, Haymonis, Ansberti, Anselmi, & Richardi, & ipsius Bedæ. Isti similiter vt Ambrosius Angelum illum ab ortu solis ascendentem interpretantur Christum Dominũ, qui dicitur ascendisse ab ortu solis, quia mane resurrexit à mortuis, & Discipulos suos misit ad illuminandum Mundum prædicatione, doctrinæ Euangelicæ, mundum nempe densissimis errorum & vitiorũ tenebris oppressum. Quid autem fuit clamare quatuor Angelis ne nocerent, nisi potestate saluberrimæ prædicationis Euangelij aduersarias prohibere potestates ne, vt anteà, mundum indebitæ dominationis crudelitate opprimerent? & quoniam Ecclesia per omnes quatuor partes Mundi diffusa, permissos habet fideles suos cum infidelibus, denotatur nomine terræ diuersitas prouinciarum; nomine maris, varietas insularum; nomine arborum, siluestrium hominum conditio. In regnis porrò Mundi in quibus feruens Idololatria dominabatur etiam, fortior quam quatuor Angelorum per Christum facta est potentia, illa videlicet Christi voce, *Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum.* Hoc etiam Dæmones ipsi confessi sunt dicentes Domino, *Venisti ante tempus torquere nos.* Fuit enim Christus lapis ille abscissus de mõte sine manibus, qui percussa statua, regnorum Mundi imaginem gerente, in tantum excreuit montem, vt omnem impleuerit terram: Signum verò in frontibus seruorum fidelium impressum, est signum Crucis, non tantum in corpore, sed multo magis expressum in anima, per imitationem passionis Christi, & crucifixionem vitiorum & concupiscentiarum. Cuius signi figura fuit in Veteri Testamento signum sanguinis aspersi super postes domorum quas Hebræi habitabant, vt sic illi cladem primogenitorum euaderent. Illud denique, *Nolite nocere,* hoc significat, Non datur vobis potestas, sed etiam quam habetis, cohibetur vobis, nocendi ijs qui ab æterno præordinati sunt ad vitam æternam. Sic isti locum hunc interpretantur.

Primasius.
Ansbertus
Anselmus.
Beda.
Richardus.
Matth. 3.
Matth 8.
Dan 2.
Gal. 5.

Tertia Interpretatio est Aureoli & Lyrani, qui vt supra dictum est in prima Disputatione super hoc Caput, visionem hic descriptam à Beato Ioanne, referunt ad ea tempora quæ maximam illam Christianorum persecutionẽ sub Imperatoribus Maximiano, & Diocletiano factam proximè consecuta sunt. Statim enim vt illi duo Imperium vltro deposuerunt 15

3. Interpr. Aureolus. & Lyranus.

quæ-

quatuor Tyranni & hostes Christianorum diuersis in terræ partibus Imperium tenêtes extiterût; qui hoc loco per quatuor Angelos prohibentes flatum ventorum super terram, præsignati sunt. Per illum verò Angelum ascendentem ab ortu solis, & prohibenté quatuor illos Angelos nocere terræ & mari, significatum esse putât Constantinum Magnum; qui debellatis, & è medio sublatis quatuor illis Tyrannis, ingentis gaudij, & pacis, & felicitatis Ecclesiæ Christi causa fuit. Habebat autem signum Dei viui, id autem erat signum Crucis, quod Constantinus cum Romam iret debellaturus Maxentium, vidit in cœlo, admirabili splendore effigiatum, expressis in eo his litteris, In Hoc Signo Vinces. Qua visione mirandum in modum confirmatus, fidenter iuit pugnatum in Maxentium, & victoriam feliciter obtinuit. Illud autem quod hic dicitur. *Quo ad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum* Sententiam habet huiusmodi: Constantinus à Siluestro baptizatus valdè honorauit, & multis magnisque beneficijs ornauit Ecclesiam Christi, & Sacerdotes, & Episcopos, atque insignia Christianis indulsit priuilegia; quibus rebus incitati sunt plurimi ad fidem Christi amplectendam, qui ministerio Sacerdotum baptizati, signo Crucis cô signabantur. Et Aureolus quidem & Lyranus ita locum hunc interpretati sunt.

16 Quarta Interpretatio est Victorini, quem secutus est Ioannes Gagneius. Arbitrantur illi per Angelum illum ascendentem ab ortu solis, præsignatum esse magnum illum Prophetam Heliam, futurum Domini præcursorem in secundo eius aduentu. Dicitur ascédisse ab ortu solis, quia mittetur à Domino qui est sol iustitiæ, ad consolandos, & confirmandos Electos eo tempore quo atrocius fæuiet Antichristi persecutio, cuius etiam ille furori sese opponet, conatibusque obsistet, multosque de Iudæis conuertet ad Christû; Quod sanè prædictum a Deo fuerat per Malachiam illis verbis: *Ecce ego mittam vobis Eliam proph. tam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Clamauit autem voce magna ad Angelos paratos ad nocendum, quia Elias ardenti Spiritu, & forti constantique prædicatione, fraudibus, & conatibus Antichristi & ministrorum eius obsistens efficiet, ne illi plures homines seducant, & ad interitum pertrahant. Habebit autem Dei viui signum, siue, vt Græca vox significat, sigillum: Est autem Dei sigillum in prædicatoribus Christianæ fidei & Euangelij veritas doctrinæ, sanctitas vitæ, & miraculorum ad confirmandam, & persuadendam hominibus veritatem quam prædicant, effectio. Signare verò seruos Dei in frontibus, est Prædestinatis ad vitam æternam efficax Dei verbum prædicare, fidei lumen præbere, & in ea confirmare, ne simulatis Antichristi miraculis varijsque fraudibus fascinati & circumuenti, vna cum Reprobis in errorem etiam inducantur Electi.

4. Interpr. Victorinus Gagneius.

Locus Malachiæ ca. 4

Quinta Interpretatio quatuor 17 superioribus haud paulò probabilior, est Andreæ Cæsariensis: Quod inquit, dicitur in hoc loco de Angelo cohibente ne noceatur terræ, priusquam serui Dei signentur, est sane simillimum eius quod narrat Ezechiel Capite nono, Visum sibi esse quendam linea stola indutum, qui gementium frontes signabat, ne Iusti simul cum Iniustis interirent. Sunt enim Sanctorum virtutes sæpe occultæ, & ne ipsis quidem Angelis satis compertæ. Vidit igitur Ioannes per sublimioris virtutis & sanctitatis Angelum serió indici ac mandari qua-

5 Interpre. Andreas.

tuor

uor illis Angelis, ne quid prius con tra peccatores tenēt, quam Iustos per signaculū ab alijs distinctos videant. Ac licet possit hocquodammodo habere locum in Christianis Iudæam incolētibus, qui proximè ante Ierosolymitanum excidium, diuino monitu, Iudæa decesserunt, maximè tamen id locum habebit tēpore Antichristi, quando viuificç Crucis signum Fideles ab Infidelibus secernet. Tunc enim fideles intrepidè citràque ruborem signaculum Crùcis Christi in conspectu Impiorum deferent. Sed cur illi Angeli nocere volebant terræ, mari, & arboribus, cùm ista nihil peccassent; Consentaneum enim videtur, quorum tantùm culpa fuit his tantummodo etiam pœnam & supplicium infligi Sed nimirū creatura rationis expers, castigato homine, ipsa etiam castigatur: Sicut è diuerso, renouato & glorificato homine, ipsa quoque nouitatis eiusdem & gloriæ particeps erit. Hinc porro discimus, etiam virtute præstantes viros præsidio egere Angelorum, quo aduersus grauiores & violētiores tentationes firmentur atquè corroborentur. Signaculum autem Spiritus, quod homini contra tentationes a Deo donatur, eatenus vim suam exerit, & proficit, quatenus ei quisque collaborat. Quicunque igitur hoc auxilio destituuntur, propterea id non habēt vel eo priuantur, quia vna cum ipso cooperari & collaborare nolunt. Hactenus ex Andrea: Cuius Interpretatio, & sententia placet mihi prę cęteris. Sed, quia ad locum hūc planius declarandū, magisque illustrandum, quædam alia nobis se offerunt, commemorari & obseruari non indigna, ea nos in proximè sequentis disputationis tractatum conferemus.

†

QVARTA Disputatio.

Eplicatur Auctoris sententia de Angelo illo ascendente ab ortu solis.

EQuidē arbitror, per Angelum illum ascēdentēm ab ortu solis nequaquam intelligi debere Dominum nostrum Iesum Christum; idque tribus argumentis posse probari Principio, munus illud signandi seruos Dei in frontibus eorum, summæ dignitati Christi videtur indecens, minimèque condignum eius maiestate qui potestatem omnem habet in cœlo & terris: Sed propriè id muneris pertinet ad ministerium eorum Angelorum quos Apostolus vocauit administratorios Spiritus, à Deo missos in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis. Deinde, illud verbum pluralis numeri, *Quoadusque signemus*, indicat istum Angelum non solitarium, sed alijs pluribus Angelis comitatum venisse: & ipsos fuisse datos ei socios, quibuscum illud ministerium signandi seruos Dei per omnes terrę partes dispersos in frontibus eorum cuius perficerent: hoc autem de Christo dici non conuenit; est enim ipse Rex & Dominus Angelorum, neque ipse cum illis tanquam cum Socijs, suis versatur, sed tanquam seruis & ministris suis quæ faciēda sunt, mandat & imperat. Ad hæc, illud Dei *nostri*, satis ostēdit, qui hęc locutus est, nō fuisse Christum; nō enim ipse dixisset, Dei *nostri*, sed Dei *mei*, vel Patris *mei*, sicut ipse Discipulis suis dixit, *Ascendo ad Patrem*

18 *6. Interpretatio, quæ est Auctoris.*

Quis fuerit ille Angelus ascēdēs ab ortu solis.

Ad Hebr.

Ioan 20.

Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Nam etsi Deus Pater dicatur Deus & Pater tam Christi, quam aliorũm Sanctorum; non tamen vniuoca, sed longe diuersa ratione; Christi enim dicitur Deus & Pater, quod ab eo naturaliter genitus, naturam & substantiam Deitatis ab æterno accepit: Sanctorum vero Deus & Pater dicitur, quod eos gratuita voluntate sua per gratiam adoptauit in filios. Ergo Angelus ille non fuit Christus Dominus, nec proprie ipsum præfigurauit, sed is fuit Angelus præcipuus & primarius ex numero eorum Angelorum qui principales administri sunt Diuinæ prouidentiæ in procuranda & tuenda salute Electorum qui versantur in terris.

19 Cur verò iste Angelus dicatur ascendisse, & non potius descendisse de cœlo ad quatuor Angelos qui stabant super quatuor angulos terræ, & cur dicatur ascendisse ab ortu solis, satis profecto vtriusque rei congruam & idoneam rationem Ribera nos ster reddit huiuscemodi: Beato Ioanni in ea Visione quam tunc habuit, iste Angelus visus est ascendere, quia prius manebat in terris cum hominibus, quorum salutis procurandæ ac tuendæ curam gerebat: tunc autem visus est in sublime tolli, vt quasi ab omnib. videri, & audiri posset, id est, vt illi quatuor Angeli agnoscerent seruos Dei seruandos ab interitu, & ex sublimi Diuinæ prouidentiæ misericordia procedere, vt manentes in terris Electi, & cum Reprobis permixti seruarentur ipsi, alijs omnibus pereuntib. Visus aũt est ab ortu solis ascendere quia lucem & prosperitatem nunciare & adferre venerat, vt aduentu suo seruos Dei ab instanti perditionis periculo seruaret. Dicitur etiam habuisse signum Dei viui: signum nempe, id est, sigillum quo signa rebus imprimuntur, ad signandos videlicet frontes seruorum Dei; nam Græcè pro agno est σφραγίδα, significans propriè sigillum. Illud porrò Dei *viui*, dictum est vel ad distinctionẽ veri Dei a falsis Dijs, qui contra id quod fieri vult Deus tanquam mortui, inefficaces sunt atque impotentes. Vel sic dictum est ab effectu, quia istum Angelum miserat Deus ad viuificandum seruos suos, id est, ad seruandum eos a communi Reproborum exitio; Verbum enim viuificare pro verbo conseruare, multifariam vsurpatur in diuina Scriptura.

QVINTA Disputatio.

Exponitur Auctoris Interpretatio illorum verborũ; *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

Si libet opinari quod plures huius libri explanatores, opinati sunt, quatuor illos Angelos qui parati erant ad nocendum terræ, & mari, & arboribus, fuisse non bonos, sed malos Angelos, quos vocamus Dæmones; ex eo quod bonus Angelus dixit eis, *Nolite nocere*, licet existimare, quanta Dæmones ardeant cupiditate nocendi hominibus, maximè verò Seruis Dei: & ea potissimũ ratione nocendi eis, ne vẽti flare queãt super eos. Quod sanè secundum literalem sensum, ad certam perniciem exitiumque pertinet, tam hominum, quam animalium atque omnium in terra viuentium: Secun- 20

cundum verò spiritualem intelligentiam, ad maximum animarũ damnum, & perniciem spectat. Dęmones enim summopere student, & quoquo modo conantur impedire ne ventis spiritualibus afflentur & perflentur homines, id est, ne vera doctrina imbuantur, & assidua eius prædicatione quasi salubri quodam ventorum afflatu recreentur, ac vegentur, atque in veteri Dei fide roborentur. Omnino, quales quantasque vtilitates corporales tempestiuus ventorũ flatus mundo affert; tot, & tantas, quin etiam multo plures & maiores Catholici, & pij ardentesque diuini verbi prædicatores spiritualiter per flant Ecclesiæ. Illud porro, *Nolite nocere*, pro eo dictum est; Non permittitur vobis, sicut vultis, nocere: & licet magnam nocẽdi habeatis voluntatem, non tamen vobis à Deo potestas conceditur explendi illam nocendi voluntatem. Ex quo liquido intelligitur, Dæmonem nec quotiescumque vult, nec quantum vult, nocere posse hominibus: sed tunc duntaxat, & quantum vult Deus ei permittere: nec Deum nunquam permittere, cum seruorum suorum & Electorum detrimento quorum singularem habet tutelã & curam gerit: Nouit enim Dominus qui sunt eius, & nemo potest rapere de manu ipsius, quos ipse ab æterno signauit, gratuito eligens, & prædestinans ad vitam æternam; & in tempore signauit, qa quos prædestinauit, eos congruo tempore efficaciter vocauit, & iustificauit, & dono perseuerantiæ in obsequio & amore ipsius conseruauit vsque ad finem.

2 Tim. 2.
Rom. 16.
Ioan. 10.

21 In illis porrò verbis quæ dixit idem Angelus, *Quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Videtur habitus esse respectus ad tria valde similia in veteri testamento mirè facta, multumq; celebrata: primò, ad sanguinem Agni paschalis, quo domus Iudæorum in Ægypto habitantium signatæ sunt, vt ab Angelo omnia primogenita Ægyptiorum occidente, prorsus illæsi & intacti esse possent. Deinde, ad mysterium laminæ aureæ, quæ in fronte Pontificis Iudæorum erat, scriptum habens sanctum Dei nomen: tum ad signum Tau, quod vidit Ezechiel gementium, & innocentium hominum frontes signari, vt communem populi cladem euaderent. De primo ita scriptum est Exodi 12. *Sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedet illum, & transibo per terram Aegypti. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando per cussero terram Aegypti.* De secundo autem in eiusdem libri cap. 28. hæc sunt Dei verba; *Facies laminam de auro purissimo in qua sculpes opere cœlatoris, Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis. Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit ei Dominus.* De tertio autem ipsemet Ezechiel qui eam visionẽ habuit, hæc in Capite nono scripta reliquit: *Vocauit Dominus virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis, & dixit Dominus ad eum Transi per mediam Ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. Percutite, non parcat oculus vester, nec misereamini: omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis.*

De isto autem signo Tau, de quo supradicta verba scripsit Ezechiel, breuem, sed eruditam reperiet Lector disputationem apud Sixtum Senensem in libro secundo Bibliothecæ sanctæ, vbi etiam ille hoc annotauit, & Bea- 22

ti Hieronymi testimonio affirmauit, antiquitus, & ante Babylonicam captiuitatem, litteras Hebraicas, à Moyse videlicet acceptas, diuersas habuisse figuras quàm nûc habent in alphabeto Hebraico. Post reditum etenim Iudæorum à captiuitate Babylonica Esdras litteras Hebraicas Iudæis omnino communes cum Samaritanis, hominibus impijs, & infestis Iudaici nominis hostibus, in alias formas trèsfigurauit: vt litteræ hœbraicæ numero, ordine, sono, & significatione similiter à Iudæis, atque Samaritis vsurpatæ, saltem figura ipsa discreparent, eaque ratione vsus earum apud Iudæos, & Samaritas diuersus esset. Putat igitur Sixtus litteram Tau, quæ vltima est alphabeti Hebræi, ante istam transfigurationem litterarum ab Esdra factam, habuisse similitudinem & figuram Crucis, & eo signo signatas fuisse tempore Ezechielis frôtes gementium, & dolentium, vt per id signum eriperentur illi communi ciuitatis suorumque popularium excidio: eodèmque ait signo Crucis signandos esse seruos Dei, de quibus apud Ioannem in Apocalypsi dixit Angelus habens signû Dei viui, *Quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Iam igitur olim signum Crucis symbolum fuit viuificæ Crucis Christi, per quam redemptio mundi & salus humani generis facta est. Eius inscriptione signi mysticè significabatur fore, vt nullus æternæ mortis supplicium effugere posset qui signaculo Crucis Christi insignitus non esset id autem est, qui animo suo impressam non haberet fidem Crucis, Passionis, & mortis Christi; quique exterius in fronte, quæ interioris animi fiduciæ atque constantiæ index est, signatam non haberet Crucem Christi, hoc est, aperta fronte Christi Crucem intrepidè confiteretur, ac profiteretur, & in ea omnem salutis & gloriæ suæ spem collocatam habês, & cum Paulo docês, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* De quo Dominus milites suos adhortans dixit, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me* Hoc nempè signum est certæ victoriæ, & triumphi de hostibus tam visibilibus quàm inuisibilibus reportandi, quo quicumque fuerit insignitus & munitus, nec mundus, nec Mors, nec Satanas, nec portæ inferi aduersus eum præualere poterunt.

Ad Gal. 6.

Lucæ 16.

SEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

Et audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signatum ex omni tribu filiorum Israel. *VERS. 4.*

Sit prima horum verborû Interpretatio quam plerique huius libri explanatores tradût, Ambrosium dico, Andream, Primasium, Bedã Haymonem, Ansbertum, Anselmum, Ricardum, aliósque complures. Aiunt isti, supradicto numero signatorum significatum esse omnem numerum Electorum, qui duodecim Patriarcharû vel secundum carnalem generationem, vt Iudæi, vel secundum fidei imitationem vt Gentes ad Christum cõuersæ, filij censentur. Hinc apparet, multo plures fuisse signatos in frontibus quàm qui isto numero denotati sunt; sed isto potissimû numero esse significatos, quòd iste modi numerus multis de causis sacer, multisque mysterijs refe-

1. Interp. Primasius. Ambrosius Andreas. Beda. Haymo. Ansbertus. Anselmus. Ricardus.

fertus fit. Sed cũ Electorum multo plures sint ex Gentilismo, quã ex Iudaismo, cur omnes Electi hoc loco dicuntur ex tribubus filiorũ Israel? Ad hoc ita respondent Ambrosius, Primasius Andreas, & alij si interpretationes nominum duodecim Patriarcharum, a quibus denominantur duodecim Tribus filiorum Israel, considerentur, per nomina duodecim Tribuum, omnes Dei Electos designari, & figurari comperiemus: nomen enim cuiuslibet Tribus aliquam designat proprietatem eorum qui electi sunt. Interpretationes porrò nominum Patriarcharum & tribuum fuse hoc loco Ambrosius, & ante eum Primasius, & post eos Dionysius Carthusianus exponũt; quas nos tamen consultò, ne vbi minime opus est, longiores simus referre supersedemus.

Mysteria numeri signatorum.

23 Quot verò, & quanta, & qualia in isto numero centum quadraginta quatuor millium contineantur mysteria, hunc in modum declarant. Principio, numerus ternarius summum hominis bonum significat, Sanctæ Trinitatis videlicet beatificam visionem. Quaternarius item numerus sacer est propter quatuor Euangelia, quatuor flumina Paradisi & quatuor virtutes cardinales, alterutro igitur horum numerorum in alterum ducto efficitur duodenarius, etiam ipse numerus valde sacer, propter duodecim Patriarchas, & duodecim Apostolos, & quia ciuitas cœlestis Ierusalem visa est à B. Ioanne, vt ipsemet refert infra Capite 21. habere duodecim fundamenta & portas duodecim, & duodecim ambitus sui stadia. Millenarius præterea numerus vniuersitatem significat, vnde in Psalmo centesimo quarto scriptum est, *Et verbi quod mandauit in mille generationes.* Ecclesia igitur quæ per fidem Trinitatis ex cunctis nationibus congregatur, & quatuor Euangeliorum doctrina eruditur, quatuorque virtutibus principalibus quæ vocantur cardinales, ornatur atque confirmatur, & per quatuor mundi partes distenditur, rectè in duodenis millibus figuratur. Sed vt in eo quod credit perficiatur, necesse est, vt duodenarius millium numerus quadra soliditate firmetur. Ducantur ergo duodecim millia per quatuor, & fient quadraginta octo millia. Vt ergo quod credidit, ad Trinitatis visionem pertingat, rursus quadraginta octo millia ter multiplicentur, & reddent centum quadraginta quatuor millia. Centenarius porrò numerus, quoniã a læua transfertur ad dexteram, generalem Sanctorum numerum designat; qui in Operis perfectione inuenti, ad dexteram Iudicis sunt collocandi. Quin etiam semen Dei cadens in terram bonam, tulit fructum bonum, non modo trigesimum, & sexagesimum sed etiam centesimum: vt eo numero summa operis perfectio significetur: Is enim numerus ex denario, qui etiam ipse perfectus est, in seipsum ducto constat. Sic isti disputant de mysterijs, quæ in supradicto numero centum quadraginta quatuor millium continentur. Putant itaque positum esse hoc loco numerum definitum pro indefinito; multo enim plures, quam hic signati esse dicuntur esse signandos: sed indefinitam eorum multitudinem isto numero, propter mysteria quæ in eo latent, esse denotatam.

Genes. 2. *Matth. 25.* *Matth. 13.*

Aureolus & Lyranus, vt suprà dictum est, ea quæ narrantur in hoc Capite septimo, referunt ad id temporis quo ad Romanum Imperium assumptus Constantinus Magnus, debellatis Tyrannis Christianorum persecutoribus, incredibilem Ecclesiæ ac populo Christiano lætitiam, & pacem, bonorumque copiam attulit.

Aureolus. Lyranus.

lit; Quod igitur hic dicitur de centũ quadraginta quatuor millibus signatis, interpretantur isti de plurimis qui tempore Constantini, vidētes tantam tamque insperatã Christianorũ prosperitatem, & à Deo moti, ad Christi fidem conuersi sũt & seruati ad vitam æternã. Et Aureolus quidē opinatur illa centum quadraginta quatuor millia significare Iudeos eo tempore conuersos à Iudaismo ad Christum; non quod plures non fuerint sed quòd eorum multitudo isto numero, propter mysticã eius significationē designata sit. Sed hæc Aureoli opinio nō placuit Lyrano. Non enim, inquit, videtur credibile, tot millia Iudæorum, qui obstinati erant in sua perfidia, fuisse illo Cōstantini tēpore ad Christũ conuersa. Adijce, quòd Beatus Ioãnes hoc loco dixit, ex qualibet duodecim Tribuum Israel duodecim milliũ esse signatã constat autem, decem Tribus Israel quæ vltra Caspios mōtes ductę sunt in captiuitatem, nunquã postea esse reuersas. Similiter quod subdit Ioãnes de innumerabili turba hominũ ex omni gente non pertinet ad gētes tempore Constantini conuersas ad Christum, sed ad Beatos, qui post magna laborũ certamina in terris pro Christo superata, victores in cœlis triumphant vt ipsa verba quæ de eis dixit Ioannes hoc loco, apertè declarant. Lyranus igitur existimat conuenientius esse, vt per ista centum quadraginta quatuor millia intelligamus omnes qui tempore Cōstantini tã ex Iudaismo, quàm ex Paganismo ad Christi fidem adducti sunt quos Ioannes appellauit filios Israel, nō secundum carnem videlicet, sed secundùm spiritum, quemadmodũ loquitur Isaias Capite quadragesimo quarto, & Paulus in Capite 2. 4. & 9. Epistolæ ad Romanos. Putat etiam ipse positum esse hic determinatum numerum pro indeterminato. Hæc illi.

Lyranus. Contra Aureoli opinionem.

SEPTIMA Disputatio.

Explicatur Auctoris sententia de istis centum quadraginta quatuor millibus signatis.

3. Interpretatio quæ est Auctoris.

25 QVia ostendimus supra in prima Disputatione super hoc caput, ea quæ in hoc septimo Capite narrantur, propriè ad nouissima mundi tempora pertinere, præsertim verò ad id temporis quod proximè & persecutionem Antichristi subsequitur, & antecedet consummationem Mundi: planè consequens est maximèque congruum, vt per istos centum quadraginta quatuor mille tunc signandos, significari putemus eos qui tunc seruandi, & ad vitam æternam perducendi sunt. Istos porrò non alios fore nisi Iudæos ad Christũ ex Iudaismo tunc conuersos, & prædestinatos ad vitã æternam, manifestius esse videtur quàm vt negari, vel etiam in dubio poni queat. Hoc sanè Beatus Ioannes perspicuè indicauit, non solùm eos appellans hoc loco ex omnibus tribubus filiorum Israel, verùm etiam distinctè, exactèque declarãs quot numero ex vnaquaque Tribu signati & seruati fuerint: quod de his qui non sunt veri Iudæi secundum carnalem generationem, sed tantùm per mysticam quandam & spiritualem intelligentiam congruè intelligi non posset. Quin etiam idem Ioannes, vt ab istis Iudæis ex omni Tribu signatis distingueret innumerabiles alios ex cunctis gētibus electos, mox subdidit, *Post hæc vidi turbam magnam, quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & Tribubus, & populis, & linguis.* Hoc etiam quòd diximus sēsit Beatus

tus

S. Irenæus. rus Martyr Irenæus, qui in libro 5. aduersus hæreses scriptū, reliquit, quia Antichristus futurus erat Iudæis, & nasciturus ex tribu Dan, proprerea Beatum Ioannem in hoc loco Apocalypsis recensendo Tribus Israel, & eos qui ex omni Tribu signati & seruati erant, præter misisse Tribum Dan. neque vllos ex ea Tribu signatos & seruatos commemorasse Quæ ratio Irenæi si Beatus Ioannes de veris Iudæis, & à duodecim Patriarchis per duo decim Tribus secundum carnalem generationem descendentibus, nō esset locutus; futilis profecto ac nihil esset. Andreas quoque Cæsariēsis, licet antea per istos centum quadraginta quatuor mille signatos significari dixisset omnes in vniuersum præsentis Ecclesię electos tam ex Iudaismo, quam ex Paganismo; idem tamen paulò pòst conueniés esse putat, per istos significari Iudęos qui sub finem mundi ad Christum conuertendi sunt, sic enim scribit: Nobis verisimiliùs fit, istos signatos in frontibus ex omni tribu Israel, eos fore q. sub sœculi cōsummationem ex Iudæis per fidē saluabuntur; quando nimirum, iuxta Apostoli sententiam, postquam Gentium plenitudo ad Christi fidem ingressa fuerit, omnis quoque Israel saluus fiet. Sic Andreas. *Andreas.* *Ad Ro. 11.*

26 Ad huius etiam nostræ confirmationem sententiæ valet plurimum quod in sacris litteris testatū est, Iudęos denique ante mundi finem per Eliæ prædicationem cōuersos ad fidem Christi, saluos fore: Hoc nempe Malachias prædixit verbis illis; *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Et in quadragesimo octauò Capite libri Ecclesiastici scriptum est, Eliā venturum lenire iracundiam Dei & restituere tribus Iacob. Eodem *Malach. c. 4.* spectat illud quod Matthęus refert Dominum dixisse, *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Hoc ipsum ex antiquissima traditione, & Patrum auctoritate, cunctis fidelibus persuasum est: Audiat lector vnius de multis Beati Augustini in vigesimo tertio Capite, libri vigesimi de Ciuitate Dei super hac re sententiam, Per Eliam, inquit, exposita sibi lege, vltimo tempore ante Iudicium, Iudæos in Christum verum esse credituros, creberrimum est in sermonibus, cordibúsque Fidelium. Horum similia scribunt Theodoretus in XII. Caput Danielis, & in vndecimum Caput Epistolæ ad Romanos & Beatus Gregorius homilia 12. in Ezechielem. Si ergo Iudæi sub finem mundi ad Christum conuertendi & seruandi sunt, quis non credat Beatum Ioannem hoc loco de istis Iudæis locutū esse, cū recēsuit omnes, qui tunc ex omni Tribu Israel signandi & seruādi sunt? *Matth. 17.* *S. August.* *Theodoret.* *B. Gregorius.*

OCTAVA Disputatio.

An Iudæi ad fidem Christi conuertendi & saluandi non plures centum quadraginta quatuor millibus futuri sint.

27 NOn plures fore istis cētū quadraginta quatuor millibus Iudęos qui nouissimo mundi tempore signandi, & seruandi sunt, nō modo probabile, sed propemodùm esse certum videtur. Id enim apertis & conceptis verbis dixit hoc loco Beatus Ioannes, non solùm vniuersam eorum multitudinem in commune isto numero circumscribens; verum etiam distinctè ac definitè ostendens, quot nu-

mero ex vna quaque tribu signandi & seruandi sint, duodecim videlicet millia. Cum igitur hoc tam perspicue expresseque dicat Beatus Ioannes, cumque litteralem sensum Scripturæ quærentibus non sit recedendum a propria verborum significatione, & ad mysticas eorū significationes atque interpretationes confugiendum; satis apparet, de numero Iudæorum in fine mundi saluandorum, ita vt dictum est, & a Beato Ioanne scriptum, sentire oportere. Videtur itaque circa futuram tunc Iudæorum conuersionem ad Deū, vnum hoc esse Beato Ioanni reuelatum, quod prioribus in Veteri Testamento Prophetis manifestatum non fuerat. Nam licet etiam illi futuram Iudæorum, ante consummationem mundi conuersionem ad Deum, cognouerint atque prædixerint; quantus eorum tamē Iudæorum qui tunc salua di erūt futurus sit numerus, non cognouerunt, scripto certè non prodiderunt: id verò in hac Visione patefactum est Beato Ioanni. Vnde ipse dixit: *Et audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia, ex omni tribu filiorum Israel.* Hæc sententia Francisco Riberæ probabilissima est visa: nec putat ipse mirum cuipiam videri debere quod non plures tunc Iudæi conuertendi & saluandi sint; tum quia bellicis cladibus, alijsque compluribus, magnisque calamitatibus eo tempore futuris, plurimi Iudæorum absumendi sint, solique isti centum quadraginta quatuor mille, aut penè soli tunc superstites futuri sint: tum etiā, quia plurimi Iudæorum Antichristum tanquam Messiam recepturi sunt, sicut Iudæis exprobauit Dominus illis verbis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Istum alium antiqui Patres quidē Antichristi aduentu scripserunt, ipsum Antichristum interpretati sunt. Vt mirum potius videri debeat, ex tanta Iudæorum multitudine, qui Antichristum sectaturi sunt, fore centum quadraginta quatuor millia quæ ad Christum conuertantur, æternamque salutem consequantur.

Ribera.

Ioan. 5.

Ex aduerso autem, alij omnes huius libri explanatores, tam qui hæc de Iudæis, quam qui de Electis in commune siue Iudæis, siue Gentilibus, interpretati sunt, arbitrantur, multo plures fore tunc signandos, & saluandos, quam qui numero isto centum quadraginta quatuor millium designati sunt. Putant itaque, positum esse numerum definitum pro indefinito, quod alibi non semel fit in diuina Scriptura: & maximam sed incōpertam nobis, eorū omnium qui tunc saluandi sunt, multitudinem, isto numero esse denotatam, propter multa quæ in eo numero latent mysteria, ad Electorum, ac saluandorum proprietates ac virtutes insinuanda, mirè pertinentia, de quibus mysterijs supra copiosè dictum est. 28

Cōmunis sententia.

Hæc mihi probabilior fit sententia. Non enim procliue creditu est, Iudæos in fine mundi saluandos eodem prorsus numero ex omni tribu esse saluandos; vt ne vno quidem, vel plures, vel pauciores ex tribu Iuda, quam ex tribu Ruben, aut Leui, aut Beniamin, aut alia quauis saluandi sint; quin potius illa numeri saluandorum ex vnaquaque tribu tam exacta æqualitas numero duodecim millium designata, satis indicat; quæ de isto numero dicta sunt, non propriè, neque, vt verba sonant, sed figuratè, ac mysticè accipienda esse. Deinde, cum in enumeratione tribuum Israel, ex quibus memorantur, illa centum quadraginta quatuor millia signatorum, prætermissa sit Tribus Dan; quis facilè credat, nullū 29

Auctoris sententia.

ex Tribu Dan Iudæum tunc saluum fore,&.istam Tribum ex toto, atque omnino esse damnandam. Nam etsi, quia creditur ex Tribu Dan futurus esse Antichristus,quidam putant, omnes illius Tribus Iudæos tunc adhæsuros Antichristo; postea tamen,per Eliæ prædicationem, sicut ex alijs Tribubus,ita ex hac etiam multi, vel saltem aliqui conuertentur ad Christũ:præsertim verò post mortem Antichristi cum videbunt, se opinione sua, speque frustratos, quod antea Antichristum credidissent esse Messiam, & feliciter in vniuerso Mundo regnaturum esse sperassent.

30 Rationem porro mysticam, cur saluandorum Iudæorum ex vnaquaque Tribu recensita sint duodecim millia, licet reuera plures futuri sint, Andreas Cæsariensis reddit huiuscemodi: exacta,inquit illa ex quavis tribu signandorum æqualitas, Apostolici seminis multiplicationem insinuat, siquidem numerus duodenarius duodecies multiplicatus, prædictorum duodecim millium numerum integrè absoluit. Apostoli namque Christi fuere Discipuli, id est, illius diuini grani per vniuersum mundum satores,quòd in terra lapsum,multiformẽ pro sua clementia salutis fructum vniuerso terrarum orbi progenuit. Côuenienter itaque supradictus duodecim millium numerus signandis ex vnaquaque Tribu,seruandisque Iudæis assignandus est; tum ob duodecim Hebræorum Patriarchas,illarũmque Tribuum principes, tum etiam propter duodecim Apostolos,qui illorum loco cõstituti sunt Principes super vniuersam terram sicut in Psalmo quadragesimoquarto scriptum est, *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnẽ terram.* Quin etiã per Apostolos,& Apostolicæ doctrinæ prædicatores,salui facti sunt Iudæi & fient salui vsque ad finem mundi,quicunque iam salui sunt, vel deinceps saluabuntur vsque ad cõsummationem mundi. Hactenus ex Andrea.

Andreas.

Matth. 13.

31 Cæterũ,illud ad huius nostræ sententiæ confirmationẽ præualidum est argumentum. Beatus enim Paulus in capite XI. epistolæ ad Romanos perspicuè asserit,postquam plenitudo Gentium intrauerit ad fidem Christi,tunc fore vt omnis Israel saluus fiat; quod Apostoli dictum omnes interpretãtur de vniuersali Iudæorum vberatione, & conuersione ad Christũ proximè ante finem mundi futura. Cuius simile est quòd Dominus dixerat *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Istud certè signum vniuersalitatis (*Omnis*) & (*Omnia*) secũdum loquendi consuetudinem ipsius diuinæ Scripturæ significat aut simpliciter omnes nullo excepto, aut fere omnes, paucissimis videlicet exceptis,qui præ multitudine aliorum pro nihilo ducantur. Beatus certè Chrysostomus super eo loco Pauli apertè scribit, vniuersos Iudæos tunc ad fidẽ Christi accessuros, & super eodem loco Beatus Thomas ait particulariter aliquos tunc Iudæos non tantum, sed vniuersaliter omnes conuersum iri ad Christũ, & saluos fore: & hanc Beati Thomæ sententiam duo eius nobiles in primis discipuli, Caietanus & Sotus in Commentarijs suis in Epistolam ad Romanos,& super eo ipso quem diximus epistolæ loco; secuti sunt. Si igitur omnes Iudæi, aut fere omnes qui tunc erũt saluandi sunt; cùm tanta sit Iudæorum per omnem terrarum orbem dispersorum multitudo, nequaquã verisimile sit, fore duntaxat centum quadraginta quatuor millia saluandorum.

Matth. 17

Chrysost.

S. Thomas.

32 Sed enim, Ribera dupliciter ad supradictum Beati Pauli testimonium respondet. Primò ait, omnes qui tunc erunt, Iudæos, non plu-

Riberæ responsio discutitur.

plures fore istis quadraginta quatuor millibus, alijs quamplurimis eorum per clades bellicas, aliasque calamitates contritis atque consumptis. Verùm gratis istud dicitur, non enim id fidem habet vel ex ipsa diuina Scriptura, vel ex antiqua Traditione, vel ex probatis historijs, dignisque fide Scriptorum auctoritatibus. Quam ob rem, ne ipse quidem Ribera in ea responsione acquiescit, sed alteram, quæ videtur ei valde probabilis, subdit huiusmodi: Cum Paulus dixit, omnem Israelem tunc saluum fore intellexit omnem Israelem secundum spiritum, & qui prædestinatus erit ad vitam æternam; omnes enim tales Israelitæ proculdubio salui erunt. Etenim, ista responsio supradictam sententiæ nostræ rationem illo Pauli testimonio nixam & fultam, nequaquam infirmat. Nam quod omnes Iudæi qui sunt in fine mundi saluandi futuri sint tantùm illi qui erunt prædestinati ad vitam æternam, & vicissim omnes qui tunc erant prædestinati ex Iudæis, & non alios fore saluos, extra controuersiam est, nec dubitari a quoquam, ne dum negari potest: at verò quod omnes qui tunc erunt prædestinati, & saluandi, non sint futuri plures istis centum quadraginta quatuor millibus, nec probatur ab ipso, nec opinor, probari posse. Quod si Beatus Paulus cum dixit, omnem Israel tunc saluum fore, non de omnibus Israelitis, sed restrictè tantùm de prædestinatis intellexit, nihil profectò præcipuum, nihil eximium, nihil singulare dixisset de illa insigni Iudæorum conuersione, quæ in fine mundi futura est: nam istud ipsum verè licet dicere de conuersione Iudæorum quæ tempore Christi & Apostolorum facta est; tunc enim etiam omnis Israel saluus fuit, omnes enim Israelitæ qui eo tempore fuerunt, & erant prædestinati, ad Christum conuersi, & salui facti sunt. Immò verò in omni mundi ætate verum esset dicere, omnes Iudæos, qui in ea ætate sunt, conuerti ad Christum, & saluari, quod tamen consuetudo & vsus loquendi, neque in diuina scriptura, neque in Ecclesia Christi habet. Et verò, Apostolus, eo loco non id agit vt ostendat Israelitas qui prædestinati erunt, in fine mundi saluos fore, id enim cuivis manifestum erat, & de Israelitis cuiuslibet temporis dici poterat: sed Apostolus id potissimum vult ostendere, licet plerique Iudæi in primo Christi aduentu, ac deinceps, in cœcitate infidelitatis permanserint, paucissimis eorum ad Christum conuersis; in fine tamen mundi omnes diuinitus illuminatos, conuersum iri ad Christum, & fore saluos; omnes, inquam, vel simpliciter, vel ferè omnes, paucissimis exceptis, qui præ multitudine conuersorum pro eo quasi nulli essent; habendi sunt.

†

NO-

NONA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 5. usque ad 9. *Ex Tribu Iuda duodecim millia signati. Ex Tribu Ruben duodecim millia signati. Et Tribu Gad duodecim millia signati, &c.*

Cur Beatus Ioannes recensens hoc loco Tribus Israel, non recto eas ordine commemorauit.

33 SVper enumeratione Tribuum Israel, quam hoc loco facit Beatus Ioannes, tria sunt quæ nonnihil habent difficultatis, triplicemque mouent quæstionem. Prima quæstio est, cur Beatus Ioannes in recensendo Tribus Israel rectum earum Tribuum ordinem non seruauerit, qui est secundum ordinem generationis & natiuitatis duodecim Patriarcharum qui earum Tribuum principes & conditores fuerunt. Ioannes etenim hoc loco primum nominat Iudam, secundum autem, Ruben; cùm fuerit hic primus, ille verò quartus: tertio item loco ponit Gad, & quarto loco Aser, sed ille, si rectum ordinem spectes, fuit septimus, hic autem octauus. Rectus porrò istarum Tribuum ordo secundum ordinem temporis natiuitatis Patriarcharum, sicut ex Capite vigesimo nono & trigesimo libri Genesis cognoscere licet, est huiusmodi. Primus fuit Ruben, secundus Simeon, tertius Leui, quartus Iuda, quintus Dan, sextus Nephthalin, septimus Gad, Octauus Aser, nonus Issachar, decimus Zabulon, vndecimus, Ioseph, duodecimus & vltimus Beniamin.

Quæritur itaque, cur Ioannes hunc ordinem non seruauerit recensendo Tribus Israel. Respondet Ambrosius, Ioannem seruasse ordinem non carnalis generationis, sed quem significant nomina Patriarcharum secundum eorum mysticam significationem, spiritualemque intelligentiam. Nomina enim Patriarcharum rectè interpretata significant virtutes & proprietates quasdam spirituales Iustorum, eo inter se ordine dispositas, quo ordine hic duodecim Tribus commemorauit Beatus Ioannes. exempli causa, inquit, Ambrosius, primus ponitur Iudas, quod nomen Confessionem significat, quia quicumque post peccata conuerti ad Deum cupit, necessum est, vt primo confiteatur peccata sua, sicut Iacobus Apostolus monuit dicens, *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Iacob. 5. Quoniam vero, qui benè pœnitet, & deflet mala quæ fecit, gaudium facit in cœlo, & Luc. 15. oculos misericordiæ Dei ad se conuertit, Dominus enim dixit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Zachar. 1. Idcirco Ruben secundo loco ponitur, qui Filius visionis interpretatur: per veram enim pœnitentiam, visionis filius fit, qui antea per peccata filius erat perditionis. Sequitur tertio loco Gad, quod nomen significat accinctum, & quasi ad bellum dimicationemque paratum: necesse enim est, vt quem pœnitet mala fecisse, & petit ne rursus in eadem mala relabatur, contra omnia vitia perpetuo accinctus, & armatus sit, voluptatesque carnales à se præcidat, non enim fieri potest vt à peccatis abstineat, qui carnalium voluptatum

tum delectatione capitur. Sed non ero longior percensendo quæ de interpretatione aliorum nominũ Patriarcharum non inscitè tractat Ambrosius, petat ea Lector ex ipso Ambrosio. Verùm satis apparet, istam Ambrosij expositionem non esse litteralem, sed mysticam; nec rationem ordinis hic seruari a Beato Ioanne, quem ipse tradit, historicam esse, qualem scilicet nos hoc loco requirimus.

Ribera coniectura.

34 Videri posset non esse improbabilis nostri Riberæ coniectura opinantis, seruatum esse hic a Beato Ioãne in enumeratione Tribuum ordinem generationis, & natiuitatis earum, non quidem carnalis, sed spiritualis, id est, futuræ in fine mundi earũ conuersionis ad Christum, vt quo ordine nominatę sunt hoc loco Tribus Israel, eodem temporis ordine tunc illę sint ad Christum conuertendæ, & quæ priori loco hic recensetur, prius etiam conuertenda sit; & quæ posteriori loco, posterius. Quamobrem meritò Tribus Iuda primo loco memoratur, quoniam prima ipsa, & ante alias omnes tribus tunc fidem Christi accipiet, cæterisque Tribubus promptior erit ad credendum in Christum, tamquam ex se ortum, & sibi præcipuè promissum, magisque ad se, quam ad alias Tribus pertinentem: quemadmodum etiam Tribus Iuda ante alias omnes Tribus venit Hebron, & ibi Dauid vnxit Regnum, vt scriptum est in secundo Regum Capite secundo: prima etiam profligato exercitu Absalonis, Dauidem reduxit victorem, vt in eiusdem libri capite vigesimo traditum est. Quod autem diximus de Tribus Iuda, idem dicendum est de ordine temporis, quo in fine mundi aliæ Tribus Iudæorum conuertendæ sunt ad Christum, Ruben enim post Iudam, & ante Gad conuertetur, & Gad ante Aser, & sic deinceps conuertentur aliæ Tribus, eo nempe temporis ordine quo hic dispositæ sunt. Sic Ribera.

Excutitur opinio Riberæ.

35 Sed enim, licet hęc Riberę coniectura nonnullam in Tribu Iuda speciem probabilitatis habere videatur, in alijs tamen Tribubus nullam prorsus habet, nec ratio vlla potest adferri, cur Tribus Rubẽ tunc prius cõuertenda sit ad Christum quàm Tribus Gad, & hæc quam Tribus Aser, & hæc quàm Tribus Nephtalin, & Zabulon, & sic deinceps. Videtur itaque, quod dictum est de ordine temporis futuræ conuersionis Iudæorum in fine mundi, cum sine probabili vel ratione, vel auctoritate dicatur, gratis esse dictum, nec fidem mereri. Quin magis verisimile sit, Iudæos in fine mundi, per Eliæ prędicationem, permistè multos ex diuersis Tribubus simul esse conuertendos; vno videlicet die aliquos, & alio die alios, & sic deinceps, quoad ex cunctis Tribubus Iudæi omnes, aut plerique omnes conuertantur ad Christum. Mihi videtur, non esse hoc loco scrupulosè atque anxiè requirenda ratio cur hoc loco in enumeratione Tribuum Israel rectus earum ordo seruatus non fuerit, cum alijs etiam in locis sacræ Scripturæ, in quibus fit istarum Tribuum commemoratio, rectus iste ordo seruatus non sit, vt videre licet in libro Genesis Capite quadragesimo nono, vbi Iacob benedixit filijs suis, qui Patriarchæ fuere istarum Tribuum, & in libro Numerorum Capite secundo, & decimo, in dispositione vexillorum quæ Tribus istæ ferebant in castris: & in libro Iosue non semel in sortitione ac diuisione Terræ sanctæ, secundùm numerum illarum Tribuum.

DE

DECIMA Disputatio.

Cur in enumeratione Tribuum Israel quæ fit hoc loco, prætermißa sit Tribus Dan, nec nominata sit Tribus Ephraim.

36 TRium quæstionum quas initio proximæ superioris Disputationis posuimus, primam in ea ipsa Disputatione iã explicauimus: sequitur nunc vt secundam quæstionem tractemus, ea verò huiusmodi est: Cùm Tribus Dan vna fuerit, ne infima, de Tribubus Israel, nec minus Samsone iudice, quàm Tribus Beniamin Rege Saule nobilitata; cur eã B. Ioannes in hoc loco, recensens alias omnes Tribus, tacitam omnino præteriuit. Ad hanc quæstionem communis & concors omnium libri huius Interpretum responsio est, istã Tribũ fuisse consultò hic a B. Ioanne prætermissam in odium & detestationem Antichristi, qui futurus est Iudæus, & ex Tribu Dan nasciturus. Hoc in Commentariis suis in Apocalypsim, & super hoc ipso loco tradunt Andreas, Beda, Haymo, Ricardus, Anselmus, Rupertus, alijq; complures. Futurum porrò Antichristũ ex Tribu Dan, antiquissima fuit traditio, & a multis Veterum nobiliumq; Scriptorum memoriæ traditũ est. Id enim Scriptum reliquit Beatus Martyr Irenæus in libro quinto aduersus Hæreses, Hyppolytus item Martyr in Oratione de Consummatione mundi, & Ambrosius in libro de Prædictionibus Patriarcharum Capite septimo, & Augustinus quæstione 22. in Iosue, Prosper quoq; in opere de Promissionibus Dei, parte quarta, necnon & Theodoretus quæstione vltima in Genesin, Beatus etiam Gregorius lib. 30. Moralium, Cap. 18. Etenim Thostatus in Caput 49. Genesis incertum esse scribit, quod vulgò fert de Antichristo ex Tribu Dan futuro: Hieronymus verò Oleaster longius etiam procedens fabulosum, id esse ausus est dicere: Audi Lector eius verba, licet ea vix sine stomacho scribi, aut legi queant: Qui, inquit, Antichristum dicunt futurum ex Tribu Dan, nihil dignum auctoritate aut fide afferunt, Quocirca malo ignorantiam meam fateri, quam fabulosa referre. Sic ille. Sed quale obsecro est, antiquissimam in populo Dei Traditionem, & tot tantorumq; Scriptorum consensu firmatam aspernari, & quasi commentum & fabulam pro nihilo ducere.

Antichristum futurũ ex Tribu Dan, à quibus sit traditum.

Thostatus.

Oleaster.

Cæterùm, supradicti auctores tribus diuinæ Scripturæ testimonijs probant ex Tribu Dan futurum Antichristum. Primum testimonium ex illis verbis petitũ est, quibus Iacob benedixit filio suo Dan dicens, *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia Tribus in Israel: fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordẽs vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro: Salutare tuum expectabo Domine.* Quemadmodum autẽ hæc verba spectent ad Antichristum, & ad eum accommodari queant, declarat Theodoretus in quæstione vltima in Genesin, & B. Greg. in libro 30. Moralium, Cap. 18. & nos in quarto Tomo Commentariorũ nostrorum in Genesin, super Caput quadragesimum nonum & in explanatione illorum verborum Iacob. Sed profectò illud testimonium non admodum est firmum ad id quod de Antichristo supradicti Auctores dicunt, probandũ. Iacob enim illis verbis loq. videtur, 37

Exponuntur tria Scripturæ testimonia quod Antichristus sit futurus ex Tribu Dã.

secun-

secundùm historicum sensum, de Samsone, qui fuit ex Tribu Dan, & Iudex populi Hebræi, is enim verè fuit hostibus Hebræorum tā quam coluber in via, nam subinde occursans eis, valde infestauit & afflixit eos. Lubet hic adscribere breuem sed concinnam Beati Hieronymi in Quæstionibus Hebraicis in Genesim eorum verborùm interpretationem, quæ est hùius modi, Samson, Iudex Israel, & de Tribu Dan fuit. Dicit ergo Iacob istis verbis, Nunc Domine videns in spiritu comam nutrire Samson Nazareum tuum, è cęsis hostibus triumphare, & quod in similitudinē colubri, & reguli obsidētis vias, nullum per terram Israel transire permittat, sed etiam, Si quis temerarius virtute sua quasi equi velocitate cōfisus, eam voluerit prædonis more populari, effugere non valebit. Videns itaque ego in Spiritu tam fortem Nazareum tuum Domine, & quod ipse propter meretricem mortuus est, & moriens populi sui hostes occidit; putaui, ò Domine, ipsum esse Christum filium tuū Verùm quia mortuus est, & non resurrexit, & rursum captiuus ductus est Israel; intellexi, alium mihi Saluatorem generis mei, & totius mundi præstolādum esse, & ipse erit expectatio Gentium. Hæc Hieronymus.

S. Hierony.

38 Secundum Scripturæ testimonium sumptum est ex illis verbis Hieremiæ, *A Dan auditus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra, & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius*. Ex his verbis & futurum ex Tribu Dan, & magno cum exercitu, equestri pariter, atque pedestri venturum. At enim Ieremias illis verbis, secundum historicum sensum, non videtur loqui de Antichristo sed de rege Nabuchodosor qui venturus erat ad euertendam Ierusalem, & in Iudæam intraturus per eam regionem quę vocabatur Dan, & erat vnus de duobus celeberrimis terræ Iudęorum terminis; vnde illud celebre est in sacris litteris. A Dan vsque ad Bersabe quo vniuersa Iudaicæ regionis magnitudo definitur. Sed quamquam istis diuinæ Scripturæ testimonijs non euidenter secundum litteralem sensum probetur, Antichristum ex tribu Dan futurū propter antiquissimā tamen ea de re Traditionem plurimorum, & nobilissimorum scriptorum consensu & auctoritate comprobatam fidem meretur.

Locus Hierem. 8.

Tertium testimonium ex hoc loco Apocalypsis ductum est, vbi cum Beatus Ioannes recensens alias omnes Tribus, solam hanc Tribum Dan prætermiserit, satis magnum est indicium, & argumentum, id esse factum in execrationem Antichristi, quem ex Tribu Dan futurum esse nouerat. Si quis autem obijciat, nequaquam rationi consentaneum videri, vt propter vnius Antichristi impietatem & malitiam, complures de Tribu Dan, & ex numero Electorum & Prædestinatorum ad vitam æternam, qui sub finem mundi, ex ea tribu conuertēdi sunt hoc loco, commemoratis omnibus Electis ex cunctis alijs Tribubus tunc ad fidem Christi conuertendis, omninò taciti præteriri debuerint. Verùm istis sic posset responderi, vniuersam Tribum Dan, nouissimo illo mundi tempore penitus adhæsurā Antichristo, & vel nullos ex ea Tribu, vt quidā putāt, vel certè paucissimos cōuersum iri ad Christum. Cum igitur isti futuri sint multo pauciores numero illo duodecim millium, quem numerum qui ex alijs cunctis Tribubus saluabuntur, vt minimum explebunt, noluit Beatus Ioannes istorum paucitatem commemorare in tanta aliorum multitudi- 39

tudine, quam ipse ad numerum duodecim millium, mysterij causa, redigere volebat.

Cur Beatus Ioannes inter alias tribus nominauerit Tribum Ephraim.

40 Restat quæstio tertia, cur hoc loco inter alias Tribus non sit nominata Tribus Ephraim, quæ multò amplior & nobilior erat quàm Tribus Manasse hic recensita. Plures ad hanc quæstionem respondent, id esse factum in abominationem Regis Ieroboam, qui fuit ex Tribu Ephraim, & fuit primus Rex decem Tribuum post earum decessionem à Tribu Iuda, & fuit auctor Idolatriæ, quæ diu multumq; viguit in illis decem Tribubus, quin etiam, quasi per contagionem, infecit Tribum Iuda. Etenim responsionem istam planè inualidam esse, patet ex eo quod Tribus Ephraim verbo tenus duntaxat, non autem reuera hic prætermissa est, nominata enim est Tribus Ioseph. Cùm enim non fuerit alia Tribus Ioseph quàm Tribus Manasse, & Tribus Ephraim, qui fuerunt filij Ioseph, sed à Beato Iacob Patriarcha in filios suos adoptati, & hæreditatis naturaliú filiorum suorum participes facti. Cùm inquam Tribus Ioseph non fuerit alia quam Tribus Manasse & tribus Ephraim, & hoc loco expresè nominata fuerit Tribus Manasse, necessariò sequitur, quæ appelletur hic Tribus Ioseph, non aliam intelligi debere quàm Tribum Ephraim. Sic verò appellauit eam Beatus Ioannes secutus videlicet morem loquendi aliorum Prophetarum, qui Tribum Ephraim appellare solent vel præcisè sub nomine Ioseph, sicut etiam sub nomine solo Ephraim, vel cum adiunctione eam vocantes tabernaculum Ioseph, & domum Ioseph, vt videre licet apud Ezechielem Capite trigesimo septimo, & in Psalmo septuagesimo septimo, & apud Prophetam Amos Capite quinto. Ea porrò Tribus appellatur nomine Ioseph potius quà Tribus Manasse, ob maiorem eius amplitudinem, atque nobilitatem; & Beatus Ioannes ob reuerentiam & honorem tanti Patriarchę, cum de Electis & saluandis ex omni Tribu prophetaret, maluit eam Tribum nomine Ioseph appellare quam nomine Ephraim.

Genes. 48.

VNDECIMA Disputatio.

VERS. 9. & 10.

Posthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & Tribubus, & populis, & linguis; stantes ante Thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna dicentes, Salus Deo nostro qui sedet super Thronum & Agno.

1. Interpr. Ambros.

41 Horum verborum interpretatio apud Ambrosium est huiusmodi: superior ille numerus centú quadraginta quatuor millium designabat Electos, qui per singulas mundi ætates in terris vixerunt, & in Ecclesia Christi floruerunt, vniuscuiusque enim ætatis Electi, numero isto mysticè denotati sunt, vt suprà ostensum est; nec mirum, tam paucos esse electos comparatione Reproborum; Dominus enim ipse dixit, multos esse vocatos, paucos verò electos. Hæc verò innumerabilis turba hominum ex cunctis gentibus, omnes in vniuersum Electos, beatoque iam æuo fruentes signifi-

Matth. 20

significat. Ornatus albarum stolarum in eis, maximam animarum munditiem & puritatem significat, simulque perpetuam lætitiam. Gestatio palmarum in manibus, symbolum est victoriæ ac triumphi de hostibus superatis, non solum per martyrij certamen, sed etiam per cuiuslibet generis tribulationum tolerantiam. Isti verò iam beati, & ante Dei Thronum assistentes, nunquam à Dei laudatione cessant, nec tamen in ea laudationis perpetuitate laborant, sicut enim dulcis est illis atque insatiabilis continua Dei visio, ita & laudatio. Sic fermè Ambrosius.

2. Interpr. Aureolus. Lyranus. 42 Aureolus & Lyranus hanc visionem Beati Ioanis, vt supra dictum est, referunt ad illud tempus quod proximè subsecutum est persecutionem Christianorũ sub Diocletiano Imperatore factam, quo etiam tempore assumptus est ad Romanum Imperium Constantinus Magnus perinsignis fautor, & benefactor Christianorum. Et Aureolus quidem turbam innumerabilem hominum de qua loquitur hoc loco Beatus Ioannes, interpretatur incredibilem hominum multitudinem, qui tempore illo Constantini ex Gentilismo conuersi sunt ad Christum. At verò, Lyranus per istam turbam hominum innumerabilem putat esse præsignatos Martyres omnes, qui toto illo decennio quo ferbuit illa persecutio Christianorum sub Diocletiano, & Maximiano, per omnes mundi prouincias & gentes Romano Imperio subiectas, pro Christi fide occisi sunt, quos fuisse propemodum innumerabiles, ex historiis Ecclesiasticis manifestum est. *3. Interpr. Ioachimus* Ioachimus Abbas istam turbam innumerabilem refert etiam ad Martyres, sed non ad Martyres tantùm illius temporis Diocletiani, sed ad omnes in vniuersum Martyres quocumque tempore mortem pro Dei nomine passos.

Andreas Cæsariensis ait, tur- 43 *Andreas. Psal. 138.* bam istam innumerabilem eorum esse hominum de quibus Dauid dixerat, *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. Hi sunt verum illud Abrahæ semen, secundum Dei promissionem, super numerum stellarum multiplicandum. *Genes. 16. & 22.* Illud autem, *Quam dinumerare nemo poterat*. Andreas opinatur, hyperbolicam esse locutionem, & per eam significari multo maximam hominum multitudinem, quam percensere, nimis ad vnum foret cui vis mortalium. Illi autem omnes stolis albis ornati, & in signia victoriæ palmas manibus suis gestantes circum ipsius Dei gloriosissimum, summæque quietis Thronum choros ducunt, & omne in æuum ducturi sunt tanquam grati famuli, victoriam omnem de Mundo, Diabolo, & carne ab ipsis partam: non sibi, sed Deo adscribentes.

Cæterùm verba hæc, *Et palmæ* 44 *Ezech 40. S. Gregor.* *in manibus eorum*, luculentam orationem illustribusque sententijs tractat Beatus Gregorius in Homilia 17. in Ezechielem super illis verbis eius, *Et ante frontes, pictura palmarum cælata*. Quid per palmas, inquit Gregorius, nisi præmia victoriæ designantur. Ipse quippe dari vincentibus solent? Vnde de ijs quoque qui in certamine martyrij antiquum hostem vicerant, & iam victores in patria gaudebant, scriptum est in Apocalypsi Beati Ioannis. *Apoc 7.* *Et palmæ in manibus eorum, &c.* Palmas quippe in manibus tenere, est victorias in operatione tenuisse; cuius operationis ibi iusto palma retribuetur, vbi iam sine certamine gaudebit. Vnde & hic non dicitur (Palmæ ante frontes) sed dicitur (ante frontes, pictura palmarum) ibi enim victoriæ palma videbitur,

vbi

vbi ſine fine gaudebitur. Nam hic plerumque ſanctos viros aſpicimus, mira agere, leproſos mandare; dæmonia eijcere, vel ſolo tactu ab ægritudine corpora ſanare, prophetiæ ſpiritu ventura prædicere: ſed cuncta hæc necdum palmæ ſunt, ſed tantùm pictura palmarum; ſiquidem nonnunquam & iam dantur hæc & Reprobis, de quibus Dominus dixit: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Vnum verò ſignum eſt electionis, ſoliditas charitatis; ſicut ſcriptum eſt: *In hoc ſcietur, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem.* Miracula tamen quæ Electi faciunt, longè diſsimiliter ab illis quàm a Reprobis fiunt: illi ex caritate faciunt, Reprobi per elationem ea facere ſtudent. Sed miracula etiam ipſa quæ per caritatem faciunt in terris Electi, nondum palmæ ſunt, ſed tantùm pictura palmarum, quoniam per ea miracula foris oſtenditur, quales apud omnipotentem Dominum intus Electi habeantur, & vt per ea cæteri homines ad Dei timorem, & amorem conuertantur, & ad bona opera prouocentur. Hactenus ex Beato Gregorio.

Matth. 7.

Pſal. 6.
Ioan. 1.

†

DVODECIMA Diſputatio.

Exponitur documentum quoddam notabile, ductum ex ſupradictis illis verbis:

Ex omnibus gentibus, Tribubus, populis, & linguis.

EX eo quod Beatus Ioannes vidit in 45
illa turba innumerabili & beata, eſſe homines ex cunctis gentibus, & linguis. Liquido intelligitur, nullā eſſe aut fuiſſe, aut futurā eſſe ſub cœlo gentem & nationem, linguam, ex qua non aliqui futuri ſint electi & prædeſtinati ad vitā æternam, qui ſuo in tempore efficaciter vocantur. & ad Deum conuerſi verè iuſtificantur, ac deniqué ſalui & beati fiunt. Cum itaq; plures etiam nunc gentes per varias mundi partes ſparſę ſint incognitæ, multæ quoque ſola Chriſtianis hominibus auditione ac fama notę, magnum profectò id argumentum eſt, non tam propinquam eſſe, quam viſum eſt nonnullis, mundi conſummationem & finem. Neceſſum quippe eſt, prius iſtis gentibus prædicari Euangeliū, & ex illis conuerti aliquos, ſaltem eos qui electi & prædeſtinati ſunt ad vitam æternam. Nec ſatis eſt, iſtas gentes ex vicinis populis Chriſtianis, fidei & religionis Chriſti famam accepiſſe, & nonnullam hauſiſſe notitiam, debet enim illis prędicari Euangelium, & prædicari in teſtimoniū illis, ſicut Dominus dixit, id autem eſt, Sic illis Euāgeliū exponi & probari, vt illis fiat credibilis

Locus Matth. 24

dibilis veritas fidei nostræ, & falsitas suæ; ob idque, nisi fidem Christi acceperint, sint prorsus inexcusabiles. Nec solùm istis Gentibus adhuc incognitis prædicandum aliquando est Euangelium, sed etiam fundandæ apud illas gentes sunt Ecclesiæ: quod affirmat Prosper, de libero arbitrio scribens: Nemo, inquit, audeat dicere: vllam mundi gentem, vllamve prætermittendam esse terræ regionem, in qua non sint Ecclesiæ Christianæ tabernacula dilatanda, dixit enim Deus Pater ad Filium suum Dominum nostrum, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et in Psalmo 21. scriptum est, *Conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.* Non igitur dubitandum est, quin amplicissimis illis Sinarum regionibus nondũ sit Euangelium Christi, vt promulgari oportet, promulgatum, licet eas gentes ex nauigationibus & commercijs Lusitanorum, & diutina quorundam Patrum societatis Iesu in illis regionibus mansione, & cum Sinensibus conuersatione, nonnulla Christianæ fidei, & religionis notitia quasi tenuis quædam afflauerit aura.

Prosper.

Locus Psa. 2. & 21.

46 Lubet transcribere hunc in locum ex Commentarijs Dionisij Carthusiani sanè quam breuem simulque congruam, & planè theologicam huius loci Apocalypsis interpretationem. *Quam dinumerare nemo poterat.* Non omnino inquit Carthusianus, & simpliciter nemo, sed nemo videlicet mortalium in terris viuentium, & adhuc viatorum: nam cuius Beatorum in cœlo numerum omnium ciuium cœlestium liquido cognitum esse, probabile est. *Stantes ante Thronum*, id est, coram Dei maiestate; nam vocabulum Throni variè in Sacris litteris vsurpatur: alicubi enim significat Ecclesiam militantem, alicubi Ecclesiam triumphantem; nonnulli sanctissimam Christi Humanitatem, necnon & animam Iusti, & item cœlum Empyreum, nec rarò ipsam Dei auctoritatem, & potestatem, atque maiestatem, qua significatione hoc loco præcipuè sumitur. Dicuntur autem Beati stare ante Thronum Dei, & in conspectu eius, nõ quasi Deus non sit penitus intra eos, qui omnia implet & penetrat; sed humano more loquitur Scriptura ad intelligentiæ nostræ infirmitatem se demittens & attemperans; per id enim significatur, Beatos, vultus Dei, ac diuinæ Maiestatis visioni & fruitioni semper esse intentos, & ad Dei iussa capescenda & exequenda promptissimos. Nec solùm stant in conspectu Dei, sed etiam Agni quia ex beatissimæ Christi Humanitatis aspectu, & contemplatione, speciali gaudio recreantur, cui etiam secundum naturam assumptam reuerenter subduntur. *Amicti stolis albis*, candidissimis, atque incontaminatis videlicet, & duplicibus gloriæ vestimentis, beatitudinem dico animæ & corporis, præmiumq; essentiale & accidentale, sicut scriptum est, *Propterea in terra sua duplicia possidebunt.* Esa.61.

Dionysius Carthusianus.

Thronus Dei quid significet.

Salus Deo nostro qui sedet super Thronum, & Agno id est, Trino, & vni Deo, cuius est immensa bonitas incomprehensibilis sapientia, infinita potestas, æterna vita, inæstimabilis misericordia, indeficiẽs & perpetua salus, gloria, felicitas, vt à quo quicquid alijs in rebus omnibus est salutis, & virtutis, boniq; profluxit. Hoc autem isti Beati dicunt, non orando vt sit & fiat quod non est; sed gaudendo, & gratulando quia sic est, & sic fuit semper, & erit in æternum, quemadmodum etiam illud intelligi debet; *Laudate Deum omnes Angeli eius.* Additur præterea, *& Agno*, id est, Christo Domino, ea ratione vt homo est: nam sic

etiam

etiam ipse salutis omnium causa fuit instrumentalis, & meritoria; habetq; gloriam & felicitatem, licet non increatã atque infinitam, qualem habet vt Deus est, sed maiorem tamen quam omnes sancti & Angeli, non modo singulatim, sed etiã vniuersim simulq; accepti.

DECIMATERTIA Disputatio.

Super illis verbis:

VERS. 11 *Et omnes Angeli stabant in circuitu Throni, & seniorum, & quatuor Animalium: & ceciderunt in conspectu Throni in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes, Amen.*

47 Ecce tibi, ait, verba hæc interpretis Andreas Cæsariensis, hæc Visio Ioãnis indicat, vnam ex Angelis & hominibus Ecclesiam constitui: vidit enim Angelos mixtos cum Senioribus & quatuor Animalibus, id est, cum Sanctorum hominum beatis in cœlo animabus, Deum pariter adorare, diuinasque laudes concelebrare. Et quidem priscis sanctis, tametsi virtutum præstantia non dissimilibus Angelorum, formidabiles apparebant Angeli, quemadmodum ex Daniele propheta, & quibusdam alijs cognoscere licet: Tunc autem vna cum hominibus ministrabunt Deo, siue corpore vestiri, locoque circumscripti, vt eruditis quibusdam placet, inter ipsos compareant, siue, vt alijs magis probatur, per se quidem incorporei, non in propria figura conspiciantur, sed in ea forma quam illis tribuere, Deo visum fuerit. In circuitu autem Animalium, & Seniorum consistere Angeli cernuntur, vt per huiusmodi eorum ostendatur honoris magnitudo, & excellentia qua illi potiuntur, qui per Seniorum & Animalium mysticum numerum designantur. Ab omnibus verò gratiarum actio exhibetur, & impenditur præpotenti Deo, propter eximiam eius in res omnes à se conditas prouidentiam & propter admirandam œconomiam & dispensationem nostræ salutis causa susceptam. Hactenus ex Andrea.

Andreas.

In dubio relinquit Andreas, sintne Angeli corporei an incorporei.

Sed verba illa consideranda sũt: *Et ceciderunt in cõspectu Throni in facies suas.* Casus ille Angelorum & Sanctorum in conspectu Dei, manifestum humilitatis eorum, & profundissimæ reuerentiæ aduersus Deum indicium est. Quidquid enim boni faciunt vel habent Electi, non suis meritis assignant, sed Dei gratiæ ferunt acceptum: nempe, verissimum esse scientes illud Apostoli Iacobi dictum, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum.* Cadunt Electi, cadunt etiam Reprobi: verùm dissimilis admodum casus eorum est. Cadunt Electi, sed in faciem; cadunt Reprobi, sed retro: cadere in faciem est in anteriora prospicere, & quæ ventura sunt prouidere, & opportunè sibi præcauere. Cadere autem retrò est futurorum considerationem & prouidentiam negligere, nec quæ sibi ventura sunt, & accidere possunt, benè præmeditata, & prouisa habere, & ad ea vel ferenda vel regenda, & moderanda parato animo esse; contra quam faciebat Apostolus, qui obliuiscens quæ retrò sunt, ad anteriora se extendebat.

Iacobi 1.

Ad Phil. 3.

Cæterùm, ex hoc loco intellige- 48
re licet, quod Beatus Hieronymus super tertium Caput Danielis scriptum reliquit, Adorare ca-

dendo, non esse Sanctorum, sed impiorũ hominum, hoc, inquam Hieronymi documẽtum, non esse perpetuo verum. Verba sancti Hieronymi hæc sunt; Omnem Scripturã sanctam mente percurrens, nisi tamen me fallit obliuio, nequaquam reperio, quod sãctorum quisquam Deum cadens adorauerit, sed quicunque Idola, & Dæmones, & res illicitas adorauerit, cadens dicitur adorare, vt in hoc loco sæpius dicitur. Babylonios cadentes adorasse statuam regis Nabuchodonosor, & in Euangelio Diabolus dixit Domino, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Sic ille. Sed enim viro sãctissimo & doctissimo, hæc scribenti non venit in mentem aliquot Scripturæ locorũm, in quibus hoc ipsũ quod est adorare cadendo, ponitur in Dei & Christi adoratione, vt in Psalmo nonagesimo quarto; *Venite adoremus, procidamus ante eum.* Matthæus etiam narrat, sanctos Magos procidentes adorasse Dominum: Currus etiam illuminatus à Domino, vt refert Ioannes, procidẽs adorauit eum: Idem Ioannes scribit in hoc loco Apocalypsis, vidisse se Angelos cadendo in conspectũ throni in facies suas adorasse Deum. In huius etiã libri Capite decimo nono, proditum est, *Viginti quatuor seniores ceciderunt, & adorarunt Deum sedentem super tronum.*

Hieronymus. Matth. 4. Matth. 2. Ioan. 9.

†

DECIMAQVARTA Disputatio.

Super illis verbis:

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnã, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. VERS. 14.

AD omnes Sanctos & 49 Electos, quocunque in tempore vixerint in terris, pertinet, nõ nisi p magnas tribulationes peruenisse ad æternam requiem & gloriam: quin etiam quõ virtutibus præstãtiores, Deoque cariores fuerũt, eo grauiores in hoc mundo passi sunt tribulationes. Verũm profectò est illud Prophetæ dictum, *Multæ tribulationes Iustorum.* Necnon illa generalis sententia Beati Pauli verissima est; *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.* Nam si de omnium Domino Christo Iesus scriptum est, *Oportuit* Christum *pati & ita intrare in gloriam suam:* quanto magis de seruis eius id sentire, & dicere conuenit? Beato Paulo solenne fuit, quibus prædicauerat Euangelium & fidem Christi, eos docere, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Idem quoque Apostolus veterum Sanctorum tribulationes commemorans, *Alij, inquit ludibria & verbora experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis in pellibus caprinis, egẽtes, angustiati, afflicti, quibus dignus nõ erat mũdus, in solitudinibus errantes, in mõtibus & speluncis, & in*

Psal. 33. Ad Tit. 3. Lucæ vlt. Actor. 14. Ad Heb. 11.

S. Martyrũ laus

& in cauernis terræ. Sed enim, licet venire de magna tributione ad cœlestem patriam, ad omnes Sanctos & Electos pertineat; id tamen præcipuè maximèque conuenit in Sanctos Martyres: quorum alij gladio iugulati sunt, alij crucis patibulo suffixi, alij mersi aquis, absorti, alij flammis exusti; alij in equileo excarnificati, alij ferarum vnguibus & dentibus discerpti atque dilaniati; alij de sublimi in aspera & prærupta loca præcipitati, alij lapidibus vel terra obruti Quid multa? prorsus nullum fuit tormenti aut mortis genus tam nouum, tam exquisitum, tam atrox, & horrendũ, quo sanctorum Martyrũm fortitudo & patientia nõ tentata, & exercita fuerit. In Ecclesiastico certe Officio plurimorum Martyrum, de Sanctis Martiribus proprie dicuntur ista verba, que leguntur in hoc loco. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni* Illa quoque verba præcipuè tribuuntur Martyribus quæ paulò pòst hoc ipso in loco subduntur, *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

50 Verùm quia Visionem hanc Beati Ioannis supra ostendimus propriè pertinere ad nouissimum Mũdi tempus, inter Antichristi persecutionem, & mundi consummationem interiectum atque intermedium; idcirco putare cõuenit, istos in cœlis Beatos quos Ioãnes audiuit venisse de tribulatione magna, eos fore Martyres qui in Antichristi persecutione maximis vexati tribulationibus immanissimisque afflictati cruciatibus, & acerbissima, sacrissimàque morte perempti, gloriosissimum Christi martyriũ obibunt. Futurum porrò maximam eo tẽpore tribulationẽ Fidelium, & maiorem, quã ante vnquã fuerat, disertis verbis prędixit, nosque prædocuit Dominus noster Iesus Christus, cuius in eam sententiam verba hæc refert Matthæus, *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum*: Et infrà. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo neque fiet Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter Electos breuiabuntur dies illi*

Locus Mat. 24.

Ceterùm, plerique loci huius Interpretes verba hæc, *De tribulatione magna venerunt*, non ad solos Martyres referunt, sed extendunt ad omnes Sanctos & Electos in quocunque mundi tempore pro Dei nomine & cultu Iustitię, studiòque virtutum, multis, magnisque laboribus & tribulationibus exercitos, non tantum, inquiunt, ad eam gloriam, quæ in hoc loco describitur, peruenerunt, qui pro Dei nomine corporalem mortẽ subierunt, sed etiam illi qui pacis tempore, iniurias & contumelias, atque opprobria æquo animo perferunt, ieiunijs incumbunt, insistunt vigilijs, corpus suum varijs, & asperis afflictationibus domant, orationes frequentant, carnem suam cũm vitijs & concupiscentijs crucifigunt propriam abnegant voluntatem, intellectum captiuant in obsequiũ Dei, nulli præesse ambiunt, nec cuiquam hominũm propter Deum subesse recusant, & quò iuuent homines nullum refugiunt laborem, nullamque molestiam.

†

DECIMA QVINTA Diſputatio.

De quibus pręcipuè dicantur & quid propriè ſignifi-cent illa verba.

Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.

Verſ. 14. 51 HÆc verba, & quæ antè, & quę poſt ſcripta in hoc loco ſunt de Beatis illis quos Ioãnes in ſpiritu vidit in maxima gloria,
S. Auguſt. Beatus Auguſtinus de Sanctis Martyribus interpretatur. In vndecimo enim ſermone de Sanctis, quẽ de laudibus Beatorum Martyrum fecit, explanans totum hunc locũ Apocalyſis, ita ſcribit, *Stabant,* inquit Ioannes, *ante thronum in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palma in manibus eorum.* Stant profectò Martyres in conſpectu Agni, nulla iam ratione illic a contemplanda eius gloria ſeparandi, à cuius hic amore nec per dirà ſupplicia ſeparari poterunt. Stant ante Dei thronum coronati, qui in litteris ante thronum Iudicum terrenorum iacebant pœnis adſtricti. Stolis fulgent albis, & palman in manibus habent, quia ob ſua opera præmia habent, & dum corpora ſua quæ pro Domino ignibus vſtulari, a beſtijs dilacerari, gladijs abſumi, p præcipitia diſſolui, virgulis abradi, omnique pœnarum genere paſſi ſunt diſſipari, per reſurrectionẽ glorificata recipiũt. Clamant voce magna dicẽtes, *Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno.* Magna profectò Sancti Martyres voce ſalutem Deo decantant, quoniã perpetua gratiarum actione recolunt, nõ ſua ſe virtute ſed ipſo iuuãte tribulationum ſuperaſſe certamina. Lauarunt etiam & dealbauerunt Martyres ſtolas ſuas in ſãguine Agni, dum mẽbra ſua, quę oculis inſipientium viſa ſunt pœnarum ſqualore fœdati, ſic potius fuſo pro Chriſto ſanguine, ab omnibus mundauere contagijs, & inſuper beata immortalitatis luce digna reddiderunt. Et ideo dicuntur in templo Dei ſeruire ei die ac nocte, non ſanè laborioſa, ſed amabili, & optanda ſeruitute, quæ eſt, perpetuò Dei laudes celebrando vultui eius ſemper aſſiſterẽ: nec diei & noctis nomen propriè dicitur, quaſi viciſſitudinem temporũ ſignificans, ſed tropicè ponitur beatam deſignans æternitatem. Hęc Auguſtinus.

Ioachimus quoque Abbas ver- 52 Ioachimus
ba hæc de lotione & dealbatione ſtolarum in ſanguine Agni, de ſãctis Martyribus interpretatur, explanans enim hunc locum, O, inquit, beatiſſimi Martyres, qui tam ſtrenuè & inuictè pro Chriſti nomine pugnaſtis in ſtadio, quã prętioſa & felix mors veſtra fuit, quæ talem vobis pręſtitit immortalitatis victoriam. Veriſſimè namque dictũ, eſt. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Pſal. 115 Magna fuit tribulatio & preſſura quam paſſi eſtis: ſed, vera nihilominus eſt illa Ad Rom. 8 Beati Pauli ſententia *Non ſunt condigna paſſiones, huius temporis ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis.* O quam pretioſa eſt iſta ſtola veſtra, quæ lota eſt in ſanguine Chriſti: quam decora, & ſplendida veſtis quę nunquam iterum polluenda eſt, ſed immaculata & candida ſẽper manebit. Si quis autem obijciat, quòd ſanguis non abluit veſtem, ſed magis inficit, nec dealbat eam, ſed rubricat eam, quin etiam color rubens infectionem peccati potius quam iuſtitiæ candorem & puritatem deſignat, ad hoc reſpon-

respondendum est, sicut interdum vsu venit, vt venenum veneno polluatur, atque corrumpatur, cum tamen vtrumque sit venenum: ita Christi sanguis qui pro peccatis fusus est, peccata mirabiliter abluit, & polluta peccatis corpora emundando dealbat. Designari autem per stolas, ipsa sanctorum hominum corpora, docuit nos Veritas ipsa in Euangelio cum dixit, *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum.* Sed cur dicuntur Martyres lauisse stolas suas in sanguine Christi, & non potius in suo proprio sanguine, quem pro Christo libenter effuderunt? Ob hanc nempe causam, quod postquam Christi sanguine redempti sumus, & per Sacramentum, corpori & sanguini eius communicauimus, per hoc spiritualiter cibati atque potati, sanguis noster quodammodo sanguis eius factus est; quamob rem, si quid virtutis & meriti habet effusio humani sanguinis, id non nisi per sanguinem Christi comparatum est, qui nō solùm dedit fidelibus exemplum patiendi pro ipso, sed etiam vt pro eius nomine pati & vellent, & possent, virtutem concessit. Quapropter non eis qui passi sunt, tribuenda est victoria, sed ei qui patiendi voluntatem, & potestatem eis dedit, & qui dixit, *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum.* Hactenus ex Ioachimo.

Matth. 6.

Ioan. 16.

53 Plurimi tamen Interpretum huius libri arbitrantur, verba hæc non de solis Martyribus esse intelligenda, sed in commune ad omnes Sanctos & Electos pertinere, qui maximas cum in terris viuerent, propter iustitiam persecutiones & tribulationes passi sunt, licet sanguinem suum nō fuderint, nec à persecutore violenta morte necati fuerint. Hæc fuit sententia Ticonij, & Ambrosij, & Bedæ, & Ausberti, & Haymonis, aliorumq; plurium: quam isti eo confirmant argumento, quod hic non dicitur, *Qui lauerunt stolas suas in sanguine suo*, quod proprie conuenit Martyribus, sed dicitur, *Qui lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* quod in vniuersum pertinet ad omnes Sanctos & Electos, qui meritò & virtute sanguinis Christi munditiam animæ suę, & candorem iustitiæ, & pulchritudinem virtutum sibi compararūt. Ambrosius certè in eam sententiam locum hunc interpretans ita scribit, Lauerunt Sancti stolas suas in sanguine Agni, quia dum in terris viuerent, animas suas peccatorum sordibus mundauerunt. Mundauerunt autem animas suas primò per lauacrum Baptismi, deinde per pœnitentiam, & vim lacrymarum, & virtutem compunctionis, tum, per opera misericordiæ; adhæc, per continuam virtutum exercitationem, bonorumque operum effectionem; præterea, per assiduam & feruentem orationem; denique, per dilectionis ardorem. *Et lauerunt in sanguine Agni.* Electorum namque hominum animæ, prius nigredine peccatorum immundæ ac deformes, per sanguinis Christi redemptionem mundatæ à peccatis candorem & decorem atque pulchritudinem accepe runt: denique, quidquid in Electis est spiritualis munditiæ & pulchritudinis, id merito, & efficaciæ sanguinis Christi totum ferri debet acceptum. Hæc ille.

Communis ferme interpretatio.

Ambros.

Quibus modis Sancti lauerūt stolas suas.

Nostra hæc est sententia: Cum hæc Visio Beati Ioannis, vt suprà non semel dictum est, propriè spectet nouissimum mundi tempus, & Antichristi aduentum & persecutionem; consequens est, vt quæ dicuntur hoc loco de his Beatis qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni, ea intelligi debeant de Sanctis, & Electis qui eo in tempore maximas ab Antichristo, & à ministris & sectatoribus eius tribula- 54

Auctoris sententia.

tiones passuri sunt. Horum autem plerique erunt Martyres, qui per acerbissimos corporis cruciatus sęuissimamque mortem inuicto animo toleratam gloriosissimũ Christi martyrium obituri sunt. Hæc namque verba, *Qui lauerunt stolas suas in sanguine Agni*. Præcipuè de Sanctis Martyribus intelligi oportere satis ostendit sancta Ecclesia quæ de solis Martyribus ea verba canit dicens de illis, *Istorum est Regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & peruenerunt ad præmia Regni, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni*.

Cur Martyres dicantur lauisse stolas suas in sanguine Agni, et non potius in sanguine suo.

55 Illud porrò quod assertores cõtrariæ sententiæ obijciunt, & nos paulò suprà retulimus; non esse dictum hoc loco, *Qui lauerunt stolas suas in sanguine suo*, quod in Martyres propriè dicitur & conuenit; sed dictum esse: *Qui lauerunt stolas suas in sanguine Agni*. quod communiter ad omnes Sanctos & Electos, etiam non Martyres, pertinet: Hoc, inquam, non obstat; nam etsi Martyres corporaliter stolas suas lauerunt proprio sanguine, quem fuderunt pro Christo, istius tamen corporalis lotionis, & effusionis sanguinis effectus spiritualis, qui est munditia animę ab omnium peccatorũ sordibus; & item spiritualis effectus dealbationis, qui est quasi candor quidam, & nitor, & pulchritudo animæ, quam in ea facit cœlestis gratia in eam à Deo infusa; hi duo, inquam, spirituales effectus lotionis, & dealbationis, potissimum proueniũt, non ex propria virtute sanguinis Martyrum, sed ex merito, & virtute, & efficacia sanguinis Christi; & idcirco dicti sunt Martyres lauasse & dealbasse stolas in sanguine Agni potius quàm in sanguine suo.

DECIMASEXTA Disputatio.

Super illis verbis:

Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus qui in medio Throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. VERS. 16 & 17.

Locus Isaiæ c. 49.

56 Horum verborum simillima legunt apud Esaiam in Capite quadragesimonono. *Non esurient, inquit, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol; quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*. Sed Ambrosius super hęc verba Beati Ioannis quæstiunculam mouet huiusmodi, Quomodo dicatur hoc loco de Beatis, quod non esurient, neque sitient amplius, cum Dominus in Euangelio dixerit, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*. Respondet Dominum in Euangelio loqui de Beatis qui sunt in via, & sunt Beati tantùm in spe, & incolatu; Ioannẽ verò loqui de Beatis qui sunt in Patria, & cõpletam habẽt animę beatitudinem, Ergò sancti cum erant in terris, esuriebant iustitiã, cupientes vt & alij Iusti essent, & ipsi iustiores fierẽt in dies, & iustitia Dei tam remunerans bonos, quã vindicans improbos, cõspicua fieret omnibus; denique, vt coronam iustitiæ, quam Iustus Iudex reddet omnibus qui iustè vixerint, ipsi consequerentur. At verò Beati qui sunt in cęlo, nihil esurient, q̃a habebunt omnia

Ambros.

Locus Matth c. 5

2. Tim. 4.

omnia q̃ desiderari possunt; Deus enim replebit bonis omne desiderium eorũ. Quod aũt sequitur, *Non cadet super illos Sol, neque vllus æstus.* Sic interpretatur Ambrosius, Per Solem intelligit tentationes quas Sancti patiuntur ab hominib. per æstum, vel carnalis concupiscentię ardorē, vel tentationes quibus à Dæmone Sancti impugnantur, atque infestantur. Reget aũt Beatos in cęlo Agnus, quia ita voluntates eorum disponet, vt nihil velint vnquam nisi quod Deus vult. *Deducet eos ad vitę fontes aquarum*, quia præstabit eis abundantem, & securam bonorum omnium possessionem, simulque gaudiorum atq; voluptatum perpetuam fruitionē. *Absterget denique omnem lacrymam ab oculis eorum.* Cum enim erant in terris, tempus fuit flendi, sed tempus breuissimum: in cęlis vero tempus est gaudendi, sed temporis huius finis nunquam erit: vt in istos verissimè dici queat illud Prophetæ, *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Sic Ambrosius.

Psal. 125.

Andreas. 57 Beati planè, inquit Andras, qui per temporarios breuesque labores sempiternam sibi requiem cõpararunt; *Non infestabit eos Sol, vel æstus vllus*, id est, nullis vexabuntur, neque etiam tangentur molestijs transacto scilicet iã omniũ certaminum tempore. *Agnus pascet, eos*, & ideo luporum incursiones nequaquam formidabunt, quippe cum omnes tunc lupi in Gehennæ incēdium quod nunquã extinguitur, amãdãdi sint Deducētur aũt ad liquidos purosque diuinarum Intelligentiarum fontes, per aquã designatos, ibique non crassa, & corporea pascentur & potabũtur esca & aqua, sed immateriali & spiritali. Quin hoc ipso quoque tēpore fons ille suauem diuini Spiritus liquorem fundere nunquam desinit: neque enim Dominus frustra de illis qui sincerè in ipsum credituri erant, fore prædixit vt flumina aquæ viuæ de ventre illorum dimanarent, qua Sancti vbertim tunc potati, in perpetua lætitia & exultatione degent. Etenim scientia illa quæ ex parte est, exuti & perfecta locupletati, & ab omni præterea mutatione & corruptione liberati, æternam beatãque vitam ducturi sunt, Hæc Andreas.

Ioan. 7.

Iuuat etiam me nonnihil dicere super hisce tam lætis amotisque verbis atque promissis, sed ante alia illud scire conuenit, vo'uisse B. Ioannem, felicitatem quam Sancti habent in cęlo, velut adumbrare per similitudinem quandam ouium, quarum optima est conditio, & beatus, vt ita loquar, status, si à tali regantur pastore, qui eas nec esurire, nec sitire sinat, nec Solis ardore, nec frigoris vel æstus intemperie affligi, nec luporum, aliarumve bestiarum incursibus infestari, sed optima, & copiosa præbeat eis pascua, & ad liquidas salubresque ducat aquas, vbi potentur & abluantur, & recreentur. Huiusmodi similitudinem, ouium, cũ agitur de Electis quorum præcipuam & singularem Deus curam habet, frequenter vsurpat diuina Scriptura. Illud præterea hic aduertendum est, cęlestem gloriam & felicitatem Sanctorum in cęlo dupliciter hoc loco declarari; tum per priuationem omnium malorum, quorum in cęlo sancti expertes omnino sunt eruntque perpetuo, & huc spectant illa verba, *Nõ esurient neque sitient amplius, nec Sol cadet super illos, neque vllus æstus, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Tum etiam felicitas Sanctorum hoc loco declaratur per copiam, & excellētiam, atque æternitatem bonorum quibus Sãcti fruuntur in cęlis: & ad hæc pertinent illa verba, quod Sancti semper sunt ante thronum Dei, & Agni.

58 *Auctoris interpretatio.*

Agni, & seruiunt ei die ac nocte, id est, sine vlla intermissione, & Agnus regit eos, & ducit ad vitæ fontes aquarum.

59 Sed nos verba ipsa paulò curiosius pensitemus; *Non esurient: neque sitient amplius,* Verbum esuriēdi, & sitiendi per quandam similitudinem translatum est ad significandum desiderium quorumlibet bonorum, etiam spiritualium: Nō itaque Beati esurient, neq; sitient, quia Deus replebit bonis omne desiderium eorum. Sed enim, contra hoc esse videtur illud quod in libro Ecclesiastici Capite vigesimo quarto scriptum est: *Qui edunt, me adhuc esurient, & qui bibunt, me adhuc sitient.* Verum in prōptu est respōsio: Fames & sitis duplex est vna, corporalis, quæ in cœlo nulla est; altera spiritualis, quæ nihil aliud est, quam desideriū alicuius boni quod non habetur vt habeatur, sicut peccator pœnitens esurit & sitit misericordiam & gratiam Dei per quam iustificetur. Vel est desiderium boni quod habetur quidem, sed vt amplius & perfectius habeatur, sicut vir iustus esurit & sitit incrementum & perfectionem iustitiæ, Vel est desiderium boni quod etsi iam habetur, & plene habetur, desideratur tamē eius continuatio, vt perpetuo habeatur: Id autem est, ita bono iam adepto frui, vt nunquam fruentem capiat eius fastidium, sed eo frui semper cupiat: huiusmodi autem fames & sitis excludens priuationem boni quod desideretur, & animi anxietatem & afflictionem in desiderando & expectando, & omnino excludens tędium & fastidium, boni iam adepti; reperitur etiam in Beatis, de qua nimirum fame & siti possunt intelligi verba illa ex libro Ecclesiastici allata: *Qui edunt, me adhuc esurient: & qui bibunt, me adhuc sitient.* Si ea volumus referre ad Beatos qui sunt in cęlo. Quanquā satis congruè & cōmodè interpretari ea verba licet de viris Sanctis & adhuc viatorib. qui Dei sapientiā & gratiam quam degustarunt, & aliqua ex parte iam perceperūt esuriūt nihilominus & sitiunt, id est, eā in se magis in dies augeri, & perfici auidissimè & flagrantissimè cupiunt.

Locus Ecclesiastici cap. 24.

Triplex desideriū boni.

Ad malorum ēt priuationē q̄ est 60 in Beatis, pertinent illa verba, *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Super quibus verbis admonet nos Ioachimus, q̄ hic dicitur, Deū in cęlo lacrymas absterſurum ab oculis Beatorū, nō ita esse intelligendū, quasi futuræ sint ī cœlo lacrymæ quæ abstergantur; sed quia lacrymis omnib. quas dū in hac vita & in terris versarentur Sancti habuerunt in perpetuū & omnino Deus finē ponet, vt exactis iā consummatisq; dieb. luctus æterna gaudia consequātur. Miro aūt, inquit Haymo, pietatis affectu Deus noster interdū se velut patrē, & interdū vt matrē nostrā nobis ostēdit & exhibet: Nā vt pater auersos filios ad se reuocat, dicens per prophetam, *Conuertimini filij, & sanabo auersiones vestras.* Maternæ quoque pietatis viscera transcendit Deus, cum ait per Isaiam, *Nūquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui; tamen si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.* Ecce Deus amat nos vt pater, & miseretur nostri plusquā mater, & ideò lacrymas tergit ab oculis electorum suorum.

Ioachimus

Haymo.

Iere. cap. 3

Iere. c. 49

Signanter porrò hic dictum est, 61 *Absterget Deus omnem lacrymam* Sūt enim in Sanctis multa & varia lacrymarum genera diuersis ex causis orta. Nempe, alius luget peccata sua, & quia malum fecit coram Deo, alius flet, quia bonum non egit quod agere poterat: alius, quia bonum quod fecit non ita, vt oportebat, diligenter, & perseueranter fecit. Alius illacrymatur Proximi peccatis & miserijs; Alius dura cor-

Multa & varia genera lacrymarū quæ sunt Iactis & Sanctis viris.

corruptionis flagella sustinens: alius aduersitates Ecclesiæ Christi & sanctorum videns: alius prosperitates Impiorum & hostium populi Dei ęgrè ferens: alius luget diuinæ legis cõtẽptũ, & Dei offensam: alius flet quod a proprijs vitijs & concupiscentijs vehementer impugnatur, alius, quia se in oratione, & virtutum exercitatione sterilẽ & tepidum sentit: alius flet suæ peregrinationis moram, & cur Propheta lugens ait, *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea* Omnia hæc lacrymarum genera dicitur Deus abstergere ab oculis Sãctorum, quia omnes lacrymandi causas omnino, & in perpetuum auferet illis. Quin etiam quanto copiosior fuerit lacrymarum facta sementis, tanto vberior gaudiorũ messis colligetur: vt meritò sancti dicere Deo possint in cœlo, *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala:* Et, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et, *Conscidisti saccum meum, circumdedisti me lætitia Conuertisti planctum in gaudiũ mihi* Tunc perfectè implebitur illud Domini promissum, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Psal. 85

Psal 93.

Psal. 29.

Matt. 5

62 Restant declaranda verba illa: *Agnus reget illos, & deducet ad vitæ fontes aquarum.* Si Dauid, dum in terris erat, corruptibili corpore tãquam carcere inclusus, & in exilio huius mundi peccatis & miserijs obnoxius, sanè q̃ asseueranter fidenterq; dixit, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuę ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me,* quanto magis id qui in cęlo sunt Sancti, omnium malorum vacui, pleniq; bonorũ omniũ dicere possunt, eos nempè Rex & Dominus omniũ Christus pascet, regetq; in omnẽ æternitatẽ, & reget eos, non sicut in terris, per ministros suos, vel inuisibiles, vt sunt Angeli, vel visibiles, vt sunt Principes & Rectores populi sui in terris; sed immediatè per semetipsũ non iam dirigendo ad finem adipiscendum, sed in adepto iam fine immutabiliter conseruando. Reget ita voluntatẽ & intellectũ eorũ, vt nec vllo modo peccare, aut decipi, ne vllo modo vel corporali vel spirituali, vel culpæ, vel pœnæ tangi queãt. Per fontes verò aquarũ ad quos sanctos deducere dicitur, Agnus significatur plenitudo scientiæ rerum omniũ, exuberantia indeficientis gaudij, inæstimabilis opulentia cœlestiũ diuitiarũ, ineffabilis Beatorũ honoris & gloriæ splẽdor, exuperantia purissimarũ, & suauissimarũ atq; perenniũ voluptatũ, & vt verbo dicã, bonorũ omniũ secura, & æterna possessio. Hæc & tanta beatorũ bona, & gaudia sanctus Dauid attentè contẽplans, & vehemẽter admirans, deniq; cõtẽplationẽ & admirationem suã erupit in illa verba: *Inebriabuntur ad vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuę potabis eos: Quoniã apud te est fons vitæ. & in lumine tuo videbimus lumen.* Est vnus fons cęlestiũ bonorũ, & sunt multi fontes: vnus est fons respectu Dei, sicut est vna beatitudo omniũ, quiã vnus est Deus obiectũ beatificum omniũ. Multi aũt sunt fontes, propter multiplicẽ videlicet & disparẽ beatitudinis participationẽ: & quia vna illa Visio Dei beatifica præstat Beatis omnium bonorum gustum atque oblectamentum, vt de ea verè dici queat, quod de mãna diuinitus dato Iudæis in deserto scriptum est illis verbis: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem, &c.*

Locus Psa. 22.

In cœlo fons bonorum, & vnus est, & multi.

Sap 16.

DE

DE APERTIONE SEPTIMI SIGILLI.

DISPVTATIONES QVINQVE.

PRIMA DISPVTATIO.

Super verbis illis quæ sunt in principio Capitis octaui.

Et cum aperuißet sigillum septimum, factum est silentium in cælo quasi mediæ horæ.

Exponuntur & expenduntur tres interpretationes septimi sigilli.

1 QVOD in superiorum explanatione sigillorũ adhuc fecimus, idẽ etiã nũc in huius septimi, & vltimi sigilli explicatione seruabimus, vt primo aliorum Interpretationes fideliter & diligenter exponamus. Prima Interpretatio est Victorini & Primasij, qui mysterium apertionis septimi sigilli breuissimè atq; obscurissimè interpretati sunt. *1. Interpre. Victorinus. Primasius.* Victorinus ita scribit: In apertione septimi sigilli silentium fit in cęlo semihora; est aũt semihora initiũ quietis æternæ. Sed partim mysteriũ intellexit Ioan. quia interruptio silentij fecit eadẽ per ordinẽ repeti, si enim iuge fuisset silentium, hic profectò finis narrandi

randi fieret. Sic Victorinus. In eādem sententiam, ſimilique breuitate & obſcuritate ſcribit ſuper hoc loco Primaſius: In cœlo, inquit, id eſt, in Eccleſia, ſilentium ſemihoræ oſtendit initium quietis æternæ, & partē ſilentij vidit Ioannes, quia eadem adhuc viſurus erat. In ſeptimo enim ſigillo non vidit quantum erat futurum, vt apertius ei multa deinde oſtenderentur; & interruptum eſt ſilentium, quia ſi iuge fuiſſet, iam finis narrandi factus eſſet. Hæc Primaſius. Simile quid etiam Ticonius ſcribit. Sed iſtorum Auctorum Interpretatio tam præciſa & obſcura eſt, vt, quo intelligatur, alia egeat. Interpretatione vel potius diuinatione.

Ticonius.

2. Interpre. Ambroſius

2 Secunda interpretatio eſt Ambroſij, qui putat in apertione ſeptimi ſigilli deſignatum eſſe myſterium Natiuitatis Christi Domini noſtri. Cur autem Natiuitas Domini ſignificata ſit in vltimo ſigillo, & non potius ante reſurrectionem & paſſionem eius quæ priori bus ſigillis, ſecundum ipſum, deſignata ſunt, rationem Ambroſius reddit huiuſmodi. Deus in creatione Mundi ſex diebus fecit omnia, ſeptimo autem die requieuit, ob idque diem illum vocauit Sabbatum, id eſt, requiem: quæ eſt autem requies noſtra niſi Chriſtus, ipſe enim dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Congruè igitur in apertione Septimi ſigilli Domini noſtri Natiuitas inſinuatur, & ſilētium factum ſignificat pacem & quietem, in Natiuitate eius, hominibus per Angelos annunciatam illis verbis, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus,* quod etiā prædixerat Dauid, *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Aperiens itaque Dominus ſeptimum ſigillum, Spiritualem intelligentiam eorum omnium, quæ ad myſterium ſuæ Natiuitatis pertinent, Doctoribus Eccleſiæ per illuminationem, & inſpirationem Spiritus ſancti patefecit: ſed breue fuit illud ſilentium, id eſt, ſemihoræ, quia pax quæ naſcente Domino per vniuerſum erat ferme Mundum, & quam in exordio apud Paganos habuit Eccleſia breui tempore manſit: eam quippe Nero interrupit, excitata contra Chriſtianos perſecutione, atq; uno die Principibus populi Chriſtiani Petro & Paulo interfectis.

Matth. 11.

Luc. 2.

Pſal. 71

3 Et hæc quidem Ambroſij eſt interpretatio: quæ nequaquam probabilis eſt, ſicut nec alias eiuſdem Ambroſij interpretationes priorum ſigillorum probabiles eſſe, nos ſupra oſtendimus, cum in eorum ſigillorum tractatione verſaremur. Enimuero, Deus per viſionem horum ſeptem ſigillorum factam B. Ioanni, voluit ei præmonſtrare, & per eum ſignificare Eccleſiæ ſuæ multa quæ poſt id temporis per diuerſa mundi tempora vſque ad conſummationem ſeculi futura erant, non autem voluit ei manifeſtare quæ iam eo tempore fuerant facta & præterita, quod ea bene nota eſſent Ioanni, nec eſſet ei ad ea ſcienda opus noua reuelatione. Natiuitas aūt Domini noſtri, ad q̄ refert Ambroſius Apertionem huius ſeptimi ſigilli, annos iam propè centū tēpus huius Viſionis præceſſerat, & quæ ad myſterium eius intelligendū pertinebat, nota erant Ioanni, & ipſi Eccleſiæ per ſanctos Euangeliſtas ſatis declarata & ſcriptis prodita.

Ambroſius refellitur.

4 Tertia interpretatio eſt Haymonis & Anſberti, vel vt verius dicā & paulò poſt indicabo, ipſius B. Gregorij. Cœlū, inquiūt iſti, hoc in loco vocatur Iuſtorū Eccleſia, quæ dū à frequentia rerū corporaliū cō templationis intimæ quaſi receſſum

Haymo. Anſbertus.

sum petit, & cogitationum tumultus reprimens, ad internæ quietis secretum penetrat, quasi quoddam silentium Deo in mente præparat. Sed quia in mortali hac vita contẽplatio perfecta homini non contingit, animoque quantumuis renitenti obtrudunt se varij cogitationum tumultus; rectè dicitur factũ esse silentium quasi media hora: per quod significatur breuitas quietis in contemplatione quæ Sanctis in hac vita conceditur. Quasi ergo media hora fit silentiũ in cœlo, cũ electorum animus, dum est in mortali corpore, & aliquid de superna quiete percipit, nec tamen in eo quod percepit diu stare valet. Sic isti. Verum hæc ferme ad verbum sumpta sunt à Beato Gregorio; qui disertè admodum disputans, de solitudine cordis, & quiete contemplationis in libro trigesimo Moralium, explanans illa verba Iob Capitis trigesimi noni, *Cui dedit in solitudine domum.* Locum hunc Apocalypsis luculẽter pertractat. De hoc inquit, secreto cordis scriptum est in Apocalypsi, *Factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora*. Cœlum quippè Ecclesia vocatur Electorũ quæ dum ad sublimia & æterna per subleuationem contemplationis intendit, surgentes ab infirmis cogitationum tumultus premit, atque intra se quoddam silentium Deo facit. Sed hoc contemplationis silentium, quia perfectum in hac vita esse non potest, ideo dimidia hora factum esse dicitur. Nolenti quippè animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursus ad respicienda terrena oculum cordis violenter trahunt. Vnde scriptum est, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sẽsum multa cogitantem.* Benè igitur factũ hoc silentium non integra, sed dimidia hora describitur, quia in hac vita contemplatio nequaquam perficitur, quamuis ardenter inchoetur. Sic Beatus Gregorius. Hanc interpretationem, licet ea videatur mystica potius esse quàm litteralis, propterea tamẽ hic referre visũ mihi est, quod ex hoc loco Apocalypsis documentum, elicit de solitudine & secreto cordis necessario eis qui student contemplationi.

S. Gregorius.

Locus Sap. 9.

SECVNDA Disputatio.

Enarratur & discutitur quarta interpretatio apertionis septimi sigilli, quàm tradunt Aureolus & Lyranus.

Silentium mediæ horæ factum in cœlo cum apertum esset septimum sigillum Aureolus & Lyranus referunt ad persecutionem Christianorum factam ab Imperatore Iuliano Apostata, qui Constantio in Romanum Imperium successit. Istius autem Iuliani persecutio appellata est hoc loco silentium, quia silere & cessare fecit ecclesias Christianorum à publico & solemni cultu Dei. Vel silentium vocatur, quia Iulianus silẽter insectatus est Christianos, quemadmodum si mordeat serpens in silentio, vt dixit Salomon. Non enim aperta persecutione per atrocitatem cruciatuum & tormẽtorũ uexauit Christianos more priorum Tyrannorũ animaduertit enim maius ex ea re Christianismi factum incremẽtum, celebrioremque Christiani nominis & virtutis famam & gloriam extitisse. Tacito igitur & dissimulato odio sæuitiaque animi aduersus Christianos, callidè & astute,

4. Interp. Aureolus. Lyranus. 5

Qualis fuit Iuliani Apostatæ persecutio christianorum.

Eccles. c. 10.

tè, quod per vim terrorèmque tormentorum vincere non poterat simulata humanitate, dissimulatàque malitia superare ac perdere sperauit. Specie namque innocentis, nocentissimus Christianorum hostis, primo, blandis sermonibus; deinde seueris cohortationibus, tū magnis promissis, collato etiam beneficio, reuocatis ab exilio videlicet Episcopis à Constantio damnatis: Christianos animos peruertere, virtutèmque labefactare tentauit. Sed cum hæc ratio non satis ei procederet ex sententia, conuersus ad peiora consilia, & in Christianismi perditionem intētus, ademit priuilegia & munera, tum præcipuè Ecclesijs, tum in commune Christianis à Constantino Magno indulta: Vetuit eos qui Christiani essent, liberales doctrinas & artes docere aut discere; Interdixit eis militia, honorùmque functionibus, & magistratuum administratione. Constantes porrò in Christianismi professione, & detestatione Paganismi, grauissima pecuniæ multa imposita expilabat; contra verò, Paganismi cultores fouebat, honorabat, locupletabat, & militiæ pacisque muneribus publicis admouebat. Iudęos quoque ad reficiendum templum Hierosolymitanum, ritùsque Mosaicæ legis repetendos atque recolendos incitauit & adiuuit. Quoniam itaque genus hoc persecutionis non in speciem atrox & sæuum, sed dissimulatum & tectum fuit, latenter, & quasi oblique procedens, propterea nominatur hoc loco silētiū. Propter eius quoquè persecutionis breuitatem dicitur silētium medię horæ, non enim amplius vno anno & septem mensibus imperauit Iulianus. licet Eutropius Imperiùm eius in septem annos extendat, cōputans id videlicet ab eo tempore quo primum à Constantino factus est Cæsar. Summam eorum quæ de Iuliano Apostata diximus, Beatus Hieronymus in supplemento Chronicorū Eusebij paucis hisce verbis perstrinxit: Iulianus trigesimus sextus Imperator Romanorū regnauit anno vno, & mensibus septem, vel, vt aiunt alij, annis duobus, & mensibus octo. Iuliano autem ad Idolorum cultum conuerso blanda persecutio fuit, illiciens magis quàm impellens ad sacrificandum; in qua multi ex nostris propria voluntate corruerunt Nam ab exilio Athanasius Alexandriam redijt, & Eusebius, & Lucifer, alijque ab exilio reuocati sunt. Lege à Iuliano lata, ne Christiani liberalium artium doctores essent, Prohelesius Sophista Atheniensis, licet sibi specialiter Iulianus concederet vt Christianos doceret, Scholam tamen sponte decreuit; Ecclesia Antiochiæ clausa est, & grauissima imminentis persecutionis procella, voluntate Dei, sopita est. Iulianus enim in Persas profectus, Christianorum, post victoriā, Dijs suis sanguinem vouerat; vbi à quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame & siti perdidisse exercitum, & inconsultius a suorum errasset agminibus, ab obuio fortè hostium milite ilia perfossus interijt anno ętatis trigesimo secundo. Sic Hieronymus.

Eutropius.

S. Hierony.

6 Et interpretatio quidem Septimi sigilli, secundum Aureolum, & Lyranum, huiusmodi est: quā ego quatuor de causis minime probabilem esse censeo. Principio, valdè incongruū videtur, pestiferam illam Iuliani persecutionē & Christianorū vexationē vocabulo silētij hoc loco esse appellatā Hoc enim nomē silētij p metaphorā in scriptura sępè vsurpatur pro pace & quiete, & vacuitate a bellis, & ab hostili vexatione vnde illud frequēs est in sacris litteris, *Siluit terra*, id est, quieuit, & vacauit à bellis, & ab hostili infestatione. Et quo exploratius & certius id fiat lectori, referā hic qua-

Nomen silētiū, & verbum silere, quid p Metaphorā significet in sacra Scriptura.

quatuor diuinæ scripturæ loca ex priori libro Machabæorum, in quibus verbum Silere, & nomen Silentij, ea qua dixi significatione positum est. Primus locus est in primo Capite eius libri, vbi Scriptor ille loquans de victoris Alexandri Magni, *Percussit*, inquit, *Darium Regem Persarum, & Medorum, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ, & pertransiit vsque ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentium, & siluit terra in conspectu eius*. Quod est illud, *Siluit terra in conspectu eius*, hoc nempe: Nemo ausus est ei resistere, aut cum eo belligerare, sed omnes Imperio eius submiserũt se. Alter locus est in Capite septimo, vbi post amplissimam illam Iudæ Machabæi victoriam, interfecto Nicanore: profligatoque hostium exercitu, subdũtur hæc verba, *Et siluit terra Iuda dies paucos*. Tertius locus est in Capite nono, in quo post mortem Alcymi dicitur, *Et siluit terra Iuda annis duobus, & cogitauerunt omnes iniqui dicentes, Ecce Ionatas & qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes vna nocte*. Quartus locus est in decimoquarto Capite eiusdem libri, loquens enim scriptura de Simone Machabæo, qui debellatis hostibus Iudæorum, maximam populo suo quietem, lætitiam, & gloriam attulerat habet hæc verba, *Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis*. Ex his quatuor locis (sunt autem alia plurima, quæ studio breuitatis hic referre supersedeo) satis apparet, verbum Silere, & nomen Silentij in Scriptura per Metaphorã vsurpari pro pace, & quiete, & pro vacuitate hostilis persecutionis & vexationis; & ideo nomẽ Silentij ad persecutionem Iuliani, & ad vexationem Ecclesiæ Christi sub eo factam nullo modo congruere potest.

Locus lib. 1. Machabæorum.

7 Deinde persecutiones Ecclesiæ ac populi Christiani, vel per Paganos, vel per Hæreticos, & Hypocritas, vel per Saracenos atque Mahometanos aliquando iacturas in apertione secundi, & tertij, & quarti sigilli esse præfiguratas, & pronunciatas; supra copiose ostendimus, cum in eorum sigillorum tractatione versaremur. Cum igitur hæc Iuliani Apostatæ persecutio in supradictis persecutionibus cõtineatur, vna etiam cum illis in superiorum sigillorum apertione præsignata est, non itaque ad eam significandam diuersa opus erat visione ac reuelatione. Adhæc valdè incongruum videtur, cum in apertione sexti sigilli prænunciata fuerint ea quæ in nouissimis Mũdi temporibus futura erant tam tristia atque calamitosa, quam læta & gloriosa; proximè post, in apertione septimi sigilli tam longè retrò ad significãdam Iuliani persecutionem rediri. Quid plura? post illud silentium mediæ horæ factũ in cęlo proximè habuit Beatus Ioannes visionem septem Angelorum tubis canentium, & grauissimarum plagarum quæ ad cantum illarum in terra factæ sunt; ea porrò Visia planè nullam habet cum Iuliani persecutione cohærẽtiam atque conuenientiam, vt cuiuis hæc ipsa consideranti & pensitanti manifestum esse potest: Nã interpretatio eius Visionis, quã Lyranus & Aureolus tradiderunt, oppido quam incongrua, & incita, & insulsa, & violenta est, vt suo loco demonstrabitur.

†

TER-

TERTIA Disputatio.

Excutitur quinta Interpretatio septimi sigilli, quæ est Ruperti & sexta quæ est Calij Panonij.

5. Interp. 8 Rupertus.

Arbitratur Rupertus, per septimi sigilli apertionē esse significatā cōsummationem eorum quæ à sāctis Prophetis de vltimo & generali totiùs mūdi iudicio prędicta fuerāt. Quando enim Christus Dominus, qui ascendit super omnes cœlos, sedetque à dextris Dei, veniet ad iudicandum viuos & mortuos, tunc, inquit Rupertus aperietur septimum sigillum, quia tunc diuinarū Scripturarū nec parium, nec leue momentum adimplebitur: exempli causa, tunc implebitur illud Sophoniæ vaticiniū, *Iuxta est dies Domini magnus, & velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubę, & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cęci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorū sicut humus, & corpora eorum sicut stercora Sed & argentum eorum, & aurum non poterit liberare eos in die iræ Domini in igne zeli eius deuorabitur omnis terra quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* (Sophon. 1.) Huius de illo die Iudicij Sophoniæ vaticinij similia leguntur passim apud alios Prophetas. Silentium igitur quod Ioannes ait factum esse in cælo, significat quietem illam de qua dixit Dauid, *Terra tremuit, & quieuit, cum resurgeret in iudicio Deus vt saluos faceret omnes māsuetos terræ.* (Locus Psal. 68.) dixerat autem paulò antè, *De cœlo auditum fecit iudicium*, more videlicet prophetico, præteritum ponens pro futuro. Et istorum quidem verborum hic est sensus, Quando de cœlo veniens, auditum facies iudiciū, dicens Iustis, *Venite benedicti Patris mei. percipite regnum paratum vobis à constitutione mundi*, tunc terra tremuit & quieuit, id est, impij contremiscent, & in perpetuum quiescent, & infestare Iustos nō amplius poterunt: tunc etiam sancti sub altare Dei clamantes vindictam sui sanguinis, quiescent, finemque clamoribus suis ponét, plenissima inimicorum suorum vltione facta Ergo id silentium in cœlo factum, cœlestis Ecclesiæ quietem post diem iudicij, sine fine futuram declarat. Quod autem dicitur, silentium illud fuisse quasi mediæ horæ, id & ad significationē prædictæ quietis & pacis satis est; & ad disiunctionē valet eorū quæ hactenus præmissa sunt, & eorum, quę deinceps sequētur; quia videlicet iam nunc ab alio exordio, mysteriorum siue reuelationum ordo recapitulatur. Hæc Rupertus.

Sed laborat Rupertus in declarādo cur illud silentium significans sanctorum quietem post diem iudicij futuram, vt ipse interpretatur, mediæ horę, dicatur; quę tempus denotat breuissimum, cum illa tamen quies sanctorum futura sit æterna: laborat, inquam, in hoc Rupertus, nec vllam potuit idoneam eius rei causam afferre. Illud prætereà facit contra Rupertum, quod illud silentium medię hore factum in cœlo, proximè subsecuta est visio ingentium plagarum & malorum quæ in nouissimis Mundi temporibus, ante diem iudicij futura sunt. Non igitur cōgrua (9 Confutatio Ruperti.)

grua est interpretatio Ruperti aientis, per illud præcedens silentiũ significatam esse Sãctorũ quietem post diem Iudicij futuram.

6. Interpre. Cœlius Pãnonius.

10 Sexta interpretatio est Cœlij Pannonij. Hic silẽtium factum in cęlo, similiter vt Beda & alij de quibus paulò infra dicturi sumus interpretatur de pace & quieta quæ cõtinget Ecclesiæ Christi post interitum Antichristi. Sed eo discrepat, quod illam semihoram silentij putat idem esse tempus, atque tempus illud mille annorum, per quos annos ligato Satana, Christianus populus incredibili pace, ac iucunditate, fœlicitateque perfruetur in terris, quæ nominatur prima resurrectio, de qua plurib. verbis infra capite vigesimo scribit B. Ioan. Sed rursus infideles, reparatis coniunctisque viribus, nouissimum & atrocissimum Christianis bellum inserẽt, quas gentes Ioannes infra nomine Gog & Magog appellat. Illud porrò tempus intermediæ quietis & pacis hic appellatur semihoræ, infra vero Capite vigesimo nominatur mille annorum. Id aũt est, & breue, & longum fore: nam vt præcisa & certa eius temporis ratio denotetur esse mortalib. incognita atq; incõprehensibilis, nũc breue, nunc longũ significatur, ne quis videlicet temerario ausu eius tẽporis longitudinẽ aut breuitatẽ determinare velit. Ceterũ, quia periculorum, & laborũ vacuitas & diutina pax & quies sæpe vitia parit & nutrit, eo fiet, vt tunc Christiani paulatim à charitate deferuescẽntes, & ab integritate spiritus deficiẽtes, ad carnis illecebras & corruptelas defluant, prorsus adeo, vt veniens Dominus ad Iudicium, vix fidem inuenturus sit in terris, sic ipse dixit *Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem super terram.* Et sicut in tempore Noe atque Lot homines impij volupta-

Locus Lucę 12.

tibus omnique generi vitiorum indulgentes, nihilque vindictam Dei metuentes, repentino diluuij atque incendij supplicio sunt oppressi, itidem erit in aduentu Domini ad Iudicium, de quo plurib. verbis a Matthæo & Luca scriptũ est: & in hanc quidem sententiam Cœlius Pannonius septimi sigilli apertionem interpretatus est.

Matth. 24 & Lucę 17

Sed ejus interpretatio magnũ quoddam videtur esse paradoxum non enim solum improbabile, verum etiam inopinale videtur, idẽ tempus in sacris litteris designari per mediam horam, atque per mille annos: cum tempus mediæ horę significet breuissimum tẽpus, mille verò annorum denotet quã longissimum tempus. Per millenariũ quippe numerũ solet diuina Scriptura significare indefinitam quãpiam, sed longè maximam vel annorum, vel aliarum rerum multitudinem; cuius vsurpationis exẽpla reperiet Lector in Cap 9. Iob, & in Deuteronomij Cap. 7. & 32. & in Psalmo 90. Deinde, Cęlius Pannonius tempus illud mille annorũ pacis, & quietis applicat ad tempus proximè subsequens mortem Antichristi: at Beatus Ioannes infra Capite vigesimo, non obscurè significat, illos mille annos esse terminandos in aduentu & persecutione ipsius Antichristi: Immò verò; communis est Patrũ & Theologorum sententia, per illos mille annos significatum esse tempus omne quod est à resurrectione Christi vsque ad regnum Antichristi, & vsque ad diem Iudicij. Legendus est Beatus Augustinus in libro vigesimo de ciuitate Dei Capite septimo, vbi de significatione istorum mille annorum copiose accurateque differit: cum quo etiam consentit B. Gregorius libro 9. Moral. cap. 1. & libro 35. cap. 20 eademque sententia est Primasij & Bedæ aliorũque libri Apocalypsis explanatorum super Caput 20. huius libri in explanatione 11

Refutatio Cœlij Pannonij.

tione illorum mille annorum. Ad hæc, Cęlius in sua Interpretatione videtur pugnantia inter se dicere, ait enim, finito tempore illius magnæ pacis & prosperitatis futuræ post mortem Antichristi, fore vt ex omnibus Mundi partibus insurgant aduersus populum Dei gentes, quæ innumerabili cōparato exercitu, bellum sanctis Dei cultoribus inferant atrocissimum: at verò Dominus noster in Euangelio, cuius verba referunt Matthæus 24. & Lucas 17. eaque citat etiam ipse Cęlius satis apertè indicant, finem illius maximæ pacis, & quietis & prosperitatis hominum, non alium forè quam repentinum Impiorum interitum, & aduentum Domini ad Iudicium.

QVARTA Disputatio.

Refertur septima Interpretatio apertionis septimi sigilli, quæ est Riberæ.

7. Interpre. Ribera. 12 FRanciscus Ribera putat, mysterium apertionis septimi sigilli non esse positum in illo silentio semihoræ, vt alij ferè omnes libri huius interpretes arbitrati sunt; sed contineri in ea visione quæ post illud silentium Beato Ioāni facta est septem Angelorum tubis canentium, & ingentiū plagarum quæ ad cantum illarum tubarum in terra & mari futuræ erant: hoc enim ex ipso verborū contextu manifestū sit. Nam postquam dixit, *Cum aperuisset sigillum septimum factum est silentium in cœlo quasi media hora*: proximè subdit mysterium septimi sigilli dicens, *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & data sunt illis septem tubæ, &c.* Quoniam igitur in sexto sigillo præsignata est beatitudo eorum qui ab Angelis signandi erāt in frontibus suis, vt supra in capite septimo dictum est, congruè nunc in septimo sigillo, vt in visione illorum septem Angelorum tubis canentium præmonstrantur supplicia eorum, qui tunc ab Angelis non signabuntur in frontib. Vnde infra capite nono legimus, *Et præceptum est ne læderent nisi tantū homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Illius porrò silentij quod per mediam horam factum esse dicitur in cęlo, Ribera duas affert rationes. Primò, significari ait summam Angelorum aliorumque cœlitum admirationem ob magnitudinem suppliciorū quę in apertione septimi sigilli viderunt esse futura, & impijs infligenda; similiter enim illa verba Domini, *Et virtutes cœlorum commouebuntur*, interpretati sunt Chrysostomus, & Hieronymus, & Euthymius. (*Matth. 24.*) Verum propterea hæc ratio non admodū placet Riberæ, quod nec satis constat, an statim vt apertū est septimū sigillū, illa Impiorū supplicia ostensa sint Cęlitib. & B. Ioanni: & quia maximis poliea supplicijs hominū futuris præsignatis, non legitur factum esse silentium, exempli causa, infra Capite 15. vbi exponitur visio de septem phialis Iræ Dei, & de plagis nouissimis, p̄mittuntur hæc verba, *Et vidi alium signum in cęlo magnum & mirabile.* Et cætera quæ sequuntur, nec tamen dicitur tunc esse factū in cęlo silentium. Probabilior itaque fit ei altera ratio quæ est huiusmodi: Aperto septimo sigillo non statim Ioannes vel audiuit, vel vidit mysteriū aliquod in cęlo, sicut in alijs sigillis factum erat, sed transijt semihoræ spatiū, priusquā aliquid videret vel audiret. Huiusmodi autem

mediæ horę silentium significabat illam Sáctorum beatitudinem supra descriptam in capite septimo, non eis statim vt signati erant, esse præstandam, sed prius futura esse omnia illa prodigia, & Reproborũ supplicia quæ per septem Angelos tubis canentes facienda esse præsignatum est. Post hæc autẽ, Regnũ Dei venturum est, per quod plena & integra Electis omnibus beatitudo continget, vt infra Capite decimo Beatus Ioãnes significauit. Hoc etiam sensit Andreas scribens, semihoræ silentium ostendere breuitatem temporis in quo post plagas illas inductas Regnũ Christi manifestabitur. Hactenus de septima Interpretatione quæ est Riberę dictum sit; Nostrum verò de ea Interpretatione Iudicium ex proximè sequentis Disputationis explicatione dilucescet.

QVINTA Disputatio.

Explicatur octaua Interpretatio Septimi Sgilli, quę est multorum, & quæ præ ceteris probatur auctori.

8 Interpr. Beda. Anselmus. Thomas Anglus Richardus. Dionysius Carthusianus.

13 Octaua Interpretatio Septimi Sigilli est Bedæ, quam præ cęteris approbarunt Anselmus, Ricardus, Thomas Anglus, Dionysius Carthusianus, aliiq; complures: ea verò est huiusmodi. Post interitum Antichristi, ait Beda, requies aliquantula creditur futura in Ecclesia, de qua intelligitur illud Danielis in Capite duodecimo, *Beatus qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque.* Quæ verba explanans sanctus Hieronymus ita scribit, Beatus qui interfecto Antichristo, super mille ducentos nonaginta dies, id est, tres annos & dimidium annum, quanto scilicet tempore regnaturus est Antichristus, dies quadraginta quinq; prę-stolatur, post quos est Dominus in sua Maiestate venturus. Quare autem post necem Antichristi, quadraginta quinq; dierum futurum sit silentiũ, diuinæ solius est scientiæ: nisi fortè dilatio illa regni sanctorum, patientię eorum probatio esse dicatur. Sic Hieronymus. Cuius verba non obscurè significant, eum putasse, quietem illam quadraginta quinque dierum inter Antichristi mortem, & Domini aduentum interiectam, esse significatam in Apocalypsi per silentium factum in cœlo quasi dimidia hora, de quo loquitur Ioannes in hoc loco; id enim ostendũt illa Hieronymi verba, (Quare autem post necem Antichristi, quadraginta quinque dierum futurum sit silentium, diuinæ solius est scientiæ.) Ecce, quietem illam Hieronymus vocat silentium, indubie respectum habens ad hunc locum Apocalypsis. Hieronymi porro auctoritas, viri, extra controuersiam, in scientia sacrarum litterarum doctissimi, magnum profectò est argumentum probabilitatis huius octauæ interpretationis.

Locus Danielis 12. 8 Hieron.

Cæterùm, illius post necem Antichristi moræ & quietis quadraginta quinque dierum, præter causam à Beato Hieronymo paulò supra in commemoratis eius verbis traditam, Glossa Interlinearis super illo Danielis loco aliam reddit rationem dicens, moram eorum quadraginta quinque dierum dandam esse post mortem Antichristi, cùm ad refrigerium Iustorum qui maiorem in modum in Antichristi persecutione afflictati, eius neci superfuerunt, tum ad pœnitentiam eorum qui decepti ab Antichristo, 14

Cur post necem Antichristi, & ante diem Iudicij, dãdum sit hominibus spaciũ quadraginta quinq; dierum.

christo, defecerant à fide: Sicut etiam Iudæis ad pœnitentiam agendam pro nece quam Domino nostro impiè & crudeliter intulerant, datum est spatium quadraginta annorum à passione Domini, vsque ad excidium Ierosolymitanum à Romanis factum. Nec verò illa pax & quies bonis & iustis tantùm continget; verùm etiam improbis atque impijs; qui tunc quasi iam defuncti malis omnibus, securè viuent toto animo voluptatibus & vitijs indulgentes, quos tamen supremum exitium non opinantes repente opprimet. Nam, vt Paulus scripsit ad Thessalonicenses, *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet, cùm enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentè superueniet eis interitus.*

15 Hinc apparet, quod noster Ribera obiecit aduersus hanc interpretationem, infirmum esse. Ait enim, per illud silentium factum in cœlo non potuisse significari quietem illam quæ proximè antecedet Domini aduentum ad Iudicium: Beatus enim Ioannes post illud silentium, habuit duas alias Visiones grauissimarum plagarum, & ingentium malorum quæ ventura sunt hominibus ante Domini aduentum. Et prior quidem Visio fuit septem Angelorum tubis canentium, quæ describitur, in hoc Capite octauo: altera Visio fuit septem item Angelorum habentium septem phialas iræ Dei, id est, septem plagas nouissimas, in quibus consummanda est ira Dei super terram, quæ visio enarratur infra Capite decimo quinto, & decimo sexto. Cùm igitur hæ plagæ futuræ sint post illud silentium, & ante Domini aduentum, nullo modo est probabile, per illud silentium significatam esse quietem, quæ proximè antecedet Domini aduentum; Sic Ribera. Ad cuius obiectionem dupliciter responderi potest. Cùm enim dicitur, post breue illud tempus pacis & quietis significatum in apertione septimi sigilli per silentium semihoræ factum in cœlo, futurum repentinum hominum impiorum interitum, & aduentum Domini ad Iudicium, non ita est hoc intelligendum; quasi omninò immediatè, nullâque prorsus interposita mora, repentè interituri sint impij, & venturus Dominus ad iudicium: non enim sic erit, sed statim post illam pacem & quietem fient plagæ & supplicia Impiorum quę infra prę signata sunt per Visionem septem Angelorum tubis canentium, & per aliam Visionem septem etiam Angelorum phialas plenas iræ Dei habentium. Vel, quia istæ plagæ, ac supplicia ex improuiso ac repentè accident impijs nihil tale tunc metuentibus aut opinantibus, & per illas plagas omnes impij de medio tollentur; idcirco verè dicitur, post illam pacem & quietem repentinum Impijs venturum interitum, quia repentè aduenient illæ plagæ quæ supremum illis afferent exitium. Verè item dicitur, post illam pacem & quietem venturum Dominum ad Iudicium; nam illæ plagæ ac supplicia Impiorum, quæ tempus illius pacis ac quietis subsequentur, proxima erunt signa, & quasi prænuntia iam instantis Domini aduentus ad Iudicium.

Obiectionis Riberę solutio.

Illud præterea responderi ad Riberę obiectionem potest, licet plagæ & supplicia Reproborum infrà per duas illas Visiones Angelorum designari, narrentur in hoc libro post illud silentium factum in cœlo, reuera tamen ea futura sunt ante illud pacis, & quietis breue tempus significatum per silentium semihorę factum in cœlo; sed posteriori loco narrantur, per figuram scilicet in sacra Scriptura non infrequentem, quæ appellatur recapitulatio, 16

Figura recapitulationis necnō & anticipationis frequens in sacra Scriptura.

tio, per quam posterius commemorantur, quæ prius facta sunt, sicut contra per figuram Anticipationis minime insolentem in sacris litteris prius narrant, quæ posterius gesta sunt.

17 Quod autem plagæ & supplicia Impiorum post illud silentium descripta, verè ante illud futura sint, ex eo satis apparet, quod illud silentium factum est in apertione septimi sigilli, ante quod in apertione sexti sigilli prænunciata sunt vltima mala Impiorum ventura illis proximè antè cõsummationem sœculi, & secundum Domini aduentum, vt per se patet ipsa verba considerãti. Cùm igitur plagæ ac supplicia Impiorum descripta in hoc libro post commemorationem illius silentij per semihoram in cœlo facti, futura sint ante vltima illa mala per apertionem sexti sigilli præsignata, aut certè eo ipso tempore: ex eo conficitur, illas plagas & supplicia post illud silentium commemorata, per figuram Recapitulationis esse in hoc libro descripta. Hæc mea vnius hæc est de istarum plagarum Recapitulatione sententia, sed eam plerique omnes libri huius Interpretes tenuerunt, Victorinus, Ticonius: Primasius, Beda, Haymo, Anselmus, Rupertus, Ricardus, Thomas Anglus, Dionysius Carthusianus, vt alios nunc taceam recentiores. Nos certè suprà in nostris Prolegomenis Lectorem præmonuimus, easdem res, præsertim ad nouissima mundi tempora, per diuersas visiones præsignari, tum ad maiorem veritatis rei certitudinem indicandam, tum ad pleniorem eius rei cognitionem præbendam, dum in posterioribus Visionibus manifestantur aliqua quæ in prioribus Visionibus non erant ostensa, nec tamen in earum Visionum descriptione rectus ordo temporis, & rerum gerendarum perpetuò seruatur.

18 Hactenus disputatum est pro defensione octauæ interpretationis septimi sigilli; cum qua bene congruit Interpretatio Andreę Cæsariensis, quam in suis Commentarijs in Apocalypsim exponit ipse his verbis, Per septimi sigilli solutionem denotatur regni terreni, & vitæ, atque conuersationis terrenæ finis; cui subseruient septem Angeli ad supplicia Impijs irroganda constituti à Deo. Silentium porro factum in cœlo, significauit vel summam Angelorum erga Maiestatem Dei reuerentiam, vel ignoratione certi temporis aduentus Domini ad iudicium, quam etiam Angeli habent, non solùm mortales. Dimidia verò hora silentij præsignauit breuitatem eius temporis quod intèr nouissimas plagas Mundo illatas, & regni Christi manifestationem intercedet, Sic ille.

Andreas.

19 Ego octauam hanc interpretationem cæteris antepono. Arbitror autem mysterium septimi sigilli esse positum in illo silentio semihorę quod in cœlo factum est, quale autem fuerit istud mysterium satis per octauam Interpretationem declaratum est. Quod autem dixi, facilè persuaderi poterit Lectori hoc argumento. In omnibus alijs sigillis, mysterium apertionis cuiusslibet eorum in eo positum esse cernimus, quod post apertionem illius sigilli immediatè vel dictum, vel ostensum est Beato Ioanni; exempli causa, de primi sigilli apertione ita suprà scriptum est, *Et cum aperuisset vnum de septem sigillis, audiui vnum de quatuor animalibus dicens Veni, & vide, & vidi, ecce equus albus, &c.* In significatione istius equi albi, & eius qui super eo sedebat, consistit mysterium apertionis huius primi sigilli Idèmque licet animaduertere in apertione secũdi, & tertij, & quarti sigilli. Mysteriũ quoque quinti sigilli est in eo quod immediatè post eius apertionem ostensum est Ioanni, Sic enim legimus

Aucteris sententia.

Apocalyp. 6.

mus, *Cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, &c.* Denique Mysterium sexti sigilli in eo est, quod Ioanni post eius sigilli apertionem proximè ostésum est, *Et vidi*, inquit Ioannes, *cùm aperuisset sigillum sextum, ecce terraemotus magnus factus est, & Sol factus est niger*, & cætera quæ sequuntur. Ergo simili ratione mysterium septimi sigilli in eo potissimum positum esse censeri debet, quòd post apertionem illius sigilli proximè osten sum est Beato Ioanni: Id verò fuit silentium in cœlo per mediam horam factum: Sic enim initio Capitis octaui scriptũ est, *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora.* Nam illud quod deinde sequitur, *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & data sunt il'is septem tubę.* Extra mysterium est septimi sigilli, & ad aliam, diuersamque pertinet Visionem. Si enim pertineret ad septimum sigillum dictum esset hic sicut dictum fuit suprà, *Et cùm aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi medię horę, & audiui vnum de quatuor Animalibus, vel vnum de Senioribus dicentem mihi, Veni, & vide; & vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datę sunt illis septem tubę.* Nos etiam paulo suprà ostendimus plagas præsignatas per istam Visionem Angelorum tubis canentium, futuras esse ante breue illud tempus significatum in apertione septimi sigilli per silentium semihoræ factum in cœlo; hinc autem necessariò concluditur, istam Visionem Angelorum, & plagarum, ad septimi sigilli mysterium nullo modo pertinere.

Sed hic finem habeat longissima tractatio septem sigillorum, siue libri septem sigillis signati, cuius libri, & sigillorum eius visio, cum & amplitudine, & obscuritate, & mysteriorum multitudine, ac profunditate, atq; præstantia alias omnes in hoc libro descriptas Visiones longè antecellat; mirum videri non debet, si ad hanc vnam Visionem dilucidè, subtiliter, copiosè, exacteque declarandum, duæ super centum Disputationes a nobis pertractatæ sint.

FINIS OPERIS.

Hunc tertium Tomum Selectarum disputationum centum octoginta trium super librum Apocalypsis, Auctor ipse iam septuagenarius, misit Lugdunum, Horatij Cardenij typis excudendum, Anno ab ortu Domini millesimo sexcentesimo sexto.

BENEDICTI PERERII VALENTINI, E SOCIETATE IESV.

Liber TRIVM ET VIGINTI Disputationum.

Aduersus Ioannem Annium Viterbiensem, & alios quosdam viros doctos, à quibus creditum & literis proditum est, verum Antichristum, de quo multa in Sacris literis prædicta, & à Patribus memoriæ tradita sunt, iam venisse; neque alium fuisse, quàm Maometem Pseudoprophetam, & Saracenorum sectæ Auctorem.

Superiorum Permissione, & Priuilegio.



VENETIIS, Apud Antonium Leonardum. M DC VII.

Facultas R. admodum in Christo P. P. Claudij Aquauiua Societatis IESV Præpositi Generalis huius libri imprimendi.

CVM opus hoc *Viginti trium disputationum aduersus quosdam viros doctos male de Antichristo opinantes, à P. Benedicto Pererio, nostræ Societatis Theologo compositum,* tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinebit, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 5. Ianuarij 1606.

Cl. Aquauiua, Societatis Iesu Præpositus Generalis.

Facultas R. D. D. Antonij Emmanuelis Chalomi huius libri imprimendi.

ANTONIVS Emmanuel Chalomus in præfectura Lugdunensi Consiliarius Regius, in primatu Franciæ Iudex, & in Archiepiscopatu Lugdunensi Vicarius Generalis: opus hoc à Benedicto Pererio magno ingenio, excellentique doctrina viro compositum, & à Theologis recognitum, vt in lucem edatur facultatem concedimus, Lugduni 29. Iulij 1606.

CHALOM.

BENEDICTI PERERII VALENTINI E SOCIETATE IESV.

PRIMA DISPVTATIO.

Qui fuerunt istius opinionis sectatores.

1 IOANNES Annius Viterbiensis, qui edidit Cōmētaria, Chronologica in Berosū, Manethonem, Metasthenem, & Philonem; vixit circa annum Domini millesimum, quadringentesimum, & octogesimum: Is etiam scripsit Commentariolum in septem extrema capita libri Apocalypsis, & dicauit Sixto Quarto Pontifici Maximo. Ante explanationem verò Apocalypsis, præmisit hanc disputationē, Vtrū Antichristus de quo multa sunt à Daniele, & B. Ioanne prædicta, iā venerit, nec alius fuerit, quam Maometes: & hoc ipse per longam Disputationem affirmat, & concludit. Annium secutus est Ioannes Henthenius; Is enim in sua Præfatione, quā antepoſuit Arethæ Commentarijs in Apocalypsim de Greco in Latinum sermonem à se conuersis sic ait, Non videtur absurdū quod sensit Ioannes Annius in Quęstionibus suis super Apocalypsim, quod bestia de qua loquitur Ioannes in capite decimotertio Apocalypsis habens duo cornua similia Agno, quam ferè omnes Interpretātur Antichristum, fuerit pseudopropheta Maometes; qui licet ante multos annos mortuus sit, eius tamē secta etiam nunc viuit, & viget ingente cum damno, & vexatione populi Christiani. Sic ille; & super hac ipsa re

Ioannes Annius.

Hennius.

bene longam subtexit disputationẽ, quaquam in eius Disputationis fine profiteatur, nolle dicta sua tanquam deliberatam, & certam ipsius sententiam accipit, sed tantũ voluisse occasionem se doctoribus dare, quæ certiora, & profundiora sunt perscrutandi.

2 Iacobus Clitouæus in suis Commentarijs in Damascenum super capite vigesimo septimo libri quarti de fide orthodoxa, ait, Multis sui sęculi doctissimis viris esse visũ verũ Antichristum non fuisse alium nisi Maometem, qui omnium maximè cõtrarius fuit Christo. Ac licet ibi Clitouæus nihil ex sua sententia decernat, cum tamen satis appàret, ad eam opinionem fuisse propensũ sicut etiã fuit Prateolus in littera M, in vocabulo Maometes. Quin etiam Genebrardus in sua Chronologia, in anno Domini quingentesimo nonagesimo, vbi primum incipit agere de Maomete; Ego, inquit, facile crediderim, Antichristũ fuisse ipsum Maometẽ: & adijcit eius rei argumentum ex ipso nomine Maometis, cuius litteræ continent numerum illum 666. qui est numerus nomis Antichristi, vt in capite 13. Apocalypsis significauit Beatus Ioannes.

Clitouæus.

Prateolus.

Genebrardus.

3 Sed redeamus ad Annium Viterbiẽsem, cum quo omnis futura nobis est disceptatio. Suã hãc Annius disputationem tres in partes distribuit, & ita ordinat, vt primo loco ponat rationes eorum, qui arbitrati sunt, nondũ venisse Antichristũ, secundo loco nonnullis ipse argumentis probat, iam venisse Antichristum, & hunc fuisse Maometẽ, tertio & vltimo loco respõdet ad rationes suę opinioni contrarias. At enim nos, quo breuiorem expeditioremque faciamus hãc tractationẽ, primo exponemus sententiã, & rationes Annij, quẽ sine dubitatione putamus vehementer esse allucinatũ, atque deceptum. Deinde rationes cõtrarias sentẽtię Annij cõmemorabimus, validèque firmabimus, reiectis earũ solutionibus ab ipso traditis, & cuilibet sententiæ, dictòque eius continuò refutationem eius subijciemus,

SECVNDA Disputatio.

Discutitur prima ratio, siue argumẽtatio, qua vult Annius probare Maometem fuisse verũ Antichristum.

Tripliciter Annius argumẽtatur, Maometẽ fuisse Antichristũ, Primo quidẽ hũc in modũ Omnes, inquit. Doctores, qui secũdũ litteram exposuerunt Apocalypsim, vnanimiter affirmant, eum librum interpretandum esse secundùm litteram de solo temporali statu quadruplici ipsius Ecclesiæ a tẽpore Beati Ioannis vsque ad finem mundi. Horum autem quatuor statuum primus, per apertionem septem sigillorum, significabat septem persecutiones Ecclesiæ sub Romanis imperatoribus. Secundus status per clangorem septem tubarum, præfigurabat septem principales hæreses, quibus valde oppugnanda, & diuexanda erat Ecclesia Christi. Harum porrò hæresum vltima fuit, & sub septima tuba nascens, secta Mahometana. Tertius status per septem phialas, iræ Dei, quæ continebant septem plagas nouissimas præfignabat septem graues admodum calamitatis, quas passura erat, & iam ferè passa est Ecclesia Quartus & vltimus status qui in futurum 4

rum

rum expectandus est, continet damnationem meretricis magnæ, id est, euersionem sectæ Saracenorum, & generalem Christianorum de Mahometanis triumphum. Atque hæc in summa, inquit Annius, & litteralis interpretatio Apocalypsis. Nam qui eam aliter exponunt, mysticam quidem veritatem tenent, sed a sensu litterali longè recedunt. Licet enim Apocalypsis, vt dixit Beatus Hieronymus, tot habeat mysteria, quot verba; & in singulis verbis multiplices lateant intelligentiæ: consensu tamen omnium Doctorum constat, inter varios sensus diuinæ Scripturæ solum litteralem sensum esse argumentatiuum, & esse quasi fundamentum cæterorum sensuum.

5 His igitur præmissis, quod intendit, sic argumentatur Annius, sub finem septimæ tubæ, quæ iam ante octingentos annos personuit, vt patet ex Chronicis, & ex ipso rerum euentu, & ex sententia expositorium literalium Apocalypsis, præcipuè verò Raymundi & Lyrani, extitit illa Bestia, in capite 13. Apocalypsis descripta, habens duo cornua similia Agno; quæ Bestia secundum omnes, significat Antichristum. Eo autem ipso tempore, id est, circa annum Domini sexcentesimum, extitit Maometes: qui verè bestia fuit, tum propter crudelitatem, tum propter bestialem sectam quam condidit: & is habuit duo cornua similia Agno, ea verò fuerũt, simulatio legis & doctrinæ à Deo sibi traditæ; & item simulatio miraculorum. Ergo cum omnia in ipsum congruant, & quadrent, ipse proculdubio fuit verus Antichristus.

Prima argumentatio Annij.

6 Hæc est Annij prima ratio siue argumentatio, sed hæc ratio & argumentatio leuissima est. Principio Annius ait, omnes expositores literales libri Apocalypsis exponere Apocalypsim de quadruplici Ecclesiæ statu, quem ipse declarauit: At isti omnes quos dicit expositores, non sunt nisi duo, aut tres, neque hi sunt ex primarijs, Aureolũ dico, & Lyranum, quibus adijcit ipse Raymundum, quem ego non legi. Cæteri autem omnes Interpretes libri Apocalypsis, vt Victorinus, Ticonius, Primasius, Ambrosius, Andreas Cesariensis, Aretha, Beda, Haymo, Ansbertus, Anselmus, Rupertus, Richardus, Ioachimus Abbas, Thomas Anglus, Dionysius Carthusianus, & complures alij recentiores, multò secus, & longè diuersa ratione Apocalypsim Beati Ioannis interpretati sunt. Deinde Annius satis incongruè atque insciè applicare & aptare voluit visionem septem sigillorum ad septem Ecclesiæ persecutiones a Romanis Imperatoribus factas vsq; ad tempus Constantini Magni. Istas enim persecutiones fuisse decem, & non septem, tam à Patribus quàm à Scriptoribus Ecclesiasticis traditũ est; quarum persecutionum vltimam Aureolus & Lyranus, quorum vestigijs insistit Annius, terminant non in tempore Constantini, siue in Maximiani & Diocletiani, sed multò post in Iuliano videlicet Apostata. His accedit, quod ratio interpretandi septem sigilla, quam tenuerunt Aureolus & Lyranus, & qua maximè innititur Annius, multiplici obnoxia est reprehensioni, vt nos super sextum Caput Apocalypsis in explanatione singulorum sigillorum ostendimus.

Refutatio rationis Annij.

†

TERTIA Disputatio.

Expenditur secunda ratio & argumentatio Annij.

7 SEcunda ratio & argumẽtatio Annij est huiusmodi. Beatus Paulus in secundo capite Epistolæ secundæ ad Thessalonicenses docet, priusquam venerit Antichristus, futuram discessionem a Romano videlicet Imperio, & ab obedientia Romanæ Ecclesiæ; & hoc videtur trãdere tanquam certum aduentus Antichristi signum. Sed quo tempore venit Maometes, iam ista discessio à Romano Imperio facta erat, Medorum videlicet atque Persarum, Chaldæorum, Mauritanorum, Ægyptiorum, Asianorum, & Græcorum: omnes etiam Patriarchatus tam Græciæ, quàm Orientis discesserant ab obediẽtia Romanæ Ecclesiæ. Hinc itaque apparet Maometem fuisse Antichristum.

Refutatur secunda ratio Annij. 8 Verùm in hac secunda ratione nihilo plusquam in prima ponderis est atque roboris. imo ea ratio destruit sententiam, quam Annius probare vult. Ista enim ratione conficeretur, multo ante Maometem venisse Antichristum: Multis quippè annis ante ipsum ingens facta est diuisio & diminutio atque deformatio Romani Imperij in multis prouincijs ei subiectis, per Gothos, Persas, Hunnos, Vandalos, Longobardos, qui ante Saracenos Romanum Imperium diu multumque vexauerunt, atque vastauerunt. Iam, verò discessio Ecclesiæ, & defectio multorum ab obedientia Romanę Ecclesiæ quanta, & quam diuturna est facta, & quondam per Arrianos, Hestitianos, Monotelitas, Pelagianos, & nostris hisce temporibus per Lutheranos & Caluinistas? Non igitur quælibet, & quomodolibet facta discessio certum aduentus Antichristi indicium est; sed discessio, & diuisio Romani Imperij in decem Reges, qui extremo mundi tempore miserè distrahent Romanum Imperium; Hoc enim Daniel Capite septimo significauit per decem cornua, quæ habebat quarta Bestia significans Romanum Imperium. Illorum autem decem Regum tres primò vincet Antichristus, Reges dico. Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ; quibus debellatis, reliqui septem Antichristi se submittent Imperio. Atque hoc sensisse & tradidisse Scriptores Ecclesiasticos affirmat Beatus Hieronymus super septimo capite Danielis: In eandem sententiam legenda sunt quæ scribit Lactantius libro septimo Diuinarum Institutionum. Talis itaque discessio & desolatio Romani Imperij quantum ad dignitatem & potestatem & nomen eius traditur ab Antiquis proximum certumq; signum aduẽtus Antichristi, vt probat Irenæus libro quinto ex Prophetia Danielis in capite secundo & septimo.

Huiusmodi porrò Romani Imperij discessio & desolatio nõdum facta est, multis enim sæculis post Maometem, atque adeo etiam nunc, summam tenet Romanus Imperator inter Christianos Principes & populos auctoritatem & dignitatem atq; maiestatem. Huc etiam spectat quod scribit Beatus Apostolus in secundo Capite posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses: *& nunc* inquit, *quid detineat, scitis,* 9

scitis, vt reueletur in suo tempore, &c. hæc verba indicant Paulum coram exposuisse Thessalonicensibus non venturum Antichristum nisi prius diuiso & dissoluto Romano Imperio; quoad verò illud staret, non esse vnturum Antichristum: sed hoc Paulus non putauit apertè committendum & prodendum litteris, & ideo subobscurè id significauit, unde subdit, *Qui nunc tenet teneat donec de medio fiat & tunc reuelabitur ille iniquus*, id est, Qui tenent Romanum Imperium teneant, & regnent, donec ipsum destruantur, tunc autem manifestabitur Antichristus, atque ita locum istum Pauli tam Greci quàm Latini sunt interpretati; idemque scribit Cyrillus, Ierosolymitanus Catachesi xv. Tertullianus de Resurrectione, & ad scapulam. & in Apologetico: Lactantius libro septimo, Optatus etiam Mileuctanus libro secundo contra Donatistas. Aiunt porrò isti ipsi Auctores, solitos olim Christanos assiduè orare Deum pro conseruatione Romani Imperij, quod persuasum haberent, quoad illud staret, non venturm Antichristum, & dilectum iri atrocissimam, quā ille aduersus Christianos concitaturus est persecutionem. Videat lector Sanctum Hieronymū in Responsione ad Quæstionem xi. Algasię, & Beatum Augustinum in libro 20. de Ciuitate Dei Capite 29. †

Cyrillus. *Tertulianus.* *Lactātius.* *optatus.*

QVARTA Disputatio.

Declaratur tertia ratio & argumētatio Annij, simulque super eadem re Aureoli & Lyrani refertur opinio.

10 TErtia ratio Annij hæc est Beatus Ioānes in decimotertio Capite libri Adocalypsis insinuit tēpus aduentus Antichristi, dicens, *Qui habet intellectum, computet numerū Bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vocabulum autem numeri interdum ponitur in scriptura pro tēpore, vt apud Dauidem, *Notum fac mihi finē meum & numerū dierum meorum, vt sciam quid desit mihi.* Dicit igitur Ioānes numerū hominis, esse numerū Antichristi, sexcenti sexaginta sex id est, tempus Natiuitatis Christi secundum humanam naturā, qui toties in Euāgelio appellatur filius hominis, accommodari debere ad numerum eius, id est, ad tempus ortus Antichristi per annos sexcentos sexaginta sex. Voluit autē verbis istis obscuris Ioannes significare, quòd a tempore quo natus est homo Christus vsque ad tempus quo nasciturus erat Antichristus ꝑterituri erant anni sexcēti sexaginta sex. Sed eo ipso tempore, id est, annis sexcentis sexaginta sex post ortū Christi natus est Maometes, nec vllus alius eo tempore fuit qui existimari possit fuisse Antichristus ergo Maometes fuit verus Antichristus, sic Annius.

Psalm. 36.

Aureolos in sua Compendiaria expositione libri Apocalypsis super caput 13. eius libri, etiam applicās ad Maometē numerū illum sexcēti sexa- 11

Aureolus.

sexaginta sex scribit, quod secũd ũ *Innocentius.*
expositionẽ Innocentij tertij, Isti
anni sexcenti sexaginta sex intelli
gi debent de tempore quo duratu
ra est secta Saracenorum, Verùm
hoc cum euentu rerũm non con-
gruit. Si enim computes a tempo-
re Maometis qui cœpit in anno ab
ortu Domini sexcentesimo vigesi-
mo septimo vsque ad præsen-
tem annum, iam multo plures sex
centis sexaginta sex annis præterie
runt, cum tamẽ etiam nunc duret
ac vigeat ista secta. Alij verò aliter
istum numerum annorũ interpre
tantur, & accomodant ad Maome
tẽm, & legem atque sectam eius.
Sed quia de futuris non est aliquid
per certitudinem temerè pronun-
tiandum, idcirco verus intellectus
istius numeri, Spiritui sancto relin-
quatur. Hæc Aureolus.

Lyranus. 12 Lyranus autẽ super istud Caput
13. libri Apocalypsis arbitratur, nu
mero illo sexcentorum sexaginta
sex non denotari tempus vel ortus
vel prędicationis, vel regni Maome
tis, sed propriè denotari tẽpus mor
tis eius. Ab ortu enim Domini vs-
que ad finem Imperij Imperato-
ris Heraclij, quo imperante vixit
Maometes, fluxerunt anni sexcen-
ti quadraginta tres. Cœpit autẽ He
raclius imperare, ãno Domini, sex
centesimo decimotertio, & impera
uit annis triginta. Maometes autẽ
vixit annis sexaginta tribus, qui iũ
cti prioribus efficiunt septingentos
sex annos, Verum ex his annis de-
trahẽdi sunt anni, quibus vixit Mao
metes imperante Heraclio, ne bis
eosdem annos computemus. Opi-
natur verò Lyranus istos annos
fuisse quadraginta quibus demptis
ex illo numero septingentorum
sex annorum, restant præcise sex-
centi sexaginta sex anni ab ortu
Domini vsque ad mortem Maome
tis ita Lyranus.

QVINTA Disputatio.

Refellitur proximè dicta ratio Annij.

TErtia hæc Annij ratio 13
& argumẽtatio, nihilo
melior, duabus priori
bus. quin etiã leuior
& putidior est Prin
cipio, falsum est illud
quod sumpsit Annius, vocabulum
numeri præcisè sumptum in sacris
literis interdum poni pro tempo-
re, nullum enim in sacra scriptura
huiusmodi vsurpationis exemplũ
reperire licet. Nam in testimonio
Dœuidis quod ipse adhibet, non di *Psalm. 38.*
citur præcisè, *Notum fac mihi nume
rum*, sed cum adiunctione *nume-
rum dierum meorum* quod apertè
denotat tempus, is enim loquen-
di modus non sũm in sacris sed etiã
in profanis litteris, & in vulgari
hominum sermone frequenter
vsurpatur pro tempore. Sed hoc
Annium nihil adiuuat. Deinde,
Beatus Ioannes eo in loco non lo-
quitur de numero temporis vel
ortus, vel regni, vel mortis Anti-
christi, sed de numero significato
per litteras nominis eius, vt in eius
loci explanatione omnes trãdunt
Interpretes, & verba proxima an-
tecedentia demonstrant, quibus si
gnificat Ioannes tale futurum An
tichristi nomen, vt eius nominis li
teræ Grecæ reddant illum nume-
rum sexcenti sexaginta sex.

Præterea falsum est, numerum 14
annorum sexcentorum sexagin-
ta sex ab ortu Domini quadrare
ad tempus vel Natiuitatis, vel præ
dicationis, vel mortis Pseudo pro-
phetæ Maometis, quod manife-
stũ fit legenti scriptores qui Chro
no-

nologiam vitæ, ac rerum gestarũ, obitusque Maometis scriptis prodiderunt. Matthæus Palmerius Florentinus, satis laudatus Chronographus circa annum Domini quingentesimum nonagesimum septimum sic ait: Maometes nascitur, qui postea tanquam magnus Dei propheta Saracenis leges dedit, & nascitur in Arabia: & circa annum Domini sexcentesimum vigesimumtertium ait, Maometem cœpisse profiteri se prophetã Dei,& suos sectatores vocasse Saracenos, à Sara legitima vxore Abrahæ, quasi legitimos diuinæ promissionis successores. Et in anno Domini sexcentesimo vigesimo septimo signat tẽpus mortis Maometis, ex quo apparet Maometem nec annũ ætatis quadragesimum excessisse, & multis annis obijsse ante sexcẽtesimũ sexagesimũ sextũ annũ ab ortu Domini Nostri. Et præter Palmerium idem tradũt plures alij. Cedrenus in Compendio Historiarũ scribit eũ esse mortuũ anno Domini sexcentesimo trigesimo. Maseus in Chronico Hispaniæ signat eius obitum in anno Domini sexcentesimo vigesimo octauo. Martinus Polonus tradit surrexisse Maometẽ prophetã Saracenorum circa annum duodecimum Imperij Heraclij, cuius Imperij exordium facit anno Domini sexcentesimo duodecimo. Genebrardus in sua Chronologia, asserit Maometem natum anno Domini quingentesimo nonagesimo secundo, & anno sexcentesimo vigesimo primo eũ iura & leges dare cœpisse, decennium regnasse in Arabia, mortuum esse anno Imperij Heraclij decimoseptimo. Cum autem Heraclius regnare cœperit circa annum Domini sexcentesimum duodecimum, Maometes verò natus sit circa annum Domini quingentesimum nonagesimum secundum, inde sequitur non peruenisse ad annum Domini sexcentesimum trigesimum. Apparet igitur ex his quæ dicta sunt, numerũ illũ sexcenti sexaginta sex, etiam si applicetur ad numerum sexcentorum sexaginta sex annorũ, qui ab ortu Domini fluxerunt, nullo tamen modo quadrare ad tempus vel prædicationis, vel regni, vel obitus ipsius Maometis.

Matthæus Palmerius *Cedrenus.* *Maseus.* *Martinus Polonus.* *Genebrar.*

SEXTA Disputatio.

Excutitur opinio Genebrardi opinantis vel ipsum nomen Maometis Græcè scriptum arguere fuisse eum Antichristum.

15 Genebrardus In sua Chronologia, eo quẽ paulo supra citaui loco, numerum illum sexcenti sexaginta sex verè intelligens de numero nominis Antichristi, opinatur, eum numerum designari per literas, quas habet nomen Maometis Græcè scriptum. Sunt autem literæ eius nominis octo M.A O.M.E.T.I.S: apud Græcos enim, apud quos literæ Alphabeti Græci singulæ denotant aliquem numerum, M, significat quadraginta, A, vnum, O, septuaginta, M, quadraginta, E, quinque, T, triginta, I, decem, S, ducenta, Ex his autem omnibus numeris significatis per octo literas in nomine Maometis Græcè scripto contentas, cõficitur numerus ille sexcentorum sexaginta sex, quẽ B. Ioan. dixit esse numerũ nominis Antichristi. Atque hinc probabilẽ duci coniecturam putat Genebrardus, Maometem fuisse Antichristum.

Genebrar.

16 Sed est profectò istiusmodi argumentatio valde topica, ob idque perinfirma. Nam cum multa sint nomina quorum litteræ reddunt

Genebrardus refellitur.

illum

illum ipsum numerum sexcentorum sexaginta sex, concluderetur vtique, si ratio Genebrardi admitteretur, multos ex his qui iam fuerunt, & nunc sunt, & postea futuri sunt, fuisse, & esse, & fore Antichristos. Ecce secundum Irænæū & Hyppolitum, nomen Antichristi erit Teitan: secundum Ticoniū & Andream Cæsariensem, nomē Antichristi erit ΛΑΜΠΕΤΙΣ: secūdum Aretham ΛΑΤΕΙΝΟΣ. secundum Primasium, Α'ΝΤΕΜΟΜ: quodlibet enim istorum nominum habet literas significantes numerum illum sexcentorum sexaginta sex. Tanta porrò varietas opinionum de nomine Antichristi ex eo nata est, quod literæ Græcæ significantes numerū sexcentorum sexaginta sex, in multa & varia nomina conuenire possunt. Non igitur satis est ad probandum aliquem fuisse Antichristum, ostendere in nomine eius contineri literas, quæ denotant numerum illum sexcentorum sexaginta sex: Sed præter hoc adesse debent cætera omnia, quæ de Antichristo, & à prophetis prædicta, & à patribus memoriæ prodita sunt.

17 Absoluimus priorem partem huius disputationis aduersus Annium, in qua ostendimus, inanes & futiles esse tres principales rationes, quibus ille probare conatus est, Maometem fuisse verum Antichristum. Sequitur posterior pars huius nostræ tractationis aduersus eundem Annium, in qua ponuntur septem rationes, quibus ostenditur, perabsurdum esse opinari, Maometem fuisse Antichristum, & responsiones Annij ad eas rationes confutantur.

†

SEPTIMA Disputatio.

Ponitur prima Ratio, & Annij ad eam Responsio reijcitur.

SEptem Rationū quibus probari potest, Maometem non fuisse Antichristum, prima est huiusmodi. 18 Est generalis atque omnium fidelium communis sententia, nondum aduenisse Antichristum, sed eum prope finē mūdi venturum: ergo Maometes, qui annis abhinc circiter mille, & venit, & mortuus est, non fuit Antichristus. Ad hanc rationē quadrupliciter Annius respondet. Primò, ait istā esse opinionē vulgi; non esse autem probabile, quod videtur vulgo, sed quod videtur sapientibus, vt docet Aristoteles in primo libro Topicorum. Deinde, etiamsi opinio ista sit aliquorum Doctorū, non est tamen, inquit, eorum, qui literaliter exposuerunt B. Ioannis Apocalypsim, sed eorum, qui tantum allegoricè, ac mysticè interpretati sunt. Ad hæc, ait, posteriores Doctores in hoc secutos esse priores Doctores, qui præcesserūt aduentum Maometis, & idcirco tunc verè dixerunt, nondum aduenisse, sed venturum esse Antichristum. Quarto & postremo loco respondet, dupliciter posse nos loqui de Antichristo, vel tanquam de vna aliqua singulari persona, vel de secta eius, cuius ille est quasi caput, & sectatores illius sunt tanquam membra ipsius: Solet autē scriptura eiusmodi caput, & membra eodem sæpius nomine appellare: exēpli causa, Hoc nomē Iacob, vel

Quadruplex Annij responsum ad primam rationem.

vel Israel, non solum illi Patriarchæ qui fuit filius Isaac, sed etiam posteritati eius non raro in sacris literis tribuitur: Nam Deus Exodi. 4. populum Hebræum appellat filium suum primogenitũ Israel. Quoniã igitur secta Maometi duratura est vsque ad finem mundi, & in nouissimo mundi tempore, atrocissima bella per gentes Gog & Magog concitabit, & geret aduersus Christianum populum, idcirco vltima illa pars sectæ Maometanæ potissimum insignitur, & appellatur nomine Antichristi. Et hæc est quidem Annij quadripartita responsio ad primam nostram Rationem.

19 Sed hæc eius responsio talis est, vt & meritò debeat, & facile refelli queat. Primo enim, generalem esse omnium fidelium sensum atque sententiam, non modo nunc, sed omnibus superioribus temporibus vsque ab exordio Ecclesiæ, quod Antichristus prope finẽ Mũdi venturus sit, pro magno & valido ducendum est argumento. Tã generalis etenim, & antiqua fidelium existimatio, aperte indicat eam esse vetustissimam certissimãque Traditionem ab Apostolis vsque profectam: præsertim verò cũ ea sententia non sit tantum vulgi, sed omnium Doctorũ, qui de Antichristo scripserunt: quorum concors est sententia, Antichristum nouissimo mundi tempore venturum, & persecutionem eius proximè futuram ante generale omniũ hominum Iudiciũ. Nec illi loquuti sunt de Antichristi secta, vel sectatoribus, sed de ipsa eius singulari persona, cui talia tribuunt, qualia sectæ, & sectatoribus eius haudquaquam conuenire possunt vt patet consideranti eorum, dicta, & ex his quæ nos in processu huius Disputationis dicturi sumus manifestum erit.

OCTAVA Disputatio.

Super Annij responsione ad secundam rationem qua probatur Maometem non fuisse Antichristum.

Ponit contra suam sen 20 tentiam Annius secundam rationẽ ductam, vt ipse putat, ex auctoritate Beati Augustini: in quodam inquit libello, quem de Antichristo scripsit Augustinus, ait, futurum ex gente Iudæorum Antichristum, & futurum ex Tribu Dan, & nasciturum Babylonæ: hæc autem tria nullo modo conueniunt Maometi, is enim nec Iudæus fuit, nec Babylonæ natus, sed Arabs, & in Arabia genitus. Ad hoc ita respondet Annius, Augustinum ista dixisse non historicè & literaliter loquendo, sed allegoricè ac mysticè, in quo genere interpretandi Doctor ille multũ excellit. Significare autem voluit Augustinus Antichristum assumpturum in legem ac sectam suam nonnullas Iudæorum ceremonias, vt circumcisionẽ & Sabbati obseruantiam, & quædã alia, quo magni sibi conciliet Iudæos, Et hoc reuera fecit Maometes, qui etiam secundum mysticum sensũ dici põt fuisse ex Tribu Dan; Dan enim filius fuit Iacob ex ancilla; per quod significatus est Maometes, is enim fuit ex gente Agarenorum, qui originem trahunt ab Ismaele filio Agar, quæ fuit ancilla Abrahæ. Quod verò dicitur Antichristum Babylonæ nasciturum, benè secundum mysticam intelligentiã aptatur Maometi: Babylõ enim vocatur

catur mater fornicationum, id est, Idololatriæ, siquidem ibi cœpit illa & maximè inquit: Maometes autem fatetur parentibus se natum esse Idololatris, & se Idololatriæ innutritum esse: Certè in suo Alcorano facit Deum ita secum loquentem: Pauper fuisti, & ditaui te: Idolis seruiuisti, & vocaui te; Hæc Annius.

Refutatio Annij. 21 Sed est profectò valde friuolum & nugale responsum hoc Annij Principio libellum de Antichristo quem sub nomine Augustini citat Annius, non esse ingenij, & facundiæ Augustinianæ opus, multis, & manifestis constat argumentis. Deinde, auctor illius libelli quicumque is fuerit, non allegoricè, & mysticè, vt inquit Annius, sed omnino historicè loquitur de Antichristo. Sed sunt complures alij Auctores istius libelli, multo grauiores & celebriores Scriptores, etiam ipso Beato Augustino vetustiores, qui tria illa supra dicta de Antichristo apertè, & affirmatè tradiderunt: Antichristum enim esse futurum Iudæum & Circumcisionem, & diem Sabbati seruaturum, ait Hieronymus super Caput 11. Danielis & putatus vulgo Ambrosius in secundum Caput secundæ Epistolæ ad Thessalonicenses, Beatus etiam Martinus apud Sulpitium in secundo libro, & Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi xv. necnon & Beatus Gregorius libr. 11. Epistolarum 3. Futurũ porro Antichristum ex tribu Dan tradit Irenæus libro v. & Hyppolitus in oratione de consumatione sæculi, Ambrosius de Benedictionibus Patriarcharum, Augustinus quæst. 22. in librum Iosue, Theodoretus quæst. 109. in Genesim, Beatus Gregorius libr. 31. Moralium Cap. 18. necnon & Damascenus libro 4. de fide orthodoxa capit. 27. Denique hoc ipsum tradũt Interpretes libri Apocalypsis super Caput septimum eius libri, vt Andreas Cæsariensis, Beda, Aymo, Ansbertus, Anselmus, Richardus, & plures alij. Cum igitur omnes supradicti Auctores historicè loquentes de Antichristo, affirmẽt fore ipsum genere Iudæum & ex tribu Dan, & nasciturum Babylonæ: Hæc aũt reuera nequaquam Maometi conueniant, velit nolit, fateri cogitur Annius, sententiam illam suam de Maomete, contra omnium esse Patrum, & Catholicorum Ecclesiæ Doctorum doctrinam & sententiam.

Hieronymus.

NONA Disputatio.

Refellitur Annij Responsio ad tertiam rationem quod Maometes non fuerit Antichristus.

TErtia Ratio, qua demonstratur, Maometem non fuisse Antichristum, est huiusmodi. Diuina scriptura apud Danielem capite septimo & duodecimo, significat, Antichristi regnum vel potius persecutionem fidelium ab eo concitandam, duraturam esse per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est vt omnes interpretantur, per tres annos & dimidium anni. Hoc autem nullo modo aptari potest ad Maometis regnum, vel ad eius sectam: nã & illius principatus multo fuit diuturnior, eiusque secta ab hinc mille ferme annis cœpta, etiam nunc permanet. 22

Locus Danielis ca. 7. & 12.

Ad hanc rationem dupliciter Annius respondet. Primò ait, supradictis verbis significari regnũ 23

Annij Responsio ad tertiam rationem.

Anti-

Antichristi, id est, Maometis, quantum ad vltimam partem sectæ & regni eius futuram paulo ante finem Mundi; quam B. Ioannes in Apocalypsi Capite vigesimo designauit vocabulo Gog, & Magog. Huius itaque sectæ Antichristi siue Maometis nouissima persecutio aduersus fideles Christi, durabit per tempus, & tempora, & dimidium temporis, id est, per tres annos & dimidium. Hæc iam responsio propterea non multum placet Annio, quod ei mystica magis, quam literalis esse videatur. Quocirca subijcit alteram responsionem, quam ipse magis approbat, quod eam putet esse literalem. Ait in supradictis illis verbis Danielis, vocabula illa *Tempus & tempora* nõ significare tempus propriè dictum siue temporariam durationẽ, sed significare regnum & dominationem temporalem, & secundum hanc significationem & intelligẽtiam, dictum illud Danielis optime aptatur Maometi. Tres enim sunt partes totius terræ habitabilis, Asia, Africa, & Europa: & Asia quidem ferè duplo maior est quam Africa; Europa duplici olim regebatur Imperio, altero Græco, siue Constantinopolitano; altero Latino seu Romano. Verissimè igitur à Daniele prædictum est, regnaturũ esse Antichristum per tempus, & tempora, & dimidium temporis: quia Maometes per sectam suam triplex Imperium adeptus est. Primum enim inuasit regnum Africæ, quod signatur per *tempus*: Deinde obtinuit regnum Asiæ, quod signatur per *tempora*, in duali numero positum, quia, vt dictũ est, Asia quasi duplo maior est q̃ Africa: Denique dimidiatum Europæ Imperiũ rapuit, Græcũ videlicet & Constantinopolitanum Imperium. Sic Annius.

Confutatio Annij. 14 Verũ in huiusmodi responsione Annij multa sunt meritò improbanda. Primo, q̃ Daniel in illis verbis loquatur de ipsa Antichristi persona, & de duratione persecutionis eius contra fideles Christi, cõcors est omniũ & Danielis, & libri Apocalypsis Interpretum, omniumq; Doctorum sententia: vt mirari satis non queam ingentem Annij vel inscitiam, sententiam Doctorũ omniũ ignorantis; vel temeritatẽ, arrogantiam, impudentiam, tot, tãtorumque virorum auctoritatem aspernatis, & pro nihilo ducentis. Deinde nusquã in diuina scriptura vocabulũ (tẽpus) significat tẽporale regnũ, & dominationẽ: est enim sanè quã ridiculus ipse Annius, qui ad hoc probandũ affert illa verba Dauidis, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam* (*Psal. 118.*) & illa Pauli: *Dies enim mali sunt*: (*Ephes. 5*) hęc enim testimonia nihil ad rem facere, apertè videt, etiam qui non acutè videt. Multo minus reperire licet, in sacris literis vocabulum tẽpus significare Asiam, vel Africã, vel Europã. Quomodo igitur Annius tam confidenter sua figmenta asserere, & nobis obtrudere ausus est, quæ nulla scripturæ, aut probati cuiuspiam Doctoris auctoritate firmantur: quin etiam, & Scripturæ, cunctisque Doctoribus aduersantur. Nempe, ista phrasis: *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis* tribus in locis diuinæ scripturæ reperitur primo apud Danielem Capite septimo, vbi loquens de quarta bestia, q̃ significabat quartum regnũ terrenũ, id est, Monarchiam & Imperium Romanorum ait, cornua decẽ eius Bestiæ significare decem Reges in quarto illo regno futuros; post quos surrecturus erat alius Rex potentior illis, *& tres inquit, illorum humiliabit, & sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimo conteret, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quis non videt, illud, *vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis* significare certũ quoddam temporis spatium

tiũ, quo ille præualebit aduersus sãctos, nec posse id vllo modo optari ad Regnum Asiæ, & Africæ, & Europæ. Idem Daniel iterũ ea phrasi vsus est in capite 12. Nam illi ex Angelo percunctanti *vsque quo finis horum mirabilium.* Respondens ille iurauit per viuentem in eternæ, *quia in tempus & tempora, & dimidium temporis* qua locutione proculdubio designauit certum aliquod temporis spacium, non autem regnũ aliquod temporale, vt dixit Annius. Denique reperitur hęc ipsa phrasis apud Beatum Ioannem in duodecimo Capite Apocalypsis: vbi loquens Beatus Ioannes de muliere, quæ amicta erat sole, & subiectam pedibus suis lunam habebat, sic ait, *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, & volauit in desertum, in locum suum vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, à facie serpentis.* Vel vnus hic locus euidenter conuincit, ineptissimam esse illam Annij Interpretationem de tribus terræ partibus, vt quæ ad hunc locũ Apocalypsis nullo modo congruat. Immò quod Ioannes in hoc loco dixit *Per tempus & tempora, & dimidium temporis.* Idipsum paulo ante in eodẽ capite apertius dixerat apposito certo numero dierũ, ita scribens. *Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus mille ducẽtis sexaginta:* qui numerus dierum efficit tres annos & dimidium anni, minus decem & octo diebus, qui dies ei numero desunt ad complementum trium annorum & dimidij anni. Si enim dixisset, diebus mille ducentis septuaginta octo, eo vtique numero integros tres annos, & dimidium anni expressisset. Cur autem Beatus Ioãnes illos decem & octo dies omiserit, causã requirat lector ab Interpretibus libri Apocalypsis, præsertim verò à nostro Ribera, cuius nõ est super ea re aspernabilis cõiectura.

DECIMA Disputatio.

Exponitur Annij Responsio ad quartam rationem, quæ est de Henoc & Elia futuris Antichristi aduersarijs, & prænuntijs secundi aduentus Domini ad Iudicium.

QVarta Ratio cõtra An- 26
niũ ita se habet Ex sacra Scriptura, ex antiquissima Ecclesiæ traditione, ex Patrũ sententia, ex communi sensu populi Christiani constat, quo tempore venturus est Antichristus, & paulo ante diem Iudicij, Deum eo tempore missurum duos quasi testes veritatis, Henoc & Eliam: qui retegãt & resoluãt fraudes Antichristi, eiusque doctrinam expugnent, furorẽ reprimant, retundant conatus, & fideles in fide Christi confirment, & errore deceptos ab Antichristo reuocent ad veritatem. De istis duobus extat in huius libri capite vndecimo illustris Beati Ioannis prophetia. In hæc verba. *Dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sũt duæ oliuæ, & duo Candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit nocere eis, ignis exibit de ore eorum & deuorabit inimicos eorum. Hi habent potestatem claudendi cęlum ne pluat diebus prophetiæ ipsorũ, & potestatẽ habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga quotiescunque voluerint, & cum finierint testimonium suum, Bestia, quæ ascẽdet de abysso, faciet aduersus eos bellum & vincet eos, & occidet illos.* Hęc Beati Ioannis prophetia de illis duobus testibus, secundum interpretationem ferè omnium eius libri explana-

planatorum, aliorumque Doctorũ pertinet ad Henoc & Eliam. Ergo si tempore Antichristi venturi sunt Henoc & Elias, cum isti nec tempore Maometis, neque vsque adhuc venerint, iam mille propemodum annis post Maometem translactis, euidenter concluditur, nec Maometem, nec vllum eorum qui antehac fuerunt, verum fuisse Antichristum.

Responsio Annij ad quartã rationem.

26 Ad hanc rationem ita respondet Annius. Istud inquit, de Henoc & Elia venturis contrà Antichristum nusquàm reperitur in sacris & Canonicis libris, sed est opinio popularis, nata ex Traditionibus Iudæorum, & Iudaizantium Hæreticorum, vt ait Beatus Hieronymus super illis verbis Malàchiæ: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetã priusquã veniat dies Domini magna, & horribilis &c.* docet enim Hieronymus per Eliam, secundum mysticum sẽsum, esse significatum Ioãnem Baptistam, percursorem primi aduentus Domini, de eo namque Gabriel dixit Zachariæ patri eius: *Ipse praecedet eum in spiritu & virtute Eliæ* & Dominus in Euãgelio loquens de Ioãne Baptista, *Elias, inquit, iam venit, & fecerunt in eum quæcumque voluerunt, & si vultis recipere, ipse Ioannes est Elias* non igitur apud Malachiam nomen Eliæ significat propriè verum illum Eliã, sed mistyce vel Ioãnem Bäptistam, vel vt inquit Hieronymus, chorum prophetarũ, id est perfectorum Doctorum, feruentiũ prædicatorum, & acrium propugnatorum fidei Christianæ.

Malac. 4.

Matt. 11.

27 Deinde obijcit Annius sibi ipsi auctoritatem & sententiam Beati Augustini affirmãtis, esse in Ecclesia & in populo Christiano receptissimum atque celeberrimum, in extremo mundi tempore Eliam vẽturum esse, qui sua prædicatione Iudæos ad fidẽ Christi conuerteret. Cui obiectioni sic occurrit Annius. Augustino, inquit, qui antiquã & communẽ populi opinionẽ secutus est de Elia venturo in nouissimis mundi temporibus, si eius dicta nõ sunt reijcienda, sed ad bonum sensum accomodanda, ita respondendũ est. Elias in propria persona nõ est pugnaturus cum persona Antichristi, qui vocatur in Apocalypsi Pseudopropheta, sed cum eius secta, quæ ibi nominatur Bestia: Hæc enim secta Maometis, quem putamus fuisse Antichristum, in vltimis mundi temporibus per gentes Gog & Magog, maximis viribus acerrimè oppugnabit Ecclesiam & populum Christianum. Ego autem inquit Annius, per Enoc & Eliam vẽturos, vt uulgo creditur ad repugnandũ Antichristo, significari arbitror, per Henoc quidem Imperatorem eo tempore futurum, Christianæ fidei ac Religionis propugnãdæ ac tuendæ Zelantissimũm: per Eliam verò, Pontificem Maximum qui duo extremis illis mundi temporibus per se, & per ardentissimos prędicatores Euangelij, & per milites fortissimos Christiani nominis defensores validissimè dimicabunt cum gentibus illis Gog & Magog; & quibus debellatis atque profligatis, fœlicissimam referent victoriam, & lætissimam pacẽ Christiano populo afferent. Hactenus responsio Annij ad quartam rationem enarrata est.

VNDECIMA Disputatio.

Supradicta Responsio Annij ad quartam rationem de aduentu Enoc & Eliæ refutatur.

SVpradicta Responsio Annij ad quartam rationẽ, licet ei valde acutã, & probabilis esse, penitusque rationem quartam dissoluere videatur; ea tamen si bene 28

ne consideretur, talis est, vt euidenter prodat & arguat ignorantiam eius cum ingenti confidentia & temeritate coniūctam; quod ex paucis quæ subijciam fiet lectori manifestum, Principio, Annius magna dicit asseueratione, nusquam in libris canonicis & sacris reperiri, Henoc & Eliam in extremis mundi temporibus esse venturos: At enim quatuor in locis diuinæ scripturæ id expressè traditū est. Primus locus est in capite quarto prophetiæ Malachiæ, vbi hæc referuntur Dei verba; *Ecce ego mittam vobis Eliā in prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet Cor Patrum ad filios, & Cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniant, & percutiant terram anathemate.* Quod autem Malachias istis verbis locutus sit de propria persona Eliæ, claro est indicio, & præualido argumento, quod auctor libri Ecclesiastici in Capite quadragesimo octauo loquens de laudibus Eliæ prophetæ, virtutes eius, ac res gestas commemorando hæc ipsa verba Malachiæ de ipso Elia ponit Et 70. Interpretes pro eo quod Latina translatio habet in illo Malachiæ loco, *Eliam prophetam* ipsi habent *Eliam Thesbitem* nempe vocabulo patriæ propriā illius prophetæ personam designantes: vt eorū translatio nullum prorsus reliquū faciat locū ambigēdi de vero Elia locutum esse in eo loco Malachiam.

Locus Malachiæ cap. 4. copiose tractatus.

29 Beatus Chrisostomus in Homilia quinquagesima octaua in Matthæum tractans hæc verba Malachiæ, & ponderans quod vocauerit Eliam Thesbitem: vide; inquit, exactam diligentiam prophetiæ prædicationis, nam quia propter mysterij similitudinem, Ioannes quoque poterat nominari Elias; ne confusio fieret, patriam eius adscripsit, Eliam Thesbitem appellans, Ioannes enim non erat Thesbites: Cætera quæ Chrysostomus deinceps subdit, videat lector apud ipsum. Istam quoque lectionem 70. Interpretum de Elia Thesbite habent in Cōmentarijs suis in Malachiā Hyeronimus Cyrillus, Theodoretus. Adhæc Malachias eo loco ait, Eliam venturum vt conuertat Hebræos, & sicut in Capite 48. Ecclesiastici scriptum est, *vt restituat tribus Iacob;* hoc aūt non præstitit Ioannes Baptista, paucissimi quippe Iudæorū per eum cōuersi sunt ad Christū. Denique, manifestè loquitur Malachias de aduentu futuro ante diem Iudicij, appellans eū diem Domini magnum, & horribilem, in quo terra percutienda est anathemate. Hoc aūt minimè conuenit in tēpus primi aduentus Domini, id enim tēpus diuina scriptura vocat tēpus acceptabile, & diē salutis, in quo dominus venit, non vt iudicet mūdum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Apparet igitur ex his quæ diximus Malachiā esse locutum de aduentu veri Eliæ ante diē Iudicij. Sed, nec ante Maometem, nec tempore ipsius, nec post ipsum vsq; ad hodiernā diē venit Elias talia faciens, qualia de eo prædicta sunt: ergo nec Maometes neque vllus eorū qui antehac fuerunt, verus fuit Antichristus.

Sanctus Chrisosto.

Sed nobis opponitur ab Annio 30 auctoritas Beati Hieronymi qui super eo Malachiæ loco scriptū reliquit, in illis Malachiæ verbis per nomen Eliæ significari vel vniuersum chorum Prophetarū vel Ioannem Baptistam præcursorem Domini, qui similē Eliæ spiritū, & virtutē habuit. Immo addit, putare verū Eliā venturū ante Domini aduentū, sententiā fuisse Iudæorū, & Iudaizantiū Hæreticorū. Ponam hic verba Hieronymi: Iudæi, inquit, & Iudaizantes Hæretici, ante suum Messiam putant esse venturum Eliā, & restituturum omnia. Vnde in Euangelio proposita est Christo hæc quæstio: *Quid est quod Pharisæi dicunt, quod Elias venturus*

Ioan 3.

turus est; quibus ille respondet: *Elias quidem veniet, &, si creditis, iam venit*: in Elia Ioannem intelligens. Sic ibi sanctus Hieronymus: Cuius verba magnam in dubitationem Rupertum adduxerunt in explanatione illius loci Malachiæ; verum Elias, sicut plerique arbitrantur, venturus sit in propria persona; an verò non ipse, sicut vir illustris B. Hieronymus sentire videtur. Sanè Malachiam, secūdum literalem sensum, locutum esse de Ioanne Baptista pluribus disputat Paulus Burgensis in secunda sua Additione ad postillas Nicolai de lyra in eum locum Malachiæ: ad eandem quoque sententiam propensissimus est Iansennius in suis Cōmētarijs super quadragesimū octauum Caput libri Ecclesiastici.

Rupertus.

Paulus Burgensis.

Explicatur subobscura quædā sentētia B. Hieronymi super locū Malachiæ supra citatum.

31 Sed enim ad B. Hieronymi auctoritatem, in qua putat Annius magnum esse præsidium sententiæ suæ, respondeo tripliciter. Primū dico Interpretationem illam verborum Malachiæ, non esse traditā à Sancto Hieronymo tanquam literalem & historicā, sed quasi mysticam & spiritualem. Cuius rei duplex manifestum est indicium: Cum enim Malachias ibi loquatur historicè de Mose & Elia, ipse trāsfert id ad spiritualem intelligentiam, dicens, per Mosen significari legis mandata, per Eliam verò, chorum prophetarum: Id quoque probat ex interpretatione nominis Eliæ, quod Latinè sonat Deus meus; & nominis Thesbites, quod significat conuersionem, siue pœnitentiam. Hæc autem dicta Hieronymi, nemo est qui non videat, ad mysticum & spiritualem sensum pertinere, non autem ad historicum & literalem. Deinde aio, quod Hieronymus dixit, errorem fuisse Iudæorum & Iudaizantium Hæreticorum, putare, Eliam etiā venturum esse antè Messiæ aduentum, sinè dubio intelligendum esse de priori aduētu Messiæ, in quo putabant Iudæi, eum magna cum potentia & gloria esse venturum, & aduentus eius Eliam prophetam futurum esse præcursorem atque prænuncium: Cum tamen Elias propheta posterioris aduentus Domini ad iudicium futurus sit præcursor, prioris verò aduentus non verus Elias in propria persona sed mysticus Elias, id est, Ioānes Baptista spiritum & virtutem Eliæ habens, præcursor futurus erat. Denique respondeo, de germanā B. Hieronymi sententia de vero Elia venturo ante secundum Domini aduentum, dubitari nullo modo posse: Id enim ipse super illis verbis, quæ refert Matthæus capite decimo septimo *Elias quidem venturus est, & restituet omnia* non solum apertis, sed conceptis etiam verbis scriptum reliquit: Sic enim ait, Ipse Elias, qui venturus est in secundo Saluatoris aduentu, iuxtà corporis fidem; nunc per Ioannem Baptistam venit in virtute & Spiritu. Hæc sanctus Hieronymus.

32 Pro clausula huius Disputationis referam hic, quod de aduentu Eliæ in extremis Mundi temporibus sensit B. Augustinus, & in vigesimonono Capite libri vigesimi de Ciuitate Dei, scripsit his verbis, Per Eliam Thesbitem, magnū sanè mirabilemque prophetam, exposita sibi lege, vltimo tempore ante Iudicium, Iudæos in Christū verum, id est, in Christum nostrū esse credituros; celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium. Ipso quippe ante aduentum Iudicis Saluatoris, non immeritò speratur esse venturus, qui etiam nūc viuere creditur: Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissimè sacra scriptura testatur. Hæc Augustinus, qui hæc dixit explanans verba illa Malachiæ de Elia, super quibus nunc disputamus.

5. Augustin.

4 Reg 2.

DVODECIMA Disputatio.

Explicantur duo alia Scripturæ loca de aduentu Henoc & Eliæ.

33 Secundus locus Scripturæ de aduẽtu Henoc, & Eliæ est in libro qui inscribitur Ecclesiasticus: in cuius capite quadragesimo quarto de Henoc verba sunt huiusmodi: *Henoc placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam.* Loquitur Auctor eius libri de vero Henoc, qui fuit ante diluuium, & ait, eum post translationem ipsius venturum ad dandam Gentibus pœnitentiam: nondum autem ille venit: ergo venturus est in posterum, scilicet in nouissimo Mundi tempore, vt est communis Patrum & Doctorum sententia, vt exemplo vitæ suæ, & per suam prædicationem adducat Gentes ad agendam pœnitentiam. Ex quo ẽt licet intelligere, eum nõdum esse mortuũ, sed adhuc viuere: quod apertè ostendunt illa Pauli verba, *Henoc translatus est, ne videret mortem* Est igitur Annius sanè quam ridiculus, qui per Henoc significari dixit Christianissimum quendam Imperatorem in extremis Mundi temporibus futurum, & contra Sectatores Antichristi pro Christiano populo fortiter & fęliciter pugnaturum.

Locus Ecclesiastici cap. 44.

Ad Hebr. 11.

34 In eiusdem etiam libri Ecclesiastici Capite quadragesimo octauo ità scriptum est de vero Elia: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui inscriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare Cor patris ad filios, & restituere tribus Iacob.* Quo in loco verba fiunt de vero Elia Thesbite, cuius ibi virtutes & res gestæ commemorantur: eadẽque propemodũ verba de Elia hic dicuntur, quæ Malachias de eo dixerat. Ea porro verba secundum literalem sensum, neque in Ioannem Baptistam, neque in chorum Prophetarum, neque in cętum Doctorum aut Prædicatorum vllo modo congruunt.

Locus Ecclesiastici cap. 48.

Tertius locus diuinæ scripturæ 35 de aduentu Eliæ continet verba illa Domini, quæ refert Matthæus Capite 17. *Elias venturus est, & restituet omnia* Hoc non potest intelligi de Ioanne Baptista, quippe qui, quo tempore hæc Dominus dixit, non erat venturus sed iam pridẽ venerat, cursumque suum per martyrium consummauerat: nec in ipsum quadrat illud, Restituet omnia. Super quib. Domini verbis Iãsenius in Capite 67. Suæ concordiæ Euangelicæ affirmat, antiquissimã esse, perpetuamque in populo Christiano Traditionẽ, & cõmunẽ Patrũ atque Doctorũ sententiã verum Eliam esse futurũ secundi aduẽtus Domini præcursorem, & restituturũ trib. Iacob, conuertendo Iudæos ad fidem Christi. Idq; Iãsenius arbitratur manifestè Malachiã supradictis verbis ostendisse quem locutũ esse de vero Elia, & de aduentu eius ante diem Iudicij probat ipse Iansenius quatuor argumentis, quorum vltimũ est hoc: Auctorẽ libri Ecclesiastici in capite 48 de vero Elia scribentem, iisdem de verbis vsum esse, quibus Malachias vsus fuerat. Sic Iansenius: quem ego demiror, cum hæc verè docteque scripsisset, in Cõmẽtarijs tamen suis in Ecclesiastĩ cũ cõtra sẽsisse, & scriptũ reliq sse.

Locus Matthæi, ca. 17.

Sed aduersari nobis videtur du 36 plex Domini nostri sententia, quã refert Matthæus. Nã apud eũ capite 11. Dominus loquẽs cũ Discipulis suis de Ioan. Baptista, dixit eis, *Si vultis recipere, ipse est Elias.* Et in capite 17. loquens de aduentu Eliæ, dixit,

Locus Matthæi ca. 11. & 17.

dixit, Elias quidem iam venit, & non cognouerunt eum. Tunc intellexerunt Discipuli quod de Ioanne Baptista dixisset Ergo secundũ Domini sentẽtiam, Elias, qui dicebatur esse venturus, non alius fuit, quã Ioannes

Duplex Elias in Euãgelio.

Baptista. Ad hanc obiectionem ita respondeo Dominus in Euangelio duplicem fecit Eliam: alterum quidem, verum Eliam, illum dico Eliã Thesbitem, magnum in veteri testamento, mirabilemque prophetam: qui præcursor erit secundi aduentus Domini ad Iudiciũ, & Iudæos conuertet ad Christũ: & de hoc Elia Intelligere oportet illud quod Dominus dixit, *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Alterum etiam fecit Dominus Eliam non quidem verum, sed, vt ita dicam, mysticum; nam licet in persona corporali diuersus erat à vero Elia; quia tamen in spiritu ac virtute similis fuit Eliæ, & simili Præcursoris munere functus est; propterea vocatus est Elias: & hic fuit

Luc. 1.

Ioan. Baptista, quẽ Gabriel Archãgelus patri eius vẽturum prædixit in spiritu & virtute Eliæ. Et de tali Elia illud Domini dictum, est accipiendum: *Elias quidem iam venit, & non cognouerunt eum;* & quod de Ioan. Baptista dixit, *Ipse est Elias.* Nam vt indicaret, se istud non propriè, & historicè, sed figuratè ac mysticè dixisse, præmisit illud, *Si vultis recipere* quod propterea dixit, quia loquebatur secũdum mysticum sensum, qui non affert necessitatem credendi, sicut literalis sensus, sed probabilem quandam duntaxat congruentiam. Qua etiã de causa illud post adiunxit, *qui habet aures audiendi audiat.* Significãs vtique, quod de Elia dixerat, id non esse cuiuis apertum, & cognobile, sed obscurum, & opertam habere intelligentiam.

DECIMATERTIA Disputatio.

Enarratur quartus diuinæ scripturæ locus ualde memorabilis & illustris de aduentu Henoc & Eliæ contra Antichristum.

PErinsignis est sacræ Scripturæ locus in Capite 11. libri Apocalypsis de aduentu. Henoc & Eliæ contra Antichristum, 37

Verba ipsius scripturæ sunt hæc; *Dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo Candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Si quis voluerit eis nocere, ignis exibit de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum Hi habent potestatem claudẽdi Cœlum ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem. & percutient terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimoniũ suũ, Bestia, quæ ascendet de abisso, faciet aduersum eos bellũ & vincet illos, & occidet eos: & corpora eorũ iacebũt in plateis Ciuitatis magnæ, quę vocatur spiritualiter & Sodoma & Aegyptus vbi Dominus eorum crucifixus est. Et post dies tres & dimidium, Spiritus vitę à Deo intrabit in eos. & stetrunt super pedes suos et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos, & audierunt vocem magnam de Cœlo dicentem eis, Ascendite huc; et ascenderunt in Cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum, &c.*

Hæc ꝓphetia Beati Ioan. apud 38 Patres & Doctores Ecclesiasticos per celebris est; eaque, sententiam Annij quod verus Antichristus fuerit Maometes, euidenter redarguit, & funditus euertit. Quã ob

Locus Apocalypsis ca. 11. distinctè ac subtiliter explicatur.

ob rem cursim hoc loco eam per partes, tripartimque declarabimus. *Dabo duobus testibus*, Quid eis dabit; os nempe, & sapientiam, cui nec Antichristus, nec eius sectatores poterũt resistere Vel dabit eis id nimirum quod sequitur, *& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Qualis erit ista eorum prophetia, vel prædicabunt, breui futurum illius persecutionis finem, extincto Antichristo; breuique venturum Dominum ad iudicandum omnes, vel prophetabunt, id est, prædicabũt fidem Christi, Scripturas, quæ de ipsa sunt, interpretantes, & Antichristi mendacia detegentes atque confutantes. Dies autem mille ducenti sexaginta, efficiunt tres annos, & dimidiũ absque decem, & octo diebus, qui si adderentur supra dictis mille ducentis sexaginta diebus, efficerent plenos tres annos & dimidium anni, ergo per illos mille ducentos sexaginta dies prophetabũt isti duo testes contra Antichristum, & in fine illorum dierum occidentur ab ipso: illis vero decem & octo diebus qui deerunt ad complementum trium annorum & dimidij, durabit post eorum mortem persecutio Antichristi, sed post illos cessabit, extincto Antichristo. *Amicti saccis* vt non solum verbo, sed ipso etiam habitu pœnitentiam prędicent Vel quo manifestum faciãt mærorem & luctum, quo propter eos afficientur, qui tunc temporis in Antichristi errores abducti comperientur. *Hi sunt duæ oliuæ, & duo Candelabra.* Simile quid legitur apud Zachariam de Zorobabele duce populi, & de Iesu sacerdote magno. Sic autẽ appellantur, quod bonorum operum oleo, cognitionis luminis fomentum suggerent, veritatisque vehicula existent. Vel Candelabra dicuntur, quia in densissima illa persecutionis caligine lucem veritatis hominibus ostendent: Oliuæ appellantur, quasi oleo Spiritus sancti, per gratiam largissimè vncti: vel quia magnam illi exercebunt misericordiam erga homines in illa persecutione positos, consolando afflictos, roborando infirmos, in fide nutantes fulciendo, denique sustentando omnes promissione diuini auxilij mox ipsis, Antichristo interfecto, affuturi. *Hi habent potestatem claudendi Cœlum ne pluat, & conuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga.* Quoniam Antichristus in omni genere mẽdacium prodigiorum & signorum futurus est omnium veneficorum, & Maleficorũ princeps, omniũ præstigiatorum coryphæus, vtpote vniuersa Diaboli fraude, & energia perfectè imbutus; idcirco prouidẽtissimus Deus duos illos testes suos verorum miraculorum virtute armabit, qui demonstratione veritatis, mendacia eius redarguant; & seductos ab illo partim manifesta ratione, partim omni plagarum, & calamitatum genere, vt sunt terræ siccitas & sterilitas, aeris intẽperies & pestilentia, & id genus alia, ad veritatis lucẽ conuertant: ipsum verò impostorem Antichristũ palam illi reuincẽt, publiceq; confundent nihil interim incommodi neq; ab vllo alio, donec propheriã, & ministeriũ suũ expleuerint, perpessuri. *Et cum finierint testimoniũ suum, Bestia, quæ ascendet de abysso, faciet aduersus eos bellũ, & vincet eos, & occidet illos, & corpora eorũ iacebunt in plateis Ciuitatis magnæ &c.* Postquam inquit hi duo testes fraudes Antichristi detexerint, maximeq; vitandas esse palam ostenderint hominibus Bestia, id est Antichristus, ex abysso, id est, ex abstrusis & obscuris humidisq; locis vt sicut interpretatur Andreas Cæsariensis in quib. Diabolus versari solitus est, egredietur & secundũ permissionem diuinam interficiet illos, & corpora eorũ p plateas Ierusalem vltro citroque iactata, relinquet insepulta; nimirum

Ierusalẽ futura sedes regni Antichristi.

rum in ciuitate Ierusalem, vt probabile est, inquit Andreas, ad imitationem Dauidis, sedem regni sui collocabit Antichristus. *Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intrabit in eos, &c.* Post tres videlicet dies & dimidiũ, quibus extincti iacebũt, quot nimirum annis vaticinati fuerant, denuo reuiuiscent, & nubis vehiculo subuecti ad cœlum ascendent, ingentem hominibus, qui ante viderant eos, stuporem pariter, atque timoré allaturi. Et hæc quidem ad breuem istius Prophetiæ interpretationem pertinentia, carptim a nobis dicta sint.

Illos duos testes, fore Henoc. & Eliam.

39 Sed illud in hac Prophetia principalem habet quęstionem qui sint isti duo testes contra Antichristum venturi, quorum prædicatio tam multis est, tamque notabilibus atque illustribus insignita circumstãtijs. Ad hanc quæstionem breuiter respondens Andreas super illo Apocalypsis loco, Per hos inquit, duos testes; plerique Doctores intellexerunt Henoc & Eliam, qui sub mundi finem accepturi sunt a Deo spatium trium annorum & dimidij anni ad vaticinandum & prædicandum contra Antichristum, sic ille. Equidem quod alter istorum duorũ testium sit futurus Elias, video inter omnes conuenire. Augustinus certè in libro 20. de Ciuitate Dei, cap. 29. scribit, quod Elias in vltimo Mundi tempore ante diem Iudicij venturus sit, & Iudæos ad Christum conuersurus, id esse in fidelium Cordibus, & sermonibus celeberrimum. Idem affirmant Hylarius Hieronymus Chrysostomus pluresque alij interpretes Matthæi super illis Domini verbis Capitis 17. *Elias venturus est, & restituet omnia*, & Cyrillus atque Theodoretus super illis verbis Malachię Capitis quarti: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam*, & sine dubio Eliam indicare voluit Ioannes Apocalyp. 11. cum loquens de duobus illis testibus, dixit, ignem exiturum de ore eorum, & deuoraturum inimicos eorum, & habituros potestaté claudendi Cœlum ne pluat, hæc enim de ipso Elia traduntur in tertio libro Regum cap. 17. & in 4. lib. Cap. 1. & in Ecclesiastico cap. 48.

Andreas.

40 Quisnam porrò futurus sit alter ille testis, qui socius erit Eliæ, non æque confessum est omnibus. Victorinus enim super cap. 11. Apocalypsis ait, socium Eliæ futurum Ieremiam: at verò super eodem loco Ioachimus Abbas & Ioannes Gagnæus putant, futurum Mosem, sed est antiqua traditio in populo Dei & communis Patrum & Doctorũ sententia, duos illos testes fore Eliam, & Henoc. Videat lector Chrysostomum in 2. Caput posterioris Epistolæ ad Thessal. Gregorium li. 9. Moralium Cap. 4. & Homil. 12. in Ezechielé Hyppolitum in oratione de Consummatione mundi; Damascenum libro quarto de fide Orthodoxa Cap. 27. & complures Interpretes libri Apocalypsis super Caput. 11. vbi Aretha hæc scribit. De aduentu Henoc ante diem Iudicij, testimonium ex ipsa diuina scriptura non habemus, quæ tantũ docet illum translatum ne gustaret mortem. Fertur tamen ex traditione præconum Christi, quod inuariabiliter in Ecclesia recipitur, ipsum etiam Henoc tum venturum cũ Elia Thesbite, sic Aretha. Et istã quidem tam antiquam & probatã Traditioné duo scripturæ loca valde confirmant, quorum vnus est in capite 44. Ecclesiastici, vbi dicitur Henoc fuisse translatum, vt det Gétibus pœnitentiã, quo significatur, eum post translationem suam fuisse venturum ad dandam pœnitentiã Gétibus, quod adhuc nõ præstitit, sed præstaturus est sub finem mundi, seductos ab Antichristo reuocando ad pœnitẽtiã. Alter locus est in Capite 11. Epistolæ ad Hebreos, ubi Paulus scribés, trãslatũ fuisse Henoc nę videret morté, satis in

An Henoc si futurus alter testes. *Victorinus.* *Ioachimus.* *Ganeus.* *Chrysost.* *Gregorius.* *Hyppolitus* *Damascenus.* *Aretha.* *Gen. 5.* *Ad Hebr. 11.*

dicat eũ nõ esse adhuc mortuũ. Cur verò tot annorũ millib. & tãto diuinæ potentiæ miraculo seruetur Henoc in vita, alia non potest afferri idonea & probabilis ratio, nisi quia sub finem mundi testis veritatis Christianæ futurus est aduersus Antichristum.

DECIMAQVARTA Disputatio.

Declaratur quinta ratio contra Annium quod Maometes non fuerit verus Antichristus.

41 QVinta Ratio contra sententiam Annij est hæc: & sacra Scriptura multique & antiqui scriptores Ecclesiastici, aiunt multa & magna prodigia factum iri per Antichristum & ministros eius, quæ hominum existimatione censebuntur verissima & maxima miracula. Dominus enim noster apud Matthæũ capite 24. loquẽs de nouissima persecutione fideliũ per Antichristum futuras, *Surgent, inquit, Pseudo Christi & Pseudoprophetæ & dabunt signa, & prodigia magna, ita vt in errorem inducantur* (si fieri potest) *etiam electi.* Prodigia, quæ facturus est Antichristus & per se & per ministros suos, Hæc commemorat Hyppolitus in oratione de Consummatione Mundi; Leprosos mundabit, paralyticos sanabit, Dæmones expellet, absentia & longinqua, non aliter quam præsentia denũtiabit, mortuos suscitabit, Montes transferet, pedibus suis ambulabit super mare, ignem de Cęlo descendere faciet, diem conuertet in tenebras, & cõtra noctẽ in lucem clarissimã. Videbitur suo imperio solẽ circumagere quocũque voluerit, & dominari atque imperare omnib. Elementis. Astabunt illi, tanquã Satellites eius, q̃ plurimi Dæmones, sed in splendida Angelorũ specie, parati ad exequenda eius iussa, qui eum, quasi Deũ, adorabunt, & hymnis varijsque canticis celebrabũt. Sic Hyppolitus. Verũ signorũ & prodigiorum, quæ facturus est Antichristus tria in capite 13. libri Apocalypsis ponuntur exempla: quorum vnũ est, quod faciet ignem de Cęlo descendere; alterũ, quod faciet imaginem bestiæ more humano loqui tertiũ, quod simulabit se mori & paulo post à morte resurgere, propter quod præcipuè miraculũ erit hominibus maxime admirabilis.

Quæ prodigia facturus sit Antichristi.

Hyppolitus.

Tria præcipua Antichristi prodigia.

Hæc Antichristi miracula Paulus in capite 2. posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses vocat mendacia: quamobrem Augustinus libr. 20. de Ciuitate Dei. cap. 19. disputat vtrum dicta sint mendacia, quia non sunt futura vera, sed tantum simulata & ficta, & sensus atque opinionẽ hominũ fallentia: an potius dicta sint mendacia, quod etsi re ipsa sint vera futura, eis tamen vtetur Antichristus ad persuadendum hominibus maximum illud mendacium, quod ipse sit verus Christus, verusq; Deus. Istam quæstionem Augustinus eo loco relinquit in medio: sed profecto Antichristi signa quatuor modis erũt mendacia primũ, respectu causæ efficientis. simulabit enim Antichristus signa sua fieri ã Deo in testimonium veritatis quã ipse docebit: cũ tamen ea fient per occultas naturalium causarum virtutes, ad id maximè Dæmonib. naturali suæ scientia & potentia cooperantib. Deinde, mendacia erunt respectu materiæ: multa enim reuera non erunt talia, qualia videbuntur, sed habebunt speciem tantum, non veritatem rerum, fallaci ostentatione præstigijsque sensus hominum fallentia. Ad hæc, mendacia erunt respe-

Cur Beatus Paulus signa quæ facturus est Antichristus, vocauerit mendacia.

S. August.

respectu formæ, vera enim, &, vt loquimur in scholis, formalis ratio miraculi propriè dicti, est, vt sit opus supernaturale, omnis creatæ naturæ potestatem excedens, qualia non erunt Antichristi signa. Postremo, mendacia erunt respectu finis; ea namque Antichristus ad eũ finem faciet, vt maximũ & perniciosissimum mẽdacium hominibus persuadeat, se verum esse Messiam & Saluatorem Mundi, verũque Deum. Ex his quæ dicta sunt de futuris Antichristi miraculis, euidenter concluditur, Maometẽ non fuisse verum Antichristum, nã nec per se, nec per suos ministros talia fecit signa Maometes, qualia facturum Antichristum, & in sacris literis, & in Sanctorum Patrum, veterũque Auctorũ scriptis proditum testatumque est.

DECIMAQVINTA Disputatio.

Commemoratur & refellitur Annij, & quorundam aliorum Responsio ad supradictam quintam rationem.

43 NEgat Annius, Maometem non fecisse signa, quæ facturum Antichristum esse in decimotertio capite libri Apocalypsis prædictum est: Ait, tamen, signa illic commemorata, non historicè, nec vt verba sonant, esse accipienda, sed figuratè, ac metaphoricè. Dicitur illic, quod Antichristus faciet ignem de Cœlo descendere: sed vocabulo ignis significantur Angeli, iuxta illud Dauidis, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Et huiusmodi signum fecisse Maometem, consentit etiam Lyranus super illo capite Apocalypsis. Maometes quippe, caduco morbo laborans, simulabat se in terram cadere propter nimium splendorẽ Angeli de cœlo ad se descendentis, secumque sermocinantis. Laudat Annius magistrũ quendã nomine Nicholeũ ordinis Prędicatorũ, qui totũ fere orientem peragrauit, & scripsit præclarum quẽdam tractatum cõtra Alcoranum, cuius tractatus initium est: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Hic Nicholeus in suo Itinerario narrat, se, cum esset Niniue & Babylone, vidisse quosdã ex Maometanis incredibili abstinentia, q etiam in asperrima hyeme nudi semper essent, quorũ nõnulli nudis pedibus ignem calcabant, & extinguebant. Cuius rei simile quiddã refert Plinius in libro septimo de quibusdam, qui in monte Soracte sacrificantes Apollini, per accẽsos rogos, ardentesq; carbones, nudis pedibus innoxiè perambulabant.

Psal. 103.

Psal. 118.

44 Illud verò prodigiũ, quod Antichristus dabit Spiritum & facultatem loquẽdi Imagini Bestiæ, sic de Maomete interpretatur Lyranus: Bestia est secta impia, & legi Christianæ contraria, ipsorum Saracenorum, & Maometanorum: Pseudopropheta est ipse Maometes: Imago Bestiæ, est simulata, & ficta lex, quam suis Sectatorib. dedit simulans eam à Deo sibi esse traditam, cum ea fuerit a Diabolo ei inspirata & tradita, & ex variis doctrinis, Iudæorum, Hæreticorũ, & Gentiliũ conflata. Huic legi dedit Maometes spiritum loquacem, qui est promulgationis & obseruationis eius legis effectus, ita vt maximis clamoribus, & terroribus loquatur contra Ecclesiam Christi, & populum eius.

45 Discipuli Maometis, vt referũt Aureolus & Lyranus super 13. caput Apocalypsis, multa fecisse Maometẽ miracula, nugantur. Sed quatuor præcipua cõmemorant: vnũ

Fabulosa Maometis quatuor miracula.

de Angelo descendente de Cœlo, & cum ipso familiariter loquente: Secundum, de Luna, quę de Cœlo descendit ad ipsum, & locuta est cum eo. Tertium, de arbore fici, quæ ab eo vocata, humiliter se inclinauit erga ipsum. Quartum de boue & agno, qui humana voce & sermone locuti sunt ei: Verùm ista, nugæ, & fabulæ, meráque sunt figmenta & mēdacia. Equidē istos demiror, cū fingere ac mentiri vellēt nō multò de Maomete maiora & admirabiliora fuisse mētitos.

Confutatio responsionis ad quintā rationem.

46 Sed nos responsionem Annij ad quintam Rationem confutemus. Nimis profectò cœcus est, qui non videt, istorum responsionem non modo perinfimam esse, verùm etiā futilem, & planè ridiculam. Quid enim dici potest ineptius atque insulsius, quàm ignem, quem Antichristus de Cœlo faciet descendere, interpretari Angelum, quem ad se mitti à Deo simulabat Maometes? Sanè, præter istos duos, Anniū, & Lyranum, omnes libri Apocalypsis interpretes, & Patres, atque antiqui Scriptores, qui de rebus Antichristi scripserunt, illud prodigium ignis, d. vero igne per artificium magicum, & diabolicū adiutorium in terras demisso intellexerunt, atque interpretati sunt. Constat præterea, nec supradicta miracula, nec alia vlla fecisse Maometē. Damascenus certè minus cētum annis posterior Maomete, sub finē eius libri quem inscripsit de Centū Hæresibus, affirmat, Maometem nullo testimonio, nec pręcedentiū prophetarum, nec præsentium miraculorum legem suam probare potuisse. Quinetiam Maometes ipse fatetur in Alcorano, diuinitus Christo data esse miracula ad probandā legem suam; Sibi autem, ad probationem legis suæ datum a Deo esse gladium. In Alcorani capite 64. indicat nescio quod miraculum à se factum in Luna, nec quale id fuerit clarè loquitur. Interpretes eius tamen nugantur quodam tempore Lunam duas in partes esse diuisam, & Maometem eas in manus suas accepisse, & denuo copulatis partibus redintegratam remisisse in Cœlum: quod sanè omni fabula omnique mendacio Fabulosius & mendacius est.

Damascē.

DECIMASEXTA Disputatio.

Tractatur sexta ratio contra Annium ducta ex diuersitate doctrinæ Antichristi à doctrina Maometis.

SExta Ratio cōtra Annium est huiusmodi Doctrina quam adueniens Antichristus prædicaturus, & traditurus est hominibus, longe diuersā erit a doctrina quam tradidit Maometes, ergo Maometes non fuit verus Antichristus. Doctrinæ porrò Antichristi quatuor præcipua erunt capita. Primò, negabit, Dominum Iesum esse verum Christum, siue Messiam & oppugnabit eius legem & Sacramenta, maximè verò Sacramentū Eucharistiæ, & sacrificium Missæ. Renouabit leges Mosaici ritus, vt Circumcisionis, & Sabbati obseruantiam, & alias Ceremonias legales. Hoc probari potest ex illis verbis Beati Ioannis; *Qui est mendax, nisi, qui negat Iesum esse Christum & hic est Antichristus.* Si autem Iudæi & Hæretici propterea nominantur Antichristi, quod negent Iesum esse Christum quanto magis id negabit verus Antichristus. Hoc autem negaturum Antichristum tradiderunt Patres, vt Hyppolitus in oratione de Con-

47

Quatuor præcipua capita Doctrinæ Antichristi.

1. Ioan.

Hyppolitus

Hilarius. Hieron. August. Gregorius.

Consummatione Mundi, Hilarius libro sexto de Trinitate, Hieronymus in Caput 11. Danielis, Augustinus libro 20. de Ciuitate Dei Cap. 8. Gregorius libro 11. Epistolarum, Epistola 3. Nec solum Antichristus negabit Iesum esse Christum, sed etiam horrenda conuitia & blasphemias in ipsum iactabit, vt nomen eius apud homines obscuret, & venerationem eius ex animis hominum euellat.

48 Alterum Caput doctrinæ Antichristi erit: cum id persuaserit Iudæis alijsque, Dominum Iesum nō fuisse verum Messiam, profiteri & iactare se verum esse Christū, in lege & in Prophetis promissum. Id autem multi Iudæorum credent, sicut de illis prædixit Dominus verbis, quæ in suo Euangelio retulit Ioannes Capite quinto: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Illum *alium* interpretantur Patres ipsum Antichristum. Hoc docet Irenæus libro quinto loquens de Antichristo, Tētabit, inquit, se Christum ostendere. Ambrosius in Cap 21. Lucæ: Ex sacris, inquit, Scripturis disputabit, se Christum esse. Idē tradit Theodoretus in secundum Caput posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 15. Inducet, inquit, Diabolus quendam hominem (Antichristum) falsò se ipsum appellantem Christum, & per eam Christi appellationem Iudæos, qui Messiæ aduentum expectant, decipiētem.

Locus Ioannis in Euāgelio Cap 5

Irenæus.

Ambrosius

Theodor.

Cyrillus.

49 Tertium Caput doctrinæ Antichristi, erit, quod profitebitur se Deum esse, & volet ac videbit se pro Deo coli. Hoc apertè docet Beatus Paulus in secundo Cap. posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses, loquens de Antichristo, illis verbis: *Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm sit Deus.* Illud verò sessurum Antichristum in templo tanquam Deum, significat illum esse iussurum, vt templa sibi erigantur, & sacrificia fiant omnisq; cultus & honos veri atq; vnius Dei proprius, sibi adhibeatur: videat lector Patres & Interpretes super illo Pauli loco: Irenæus libro quinto sermonem habens de Antichristo. Ille, inquit, existens apostata, & latro, tanquàm Deus, tamen adorari volet.

Irenæus.

Quartum deniq; Caput doctrinæ Antichristi futurum est huiusmodi: Non solùm dicet se Deum esse, sed alios omnes Deos oppugnabit, tam verum Deum, quàm falsos Deos & Idola vnde Paulus de ipso dixit, *Qui extollitur super omne quod dicitur, aut colitur,* & Daniel Capite 11. de eo loquens, dixit, *Et Deum patrum suorum non curabit, nec quenquam Deorum reputabit, quia aduersus vniuersa consurget.* Quem locum explanans Beatus Hieronymus, affirmat, istam Danielis prophetiam non posse intelligi de Rege Antiocho Epiphaniæ, vt nugabatur Porphyrius: constat enim ex hystorijs profanis, & ex priori Machabeorum libro, eum coluisse Deos Græcorum: sed intelligi debere de Antichristo qui nullum Deum colet. Irenæus libro quinto, Idola, inquit, se ponet Antichristus, ad persuadendum quod ipse solus sit Deus, Idem asserunt Hyppolytus, & Cyrillus & Chrysostomus locis supracitatis. Theodoretus annotauit, Diabolum mirabiliter & prius illusisse, & sub finem Mundi illusurum filios perditionis: prius enim decepit homines per Idololatriam; sed quia hæc per Doctrinam Christi toto propemodum ex orbe terrarum exterminata est, in fine Mundi eosdem decipiet per Antichristum, qui omnem oppugnabit Idololatriam, vt se vnum asserat Deum.

S. Hieron.

Irenæus.

Hyppolitus Cyrillus. Chrysost. Theodor.

DE-

DECIMASEPTIMA Disputatio.

Ostenditur, à supradicta Antichristi doctrina, longe diuersam fuisse doctrinam Maometis; & Annij ad hoc responsio profligatur.

51 DOctrina itaque Antichristi talis futura est, qualem in proxima superiori disputatione descripsimus. At verò Maometis doctrina lógè diuersa fuit: Is enim nec se Deum esse, nec Messiam dixit vnquàm, nec illum pro Messia receperũt Iudæi: sed vnum Deum Cęli & terræ conditorem docuit esse colendum; & Dominum Iesũ, tantum abest vt conuitijs vllis incesserit, vt magnis eum laudibus extulerit. Audi lector quæ scripsit de Maomete Damascenus in fine libri sui de Centum Hæresibus his verbis: Hic *Maometes* cum in nouo, & veteri Testamento versatus esset, sermonesq; cum Arrianis habuisset, nouam sectam & disciplinam condidit. Simulatione autem religionis ac pietatis cum sibi eius gentis fauorem conciliasset, quæ scripserat ipse, de Cœlo, ad se delata, & à Deo missa vulgauit: quædã verò in suo libro ordine digesta posuit, omnium risu dignissima. Dei porro venerationem & cultũ hoc modo tradit: Ponit vnum Deũ vniuersi conditorem, qui nec generatus est ab alio, nec alium ipse generauit. Christum dixit esse Dei verbum & Spiritum; sed creaturã tamen & seruum; cumq; fatetur ex Maria sine virili semine generatũ: ait enim Verbum, & Spiritũ Dei, cum in Mariã introissent, genuisse filium, qui Dei propheta, & seruus est. Dicit præterea Iudæos Christum contra legem suam crucifigere voluisse, & eum quidẽ tenuisse, non esse tamen crucifixisse, sed eius tantum vmbram, & phantasma; illum verò neq; crucifixũ, nec mortuum esse; sed eum Deus transtulit ad se in Cęlũ, quod sibi esset carissimus. Hactenus ex Damasceno. *(Damasc.)*

Certè Maometes in Alcorano 52 Capite secundo docet Christianos per suum Christum saluari, & Capite quarto ait eum maximum esse Prophetarum, & ipsam Dei animam habere. Illud quoque non est in præteritis relinquendum, quod Maometes præcipuum religionis Christianæ sacramentũ Eucharistiæ magna cum reuerentia & honore nominauerit atque laudauerit. Nam etsi negat esse institutum ad recolendam Christi mortem, quem ipse mortuum esse negat; tãtam tamen in eo Sacramento virtutem esse ait in quarto Capite Alcorani, vt valde firmentur in fide, & in bonis operibus, quotquot de Eucharistia gustant: & sine remedio esse damnandos, quicunque postquam de ea comederint, impij facti sunt. Quantopere verò Antichristus insectaturus sit Cultores huius Sacramẽti, & quomodo conaturus, ipsum de medio tollere, ex Danielis Prophetia, quæ est in 11 & 12. Capite libri eius, licèt intelligere.

Sed videamus ad hanc sextam 53 Rationem quid Annius respóderit. Verè, inquit Annius, Maometes aduersatur Christo, & extollitur supra omne qđ dicitur Deus: destruens videlicet imagines Sanctorum, negans diuinitatem Christi, & Trinitatem diuinarum personarum: Sedere autem in Scriptura, nonnunquam ponitur pro imperare, sicut de Christo dicitur, quod sedet à dextris Dei: & hac ratione verè dicitur Maometes sedere in templo Dei, quia vniuersis prope- *(Annij responsio ad hanc rationem.)*

propemodum Ecclesijs Africę, & Asiæ,& quamplurimis Europæ tyrannicè imperat,& ostendit se tanquàm sit Deus;id est,verus Dei nũtius,vnde Saraceni frequenter magna voce personant hanc præcationem. Verus est Deus,& Maometes est verus dei Nuntius. hæc Annius.

Respōsionis Annij refutatio.

54 At enim si quod prædictum est de Antichristo,quod extollet se supra omne quod dicitur Deus, & quod sedebit in templo, ostendens se tanquàm sit Deus,sic interpretari liceat, vt id Annius de Maomete interpretatus est; ex eo profecto concluderetur, plures alios ante Maometem fuisse Antichristos, & quosdam etiam post ipsum, multi enim Ecclesias Christi tyrannicè vexauerunt,& negauerunt diuinitatem Christi,& Trinitatem diuinarum personarum, & sanctorum Imagines destruxerũt, vt Iulianus Apostata,& Constantius,& Valens Imperatores Arrianorum maximi fautores,maximique Catholicorũ insectatores,& hostes,& Imperatores cognominati Iconodastæ,id est Imaginum fractores & destructores,vt Leo III. Imperator Constãtinopolitanus,& filius eius Constãtinus. Nemo tamen propterea vnquàm dixit vllum de supradictis Imperatoribus fuisse verum Antichristum Deinde,Annius nihil respondit ad illud,quod in sexta ratione positum fuit,quod Antichristus professurus sit se Mesiam esse, & quod pro Messia recepturi sunt eũ Iudæi,quod de Maomete nullo modo dici posse,manifestum est. Hoc Annius cum soluere non posset, mira dissimulatione suppressit,nolens attingere, quod conuellere non poterat.

DECIMAOCTAVA Disputatio.

Refertur Annij Responsio ad septimam, & ultimam Rationem, qua probatur Maometem non fuisse verum Antichristum.

Septima Ratio contra Annium ducitur ex genere mortis, quo periturus est Antichristus quē miro modo esse occidendum indicauit Beatus Paulus in Capite secundo posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses: *Tunc, inquit, reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui*, & vt significaret id futurum esse sub finē Mundi,& prope secundum Domini aduentum,adiunxit illa verba, *& distruet (eum) illustratione aduentus sui.* Cum igitur nec ipse Maometes ità mortuus sit,& post eius mortem iam anni prope mille præterierint ante secundum Domini aduẽtum,necessariò euidẽterque concluditur,ipsum non fuisse verum Antichristum. 55

Locus 2. ad Thessalonicenses capite 2.

Ad hanc rationem Annius hoc modo respondet, illa verba Pauli esse intelligenda non de morte ipsius personę Antichristi,sed de interitu sectæ eius,quę futura est in extremo Mundi tempore, & præsignata est in vigesimo Capite libri Apocalypsis per Gentes Gog & Magog,quæ de secta Maometis erunt: cum quibus gentibus atrocissimum illo tempore bellum geret Christianus populus,sed eas Christo mirabiliter auxiliãte,debellaqit atque profligabit,nõenim duo hęc pugnant inter se, quod Antichristus iã sit mortuus in persona sua, & quod Antichristus nondum sit mortuus i secta sua,siquidē Caput alicu- 56

Annij respōsio ad septimam Rationem.

alicuius familiæ vel congregationis vel sectæ, & corpus eius vel mébra eius, id est familia, & secta eius, quasi pro vna persona in sacris literis computari solet. *Spiritus autem oris Iesu, qui interficiet Antichristum.* Intelligitur efficax voluntas Iesu liberandi Christianum populum a nouissima persecutione Gog & Magog sectatorum Antichristi, quorum amplissimus & validissimus exercitus, non tam Christianorũ viribus, quám Christi voluntate ac potestate debellabitur. Mors porro Antichristi, quæ futura dicitur prope finem Mundi, non est intelligenda mors ipsius Antichristi in propria persona, sed in eius corpore, id est, in secta ipsius, quæ tunc à Christianis profligabitur & destruetur. Nec tamen statim post eius destructionem erit finis Mundi: consonat enim dictis Christi & Lactantij, post illius sectæ debellationem & euersionem, Christianos magna in pace victuros per mille annos in terris, id est, longissimo tempore, & tunc futuram primam resurrectionem, id est, perfectam Ecclesiæ reformationem, quam Paulus in secundo Capite posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses vocauit illustrationem aduentus Domini, sed hominibus paulatim ad voluptates & vitia defluentibus, & repentinus superueniet eorum interitus, & Domini aduentus ad Iudicium. Sic Annius.

†

DECIMANONA Disputatio.

Confutatur illa distinctio nominis Antichristi, vel pro persona Antichristi, vel pro secta eius, quæ Annio est quasi omnium difficultatum effugium.

Sed quia & in 57 huius septimæ Rationis, & in superiorũ ferme omniũ Rationum solutione frequenter Annius vsurpauit distinctionem illam nominis Antichristi vel pro ipsius persona, vel pro eius secta, & pro persona acceptum significare ipsum Maomete, qui ante multos annos fuit; vel pro eius secta, quæ non est alia, nisi secta Maometis siue Saracenorum: Vnde cum in Scriptura, vel apud Patres dicitur persecutio Antichristi futura prope finé Mundi, & per tres annos & dimidium duratura, vult Annius ista, & alia horum similia intelligi debere de vltima parte sectæ Maometis, quæ erit illo tempore. Quoniam igitur Annius ad effugium omnium difficultatum, & argumẽtorum, quibus oppugnatur, hac vna maximè vtitur & nititur distinctione, nos eam planè futilem ac nihil esse probemus; & ostendamus, cum in sacris literis agitur de Antichristo, vel à Patribus disputatur de ingenio & moribus & factis Antichristi, non agi de secta aliqua, vel regno hominum, sed de vno quodam & certo singulari homine; ita vt hoc præcipuo sententiæ Annij firmamento labefactato & funditus euerso, necesse futurum sit simul

mul quoque sententiam eius corruere, & in nihilum recidere.

58 Equidem non sum nescius, interdum latè sumi nomen Antichristi, ea ratione, vt significat omnes qui notabiliter aduersati sunt doctrinæ Christi, quorum principes verè putaueris & dixeris fuisse Hæresiarchas, qua significatione vsus Beatus Ioannes in sua prima Epistola dixit, *Nunc Antichristi multi facti sunt*, & paulo pòst. *Omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam iam venit, & nunc iam in mundo est.* quemadmodum etiam nomen Christi ample sumptum tribuebatur olim Sacerdotibus, & Regibus & Prophetis, illiusmodi enim hominum genera vngi, & vnctione inaugurari mos erat. Dico tamen sine dubitatione, quæ de Antichristo prædicta sunt in sacris literis, & à Patribus memoriæ tradita, ea intelligi debere de ipsa persona Antichristi, vt est singularis quidam homo, non autem de secta eius.

Locus Ioannis in Euangelio Capite quinto.

59 Hoc autem multis probari potest argumentis. Primum argumentum vim, & robur accipit ex illis Domini verbis, quæ refert Ioannes capite quinto: *Ego veni in nomine Patris mei & non recepistis me, Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Illum alium in nomine suo venturum, & a Iudæis recipiendū, de vno quodam singulari homine Antichristo interpretantur Chrysostomus, & Cyrillus super eo loco Ioannis, Hieronymus in Epistola ad Algasiam, Augustinus vigesimo nono tractatu in Ioannem, Irenæus libro quinto aduersus Hæreses, Theodoretus in Epitome Diuinorum decretorum, vbi agit de Antichristo. Sanè, cum Dominus sibi opponat illum alium, haud dubie significat certum quendam hominem: præsertim verò cum significet eum pro Messia receptum iri à Iudæis, qui Messiam venturū expectant, certum quendam sine dubio hominem, & non Congregationem quampiam, vel sectam.

Chrysost. Cyrillus. Hieron. August. Irenæus. Theodor.

Secundum argumentum nititur illis Pauli verbis, quæ de Antichristo scripta operte ab eo sunt in secundo Capite posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses: *Nisi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, & paulò infra: *Tunc reuelabitur ille Iniquus.* Quo in loco illis nominibus (Homo peccati,) & (Filius perditionis) Græce proponitur articulus, ad denotandum scilicet certam quandam personam: quibus enim nominibus Græci articulos præponunt, eas voces & nomina contrahi volunt ad significandum rem quampiam certā: Exempli gratia vox ἄνθρωπος, sine articulo posita, in commune atq; indistinctè significat hominem: Si autem præposito articulo dicatur ὁ ἄνθρωπος, tunc certum quendam & singularem hominem denotat. Hoc etiam esse in sacris literis obseruandum, admonet Epiphanius disputans contra 9. Hæresim quæ est Samaritanorum, videat quæso lector breuem, sed præclaram, maximeque probabilem explanationem illorum Pauli de Antichristo verborum, quam tradit Sanctus Hieronymus in Epistola centesima quinquagesima prima, quæ scripta est ad Algasiam, in respōsione ad vndecimam eius quæstionem. 60

Epiphanius

Hieron.

Tertiū argumentū suppeditat nobis B. ppheta Daniel qui sub typo Regis Antiochi Epiphanis multa de Antichristo vaticinat⁹ est in septimo & vndecimo Capite suæ Prophetiæ, vt illis in locis cōfirmāt duo eius libri primarij interpretes Hieronymus & Theodoretus. Daniele verò loq. de Antichristo tanquam de vno certo quodam homine, multa ostendūt, sed illud vnum euidenter, qd ait fore vt adueniēs decē reges in terris inueniat, ex q̃bus tres de medio tollet, reliquos septē sibi vltro dedicos suo victor subij- 61

subijciet Imperio. Immo verò qđ Daniel Regem Antiochum fecit typum & figuram Antichristi, eo ipso satis indicauit, Antichristum fore certum quendam & singularem hominem, sicut fuit Antiochus. Et quia Beatus Ioannes in Apocalypsi Capite 13. & alibi similia Danielis scripsit de Antichristo, de vno quodam singulari homine intelligenda sunt.

62 Quartum denique argumentum facit præualidum auctoritas Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui de Antichristo scripserunt, quorum omnium Concors & manifesta est sententia, Antichristum fore vnum quendam certum & singularē hominem; aiunt enim illum esse futurum Iudæum, ex Tribu Dan, & nasciturum Babilone, & facturum se Messiam, & pro Messia receptum iri à Iudæis, & ostentaturum se tanquàm Deū, & simulaturum se mori, & à morte resurgere: hæc autem in vnum aliquem certum: & singularem hominem conuenire possunt, in Congregationem vero aliquam vel sectam hominum verè dici non queunt. Videat lector Irenæum sub finem quinti libri, Cyrillum Cathechesi 15. Ambrosium in secundum Caput Lucæ, Hieronymū in 7. & 12. Caput Danielis, & in Responsione ad 11. quæstionem Algasiæ, Chrysostomum, & Theodoretum in 2. Caput posterioris epistolæ ad Thessalonicenses, Augustinū libro 20. de Ciuitate Dei, Hyppolitum in oratione de Consummatione mūdi, Theodoretum in epitome Diuinorum Decretorum, vbi agit de Antichristo, Damascenum libro quarto de fide Orthodoxa Cap. 27. ex quorum scriptis clarissimè patet, quæ de Antichristo ab illis tradita sunt, ea non ad cōgregationem quampiam vel sectam hominum, sed ad vnum quendam certum hominem singularemque personam pertinere: ex quo item euidenter concluditur, distinctionem illam nominis Antichristi, vel pro eius persona, vel pro secta ipsius, qua toties vtitur Annius, ad effugium argumentorum quibus vrgetur & præmitur, prorsus inanem & futilem, atque omnino explodendam esse.

Iuuat hoc loco referre præclara verba quæ de Antichristo Beatus Augustinus in explanatione noni Psalmi scripta reliquit, videtur mihi, inquit Augustinus, illis verbis, *Constitue Legislatorem super eos vt sciant Gentes, quia homines sunt*, significari Antichristus, de quo Apostolus dixit, *Cum reuelabitur homo peccati, filius perditionis*. Et quia ille ad tantum Culmen inanis gloriæ venturus creditur, tanta ei licebit facere & in omnes homines, & in Sanctos Dei, vt dum eum vincere penè omnes cōspexerint, nonnulli infirmi arbitrentur, Deū res humanas negligere. Et super illis verbis eiusdem Psalmi. *Et omnium inimicorum suorum dominabitur*, Traditur de Antichristo, ait Augustinus, quod Reges omnes superaturus sit, & solus regnum obtenturus: nec mirum, cum etiam, secundum Apostolum, in templo Dei sessurus sit, extollens se supra omni quod colitur, & dicitur Deus, Et quoniam traditus in Concupiscentiam cordis sui, & damnatione vltimæ destinatus, per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen dominationemque venturus est, propterea sequitur, *Dixit in corde suo, Non mouebor à generatione in generationem sine malo*, id est, fama mea, & nomen meum ex hac præsenti generatione in futuram posterorum generationem non transibit, nisi artibus adipiscar tam excelsum principatum, vt de me posteri tacere non possint, Animas enim perditus, & bonarū artium expers, malis artibus sibi aditum molitur ad famā, tam diuturnam, 63

S August. praclara de Antichristo sententia.

vt

vt apud posteros etiam celebretur. Et qui non possunt per bonas artes & virtutes notescere, cupiūt vel malè de se homines loqui, dūmodo nomen eorum latissimè peruagetur. Potest etiam intelligi, vt de generatione mortali, ad æternitatis generationem se venire non posse vanus, & erroris plenus animus arbitretur, nisi malis artibus, quod olim de Simone Mago diffamatum est, qui sceleratis artibus cœlum se putauit ascer surum & adepturum & de humana generatione in diuinam generationem per artes suas magicas trāsiturum. Quid ergo mirum, si, etiam homo ille peccati Antichristus qui totam nequitiam, & impietatem quam omnes Pseudoprophetæ incohauerūt, impleturus est, & tāta signa facturus, vt decipiat (si fieri potest) etiā Electos Dei dicturus sit in corde suo; *Non mouebor à generatione in generationem sine malo*, & ideo congruit recteque sequitur, *Cuius os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo*. Magnum enim malum est, tam nefandis artibus cęlum appetere, & ad capiendam æternam sedem talia merita comparare. Sed non habebit effectum eius cupiditas, sed intra hos eius tantum valebit ad eum perdēdum, qui & talia sibi ausus est polliceri, & qui suis insidijs & fraudibus in partes suas cōuersurus est multitudinem Hęc in eo loco Augustinus. Eat igitur Annius, & dicat quęcumque à Patribus tradita sunt de Antichristo, ea nō de persona ipsius, sed de secta intelligi oportere.

Simon Magus.

Matth. 24.

†

VIGESIMA Disputatio.

Ex multis, eximijsq; laudibus quibus Maometes in suo Alcorano excellentiam Domini Nostri Iesu Christi prædicauit & magnificauit, euidenter concludi eum non fuisse verum Antichristū.

IN Alcorano, in 64 exordio quartæ definitionis inducitur Deus ita loquens, (omnium Prophetarū alio super aliū per me sublimato Christo Mariæ filio animam nostrā propriè conferentes, virtutē ei præ cæteris tribuimus.) In quinto Capite Alcorani, Angeli Mariam alloquentes dixerunt, ò Maria omnibus viris & mulieribus splendidior, mundior, & iucundior, ferimus tibi somni nuntij gaudium cum Verbo, Dei, cuiùs est Iesus, qui est facies omnium gentiū in hoc seculo & futuro, vir sapiēs, & optimus ab vniuersitatis Creatore mittitur, ipse filium tuum cū diuinæ virtute venientem, librū legiferum, omnisque magisterij peritiam, & testamentū, atque Euangelium edocebit filius tuus cęcos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos suscitabit, quę cuncta credentibus in Deum miracula cēsentur. Vetus testamentum confirmabit, seque cū diuina virtute atq; potentia patefaciens, Dicit, piè credētes in Deum, me sequamini. Deus enim mei vestrique Dominus est, quē adorātes recto procedent tramite. Sciēs autem Iudęos in sua credulitate obstinatos manere, ait, Quis in Dei nomine me seque-

quetur? & viri quidam vestibus albis induti respondentes dixerunt, Nos in Dei nomine te sequentes, in Deum credimus te teste, dixeruntque, ô Creator, nos libro Euangelij fidem exibentes, legatumque tuum Iesum imitantes, ascribe fidelibus tuis. Et Deus Iesum affatus, ego, inquit, tuam ad me reducens animam, & exaltans, teque ab incredulis liberans, eos, qui te sequuti sunt, ijs qui verbo tuo nõ crediderunt, vsque ad diem publicæ Resurrectionis superponens. Incredulos quoque summis cruciatibus hic, & in futuro sæculo affligã, fidelibus verò, & bene facientibus merita sua cum gaudio conferam. De virtutib. igitur & Iustitijs Iesu ita tibi reuelare decreuimus.

65 In decimo capite Alcorani hæc sunt. Iesus Mariæ filius, Dei Verbum, & Nuntius cælitus Mariæ missus est. Et in Capite 12. sic loquitur Deus, Iesum Mariæ filium, cui commisimus Euangelium, quod est lumẽ, & confirmatio testamẽti & recta via timentibus Deum, ad vestræ legis supplementũ misimus (ò Iudei) omnis enim Euangelij seruus præcepta eius sequatur, alioquin malus erit. Et in Capite 13. Alcorani sic habet, Deus Christũ Mariæ filium cui tradidit animam mundam, & benedictam, qua Iuuenes, & infantulos affatus est, cœcũ natũ, atque leprosum curauit, mortuos suscitauit, sic allocutus est. Te ad filios Israel cũ virtutibus, meo velle, venientem, increduli Magum esse perhibent, tu verò de bonis tibi, matrique tuæ diuinitus datis, mihi gratias redde. Sunt alia per Alcanorum multifariam sparsa, quæ magnam & eximã Christi excellentiam declarant, vt vel hoc vnum satis magnum sit argumentum, Maometem non fuisse verũ Antichristum, hic enim omnino aduersabitur Christo, eiusque nomen & famam quoquomodo obscurare & pessundare conabitur, ómnia eius facta & dicta calumniã do & criminãdo, & côuitijs atque maledictis vsquequaque lacerando De quo supra latius in disputatione decima sexta disseruimus. Et finis quidem huic libro poni hoc loco poterat, iam enim per superiores viginti Disputationes explicata, & ad exitum perducta est principalis illa quæstio, quam hoc in libro tractandam suscepimus; An Maometes fuerit verus Antichristus, de quo multa in sacris literis, & à Patribus tradita sunt. Sed quo pleniorẽ aliquãto cognitionẽ istius Pseudoprophetæ Maometis, atque eius sectę lector habeat, visum nobis est superioribus viginti disputationibus tres alias disputationes adijcere.

VIGESIMA PRIMA Disputatio.

De insignioribus aliquot erroribus Maometicæ doctrinæ, quæ traditur in eius Alcorano.

CVm Maometes doctus & eruditus fuerit ab Arrianis. Nestorianis, Iudęis, & Paganis ex istis fontibus varios, & fœdos. 66
perniciosos hausit errores. Negat Trinitatem diuinarum personarũ, & ridiculum putat dicere, Deum habere filium. Negat Christum esse Deum, sed hominem tamen sanctum, Deoque charum; magnũque Prophetam confitetur. Negat ipsum fuisse crucifixũ, & mortuũ Facit Deum corporeum. Ait Dæmones in fine Mundi esse saluandos. Dicit vetus testamentum à Iudæis, nouum à Christianis esse corruptum & deprauatum, seque ia-

ctas

ctat vtriusque testamenti verum esse prædicatorem, & conseruatoré, vocans se Prophetam veteris testamenti, & Apostolum noui. Cui rei, vt fidem faceret, prima vtriusque testamenti. Sacramenta in suam adsciuit disciplinam & sectam, ex Veteri assumens Circumcisionem, ex nouo baptismum. Sed vtrumque tamen Sacramentum peruerso ritu obseruari iussit: nam nec more Iudaico infantes circuncidit octauo die, sed ad imitationem Ismaelis, aliquot post ortum annis iam adultos. Nec more Christiano semel tãtum baptizat ad purificationem spiritualem animæ, sed, vt moris erat Iudæis, sæpius baptizat ad solam videlicet Corporis purificationem, & externam quandam munditiam. Pro Christianorum Quadragesima, instituit vnius mensis Lunaris ieiunium, sine discrimine tamen dilectuque ciborum. Pro die Domino Christianis sacro & festo diem Veneris festũ agi, & celebrari voluit omnes imagines vel Dei, vel sanctorum hominum ex omnibus locis auferri iussit, verum Dei prætexens cultũ, & venerationem Vsum vini suis interdixit. Repudiũ vxoris multis de causis facile reddidit. Polygamiam concessit potestatem faciens tot habendi vxores quot possit maritus alere. Videtur etiam ponere facti necessitatem, & verã humanæ voluntatis libertaté auferre. Vltimam & summam hominis fœlicitatem, etiam post mortem, in voluptatibus & delicijs carnalibus ponit, ad similitudinem videlicet Epicuri inter Philosophos, & inter Hæreticos ipsius Cherinti. Sunt alia permulta eius instituta, non solũm non honesta, nec rationi conuenientia, sed maxime obscœna, & absurda, & ridicula, & pecudum potiùs, quàm hominum, vt quicumque is fuerit, qui dixit, legem Maometanorum esse legem porcorũ, mihi quidé scité admodũ, non solũm verè dixisse videatur.

Istius porrò sectæ Maometis fal- 67
sitatem, & absurditatem, multi de Christianis autoribus scriptis demonstrarunt, atque confutarunt: Dionysius Carthusianus quinque libros scripsit: Richoldus Ordinis Prædicatorum edidit librum; qui inscribitur Confutatio legis Maometicę, Pius Papa huius nominis secũdus Epistolã ea de re scripsit ad Maometem Turcarum Imperatorem, Bartholomeus etiam Vngarus, & Ioannes de Turrecremata, & Guillelmus Postellus in libris quos euulgauit de origine Tartarorum, Persarum, Arabum, & Turcarum. Prçterea, Gabriel Barileta nus ordinis prædicatorum scripsit, Maometem in sua lege permittere quod asinis, & porcis magis conuenit, quàm humana ratione vtentinus, quod etiam vir inter Maometanos Medicinæ sciétia clarissimus Auicenna nono suæ Metaphysicæ ca libro confiteri non erubuit. Paulus Burgensis in quadam sua additione ad Postillas Lyrani super Caput decimumtertium Apocalypsis bene longam, satisque curiosam, & eruditam de secta Maometis disputationem fecit, vbi citat etiam, & laudat eximium quendam tractatum de lege & doctrina Maometis, qui incipit. *Quot sunt dies serui tui* à F. Nicolao Prædicatorum ordinis Compositum. Is per diu fuerat in regionibus Orientis, multumque versatus est cum doctoribus illius sectæ, quin etiam vt eam subtilius, & altius scrutari, & nosse posset, & linguã, & literas didicit Arabicas. Et vt sese in omnia illius doctrinæ arcana & secreta penetraret, frequẽter cũ nobilioribus eius magistris ea de quib. ipse vel dubitabat, vel penitus cognoscere negabat, communicauit: Vnde nõ modo pfpectã habuit doctrinam Alcorani, verũ etiam quemadmodum principes eius interpretes & doctores eam intelligerent atque interpretarentur. Dionysius Carthusianus libro

Scriptores qui contra Doctrinam Maometis scripserunt chartbusiã. Richoldus. Pius. Barch. Vngarus. Turrecremata. Postellus, Gabriel.

Auicenna.

Paulus burgensis.

Psal. 118.

Nicolaus

Charthusian.

secundo contra Alcoranum Capite primo & sequentibus, refert Epistolam valde longam, & egregiam cuiusdam Christiani, gentis Arabum nobilissimi, qui recens fuit ab obitu Maometis, scriptam ad amicum suum Maometanæ legis sectatorem: in qua plurima diligenter, & exquisitè enarrantur, & declarantur de ipso Maomete, & de eius lege.

VIGESIMASECVNDA Disputatio.

De octo Causis tantæ durationis atque diuturnitatis sectæ Maometanæ.

68 NVlla vnquam secta, nullaque gens inimica & infesta populo Dei, tam diu infestauit, & affixit eum quàm secta & gens Maometana Christianum populum. Hebræa gens dura seruitute grauata & oppressa est ab Ægyptijs, sed annis minus ducentis. Tempore Iudicum Hebræus populus vexatus est à Mesopolitanis, annis octo: à Moabitis, annis decem & octo, à Chananæis, viginti annis: à Madianitis, septem annis; ab Ammonitis, per annos decem & octo: à Philisteis, annis quadraginta. Tempore regum aliquot annis post discissionem Hebraici regni in regnum Israel, & regnum Iuda, Assyrij & Chaldæi siue Babylonij cęperunt infestare & vexare Hebręos: eaq; vexatio ab initio vsque ad finem, id autem est, vsq; ad reditum Iudæorum a captiuitate Babylonica, durauit annis minus trecentis. Deniq; Rex Antiochus Epiphanes, & successores eius, Iudæorum grauissimi hostes, gentem Iudaicam per annos quadraginta afflixerunt. Et, vt de populo Christiano loquar, Christiani per illas celebres decem persecutiones Romanorum Imperatorum, a Nerone vsq; ad Constantinum Magnũ, vehementer afflicti sunt per annos circiter ducentos sexaginta. Persecutio item Barbarorum, à Gothis vsq; ad Longobardos, per annos fermè trecentos exercita est aduersus Christianos. At enim secta, gensq; Maometana, ab origine sua, quæ fuit circa annum Domini sexcentesimum trigesimum, vsq; ad præsentẽ Domini annum millesimum sexcẽtesimum quintum, quo tempore etiam plurimum valet, et viget, noningẽtis septuaginta quinque annis perdurauit. Dignissimum igitur videtur curiosa scrutatione, attentaq; consideratione, quas ob causas tantam ea secta habere potuerit diuturnitatẽ.

Equidem plures eius rei causas, 69 satisque probabiles inuenio, quarum tres primæ: a Dei prouidentia petitas, tractat Paulus Burgensis in ea quam de secta Maometana fecit disputatione super Caput decimum tertium Apocalypsis. *Burgensis.* Prima causa est huiusmodi: habet hęc secta quędã & probabilia, & laudabilia, Deoq; grata, ob quæ videtur non sine causa tolerari a Deo. Hæc enim secta maximè odit, & detestatur Idololatriam; prorsus adeo, vt nullas vel Dei, vel angelorum, vel sanctorum hominum imagines non solùm colat, sed nullo etiam in loco depingi patiatur: sicut etiam in veteri testamento Deus omnium imaginum Iudæis venerationem & cultum interdixit. Scelus porro Idololatriæ super alia scelera odit, et execratur, & punire solet Deus. De quo scelere in scriptura loquens, ait, *Ego Deus fortis, & Zelotes*, istis verbis significãs, sicut zelus viride adulterio suæ vxoris est implacabilis, ita Deum non parciturum populo suo Idola colenti, sed grauissimis eum supplicijs puniturum. Scelus Idololatriæ per

per metaphoram vocatur fornicatio hominis à Deo *Qui elongant se à te, peribunt* (ait Dauid) *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*. Quantus vero, quamque implacabilis sit zelus mariti ob adulteriũ vxoris, ostẽdit Salomon his verbis, *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, neque acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima*.

Prouerbiorum 6.

70 Secunda causa: ista secta Maometana Christianos suæ dominationi subiectos fere non cogit abnegare fidem Christi, sed patitur eos & fidem & religionem & disciplinam Christianæ legis colere vt cernere licet in Christianis qui sunt in Græcia, & in Asia, & in Syria, & in Ægypto: permittit in terris suis quatuor Patriarchatus; plurimas item Ecclesias, & Monasteria: permittit Christianos vndecunq; venire ad terram sanctam, visitare sepulchrum Domini aliaq; sancta loca; quin etiam Christianorũ custodiæ ea permittere, habere inibi monasteria & hospitia nec legem & religionem Christianam damnare, secundum Maometis videlicet sentẽtiam, qui Christianos secundum legem suam saluari posse confessus est. Quod si alicubi & aliquando aliqui Christianorũ ad renunciãdum Christo vel minis, vel promissis quodammodo cogantur, id nec generale est, nec per se fit, sed vt ita dicam, per accidens; quo scilicet eorum ministerio in rebus bellicis fideli⁹ & tutius possint vti.

71 Tertia causa est eadẽ ipsa, propter quam passus est Deus Philistæos, Ammonitas, Moabitas, Ismaelitas, & Madianitas, gentes nimirũ Hebræis inimicas atq; infestas, vel illis vicinas, vel ipsis etiã immixtas habitare: primo quidẽ, ob bellicã Hebræorũ eruditionẽ, vt ex assidua cũ hostibus decertatione prudentiores & fortiores ad pugnandum in eos fierent. Deinde, vt, si Dei legem violarẽt, & ab ipsius cultu ad Idololatriã defluerent; per istas gẽtes vicinas promptam acciperent à Deo punitionẽ. Præterea, id ipsum valebat ad Hebræorũ virtutis ac pietatis explorationem atque probationem, hac de re in libro iudicũ capite secundo & tertio ita loquitur Deus, *Ego non delebo gentes quas dimisit Iosue, vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea. Has gentes dereliquit Dominus, vt erudiret in ijs Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananaeorum; & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi*. Ob easdem has ipsas causas passus est Deus & patitur, Maometanos hostes acerrimos Christianorum tam diu regnare & vigere.

Quarta causa. Hoc ipsum pmisit Deus ad puniendos flagello Turcarũ & Maometanorum Christianos Græcos & Orientales, ob multiplices ipsorum errores circa fidẽ; & ob ingentẽ eorum superbiam atq; cõtumaciã aduersus Romanos Põtifices & Ecclesiã Romanã; & ob multiformẽ perfidiã, variasq; proditiones, quibus vsi sunt aduersus Christianos exercitus occidentales in recuperatione Terræ sanctæ. 72

Quinta causa: Nostrĩs discordijs atq; dissidijs secta ista & aucta, & roborata, & firmata tamdiu præualuit. Arma enim in Turcas & Maometanos cõferenda, in nostros cõuertimus: gladium bellicum in hostes Christiani populi distringẽdum atq; vibrandum, in nostra ipsa viscera imprimimus. Heu furor, heu dolor sed meliorem quæso, imposterum Deus Christianis principibus det mentem. Quantum valerent & possent aduersus Turcas, concordes principes Christiani, satis ostendit sacrum illud belli aduersus Turcas fœdus ante annos triginta quatuor inter summum Pontificem Pium Quintum, & Catholicum regem Philippum Secundum, & clarissimam Venetorum Rempublicam factum. 73

74 Sexta causa: Habet hæc secta & alia cõplura, & præcipue tria vulgo admodum probabilia. Primo, nihil præcipit & tradit credendum hominibus quod sit supra sensum, aut certè supra captum humanæ rationis: vt propterea: dediti sensibus homines, vel sola rationis regula metientes quæ credendâ sunt ab ea lege recipienda propter difficultatem intelligendi eam minimè retardentur. Deinde, est ista lex & secta valde carnalis, plurimum indulgens voluptatibus & rerum terrenarum cupiditatibus, super omnia vero libidini dominandi & imperandi quocunq; modo id cõsequi possit; ad hæc autem procliuissimi sunt mortales, eaq; flagrantissime concupiscunt atq; consectantur. Postremò, ista lex & secta non per efficaciam prædicationis, nec per mirabilitatem signorum & prodigiorum persuasa est hominibus: sed innecta, & intrusa est per vim bellicam & terrores bellicos & tyrannicam violentiam; quibus rebus plurimas gentes & prouincias vel imbelles, vel tunc inermes ac præsidijs bellicis destitutas inuadens, facile dominatum earum obtinuit, atq; in his diu præualere potuit. Septima causa: Hæc secta ex alijs pluribus sectis mixte confuseque collecta est: quia ex omni secta habet nonnulla habet etiam vnde, & cur aliarum sectarum cultoribus placere queat.

75 Octaua causa: Hæc secta tam diu conseruatur & perpetuatur ob imperij Turcici potentiam, valde stabilem & firmam ac durabilẽ. Est quidem Turcicum imperium plane tyrannicum: quia in eo Princeps proprium omnino bonum spectat, nullo aũt modo bona curat subditorum: deinde, quia subditos tractat, vt seruos ac mancipia, quãtum ad honores, & possessiones bonorum temporalium: tum, quia leuissimis de causis quoslibet, etiam optime meritos, & bonis & vita spoliat. Hoc tamen tyrãnicum imperium tam diu conseruatur has ob causas. Primo quidem terrore potentiæ bellicæ: habet enim amplissimum & validissimum æquitatum, peditatum vero ex Asianis & Europæis tantum, vt vel ipsa multitudine etiã mortuorum, hostes obruat; sed maximũ eius robur est in pluribus fortissimorum & fidissimorum Gienizzarorũ legionibus. Deinde, ne vel Turcę ipsi vel Christiani eis subiecti, nec vt vocant Renegati, qui tenent arma & res bellicas tractant, rebellare aduersus Imperatorem queant; quatuor diligenter seruat, quæ, secundum Aristotelem in Politicis, ad tuendam diùque conseruandã tyrannidem plurimũ conducunt. Tenet enim subditos prorsus abiectos & viles, & item pauperes & inermes & in vicem diffidentes: habet plurimos exploratores & insidiatores & delatores, quibus magna proposita sunt præmia; & sufficit, quælibet suspicio aut et vmbra dubitationis de quocumque, quin etiam vel mera calumnia valet ad perdendum hominem. Super omnia curat, ne imperio suo subditi, præcipuè vero, quorum in bellicis functionib. vtitur opera & ministerio, ab vllius externæ gẽtis vel Principis patrocinio vel gratia vllo modo pendeant.

Turcicũ imperium cũ sit tyrannicũ, Cur tã diuturnũ fuerit.

VIGESIMA TERTIA Disputatio.

Super Chronologia rerum Maometis, & aliquot Successorum eius.

DE Chronologia rerũ Maometis nonnihil dissentitur: quidam enim ortum eius referunt ad annum Domini sexcentesimum trigesimũ Heraclio Imperatore, & summo 76

Pon-

Pontifice Honorio primo. Sed nobis visum est sequi Genebrardum qui omnem Maometis Chronologiam ex bonis auctoribus exprom ptam breuiter & distinctè, neque indiligenter explicauit.

Maometes ab Ismaele originem ducens Abdala patre, & Emina matre nascitur anno Domini quingentesimo nonagesimo secundo, Mauritio Imperatore, & summo Pontifice B. Gregorio. Primo, ducem se per decem annos gessit plurium Arabum seu Ismaelitarũ vel Saracenorum: qui sic appellati sunt vel à Sara principali vxore Abrahę; vt se iactarent hæredes fore promissionum, quę semini Abrahæ & Saræ à Deo factæ fuerant; cũ ipsi tamen essent ex stirpe Agar ancillæ Abrahæ, & ex filio eius Ismaele genus ducerent. Vel Saraceni sunt appellati à Sara monte, quem ipsi olim incoluerant. Doctus & eruditus est à duobus præcipue Iudæis Apostatis, & à Sergio & Ioanne Hæreticis Arrianis & Nestorianis. Camelorũ primo pastor fuit, nec legere nec scribere sciens, quod ét ipse fatetur. Mox vidua quadã diuite ducta vxore, mercaturã exercuit. Post hæc, Pseudopropheta & obtento Gabrielis nomine legẽ & ex Iudæis & Gẽtib. & Christianis variè, mixtè, confuséque collectã cõposuit: quã mendacib. signis & prodigijs, de quib. supra disputauimus, sed maximè armorũ terrore & per bellicã violentiam plurimis, vel ignorantia veritatis, vel metu bellicæ potentiæ occupatis persuasit, vel obtrusit potius.

77 Eam porro legem versibus quibusdam rithmicis condidit, quo facilius in animos imperitæ multitudinis per suauitatem cantus & rithmi influeret & firmius eis inhæreret. Nã sicut tradidit nobilis ille Christianus Arabs, de quo supra ex Dionysio Carthusiano diximus, q super oẽs sui tẽporis, Arabicæ linguæ vim & ꝓprietatẽ & elegãtiam callebat; vulgare tunc erat apud Arabes, carminibus & poeticis Cãtilenis studere: quin etiam versus facere, tam nobiles quam ignobiles, tanquam quid vulgo visitatum, pro nihilo ducebãt. Legem suam, AL, phulcan, nominauit; id est, Sectiones siue Capita; simulãs legem ad se missam à Deo, non simul datam sibi vniuersam, sed per partes, & per interualla temporũ; &, vt Sibyllæ folia, diuersis in locis & temporibus, discretisq; sententijs callidè videlicet; ne quis in ea Scriptura, rerum consequentiam & ordinem ac rationem doctrinæ requireret. Primus omnium Odmen, annis post Maometem circiter centum & decem, aliorũ Maometis successorum adiutorio istam legem in vnum quasi corpus, & ad integritatem, quoad eius fieri potuit, redegit. Arabes appellarunt Alcoram, id est, Scripturam, per excellentiam videlicet, præcisè Scripturam appellari volentes; cum tamen ea sit ex varijs Iudæorum, Hæreticorum, & Epicuræorum doctrinis, erroribus, fabulis, & blasphemijs, ceu indigestum quoddã Chaos: quam tamẽ legem ipse ait, descendisse de summo cœlo vsq; ad infimum cœlum; deinde, paulatim in terras lapsam esse, & ad se delatam; de quo ét Deum sermocinantem secum inducit.

Quomodo suam legẽ Maometes appellauerit.

Quid signi ficet nomen Alcorani.

Inter precipuos Maometis amicos & socios duo fuere apud posteros celebriores. Quorum alter, vocatus est Haly; cuius interpretationem Alcorani sequuntur Persæ: alter, nominatus est Haumar; quem, vt fidissimum legis Maometicæ interpretem, cæteri, (Turcas dico & Mauros) complectuntur, Persis hostili odio habitis. 78

Moritur Maometes extremo Imperatoris Heraclij principatu, & moritur pleuritico morbo, & anno ætatis, vt traditur ab alijs, quadragesimo, & regni sui apud Saracenos, decimo. Duobus & viginti

viginti prælijs conflixit cum Persis, Græcis, & Ægyptijs, in omnibus fere victor. Cui in regnum Arabum successit Abumacar annis tribus: deinde Omar, qui ex stirpe Cosdroe Persicũ sustulit, & rapuit imperium. At enim, nobilis ille Arabs à Dionysio Carthusiano commemoratus, & à nobis sępius in hisce disputationibus in testimonium productus, memorię prodidit, Maometem vixisse tribus & sexaginta annis; & obijsse anno Domini sexcentesimo quinquagesimo quinto Imperatore Constante, & Summo Pontifice Eugenio primo: quorum annorum viginti tres exegisse in sua Prophetia.

79 Restat, vt quasi pro clausula huius libri, vnum quiddam duntaxat adijciam, In hac secta primus Princeps Arabum & Saracenorum fuit Maometes ipse legislator, Inde Principatus penes eam gentem mansit per annos sexcentos sexaginta Postea Principatum inuaserunt Turcæ, quorum primus Rex fuit Ottomanus, vnde familia Ottomanna proseminata est, principatum tenens usque ad hanc diem per annos circiter trecentos. Ex hac familia extitit Maometes secũdus circa annum Domini millesimum quadringentesimum quinquagesimum, qui capta Cõstantinopoli, & Imperatore eius occumbente, imperium Orientis sibi asseruit, & imperatorem Orientis appellari se iussit. Putat Genebrardus, in illo primo Ottomano impletum esse vaticinium. B. Ioannis scriptum in vigesimo capite libri Apocalypsis de Satana primum ligato; & post mille annos soluto ad vexandum populum Dei per gentes Gog, & Magog: nam à Constantino Magno, sub quo videtur fuisse ligatus Satanas, quãtum ad repressionẽ & psecutionẽ Ecclesiæ Christi, vsque ad istum primum Ottomanum mille anni transierunt. Se[d] profecto ista Genebrardi opinatio atque cõiectatio minime subsistit. Nam ipsa secta Maometana per annos sexcentos ante istum Ottomanum, satis habuit solutum Satanam, cuius nimirum incitatu & adiutorio Ecclesias Christi populosque Christianos in Ægypto & Africa & in Hispania vehementer afflixit. Imo vero post Constantinum Magnum, & ante Maometem Legislatorem, nimis sane fuit solutus Satanas non solùm ad vexãdas Ecclesias & populos Christianos, sed etiam ad diripiendas & deuastandas eorum prouincias & regna vt cernere licet in persecutione Hunnorum, Gothorum, Alanorũ, Vandalorum, Persarum, per annos plures trecentis.

Animaduersio in genebrardũ.

Illud deniq; quod etiam Genebrardus scitè annotauit, perdignũ 80
animaduersione & admiratione Dei prouidentiæ videtur: circa annum Domini millesimum trecentesimum, quo tempore Ottomanna familia eiusq; dominatus originem habuit; eodem ipso tempore quasi ex aduerso, Austriacam familiam ad principatum, ingenti Catholicæ Ecclesiæ bono, prouehi cœptam esse. Quæ postea ad tantũ opulentiæ, honoris, & potentię fastigium elata est, vt & supremam dignitatem Imperialem cõtinuata multorum imperatorum successione (quod nulli vnquam familiæ contigit) obtineat, & nũc amplissimum terra marique imperium, maximamque in orbe terrarum Monarchiam possideat. Sed his de Antichristo & Maomete, quãtum nempe instituti operis ratio postulabat, disputatis explicatisque, libri huius finis esto.

Austriaca domus excellens.